# ENCHIRIDION
## JURIS
## ECCLESIAE ORIENTALIS CATHOLICAE.

PRO USU
AUDITORUM THEOLOGIAE, ET ERUDITIONE CLERI
GRAECO-CATHOLICI,
E PROPRIIS FONTIBUS CONSTRUCTUM.

AUCTORE
**JOSEPHO PAPP-SZILÁGYI**
DE ILLYÉSFALVA,
S. S. THEOLOGIAE DOCTORE, PRIUS CANONICO GRAECI RITUS MAGNO-VARADINENSI, ABBATE TITULI S. PANTALEONIS DE RÁCZKEVE, CONSILIARIO REGIO, ET INSIGNIS ORDINIS FRANCISCI JOSEPHI I. EQUITE, SUBSEQUE AUTEM EPISCOPO GRAECI RITUS CATHOLICO MAGNO-VARADINENSI, SOLIO PONTIFICIO ADSISTENTE, ERUDITAE ACADEMIAE ROMANAE DE RELIGIONE CATHOLICA MEMBRO, ET IN SACROSANCTO OECUMENICO CONCILIO VATICANO I. COMMISSIONIS S. S. MISSIONUM ATQUE RITUUM ORIENTALIUM MEMBRO.

**EDITIO SECUNDA.**

MAGNO-VARADINI,
TYPIS EUGENII HOLLÓSY.
1880.

Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi: ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.

**S. Paul. I. ad Cor. Cap. I. v. 10.**

Christianus mihi nomen, Catholicus cognomen.

**S. Pacianus.**

# PRAEFATIO AUCTORIS.

Etiamsi Ecclesia Christiano-Catholica una semper et indivisibilis sit, pro diversitate tamen Nationum, et linguarum eandem Christi Salvatoris generis humani fidem profitentium, invaluit apud eas varia cultus divini forma, ecclesiasticus ritus, et disciplina. Et etiamsi Nomenclatio: Ecciesia Orientalis, et Occidentalis a divisione Imperii civilis Romani in Orientale et Occidentale derivetur, cum tamen evenerit, ut, quemadmodum in Occidente Ritus et disciplina Ecclesiae Romanae sensim, communiter fere receptus sit, ita in Oriente, Ritus et consuetudines Ecclesiae Constantinopolitanae praevaluerint, hodie, Ecclesia, quae Ritum et disciplinam Ecclesiae Constantinopolitanae observat, peculiariter Ecclesia Orientalis nominatur.

Ea autem fuit semper Sacrae Sedis Apostolicae oeconomia, ut Ecclesia Orientalis suum proprium probatum Ritum et disciplinam custodiret, imo vero et prohibuit ullam in eadem mutationem privata auctoritate, absque S. Sedis Apostolicae indultu fieri. Sed et ipsa S. Sedes Apostolica earum solum consuetudinum abrogationem merito exigit, quae aut rectae fidei, aut moralitati, et decori Ecclesiae inconvenientes esse viderentur. Sic Nicolaus I. in Epistola 2-a ad Photium haec scribit: De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis scribentes, per diversas Ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus vel resistimus. Leo autem IX. ad Michaelem Cerularium: Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior, et clementior vobis est, siquidem cum intra, quam extra Romam plurima Graecorum Monasteria reperiantur, sive Ecclesiae: nullus eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, sive sua consuetudine, quin potius suadetur, atque admonetur eam observare. Scit Sancta Romana Ecclesia, quia nihil obsunt saluti credentium diversae pro loco et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quae potest, uni DEO commendat omnes. Et Innocentius III. „Licet Graecos diebus nostris, ad obedientiam sedis Apostolicae revertentes fovere, et honorare velimus, mores ac ritus eorum, quantum cum Domino possumus, substinendo; in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quae periculum generant animarum, et ecclesiasticae derogant honestati.“

Cumque nullum ecclesiasticum virum, proprii juris Ecclesiae suae notitia latere possit, atque adusque systematicum Jus Ecclesiasticum Ecclesiae Orientalis, non prostet, ex quo facili negotio, quilibet de Clero Catholico Orientali, quid juris sit comperiat; sed et illi Orientales, qui adhuc communionem ecclesiasticam cum Sancta Ecclesia Romana aspernantur, proprios quibus utuntur Sacros libros et codices, viam reconciliationis, et abundantia motiva restaurandae unionis et communionis ecclesiasticae pandere persuadeantur, Operi huic construendo, et luci publicae tradendo animum adjeci.

# Editor ad Lectorem benevolum.

Ultimam defuncti Auctoris et piissimi mei Praesulis, Episcopi, voluntatem,[1]) testamentaliter mihi, qua tunc temporis Secretario episcopali, commissam, exequor, dum opus hoc, denuo typis procudi curo.

Nihil in eo immutandum esse censui, ne Auctori eruditissimo, Viro per excellentiam catholico, et Episcopo zelo salutis animarum flagrantissimo, aliqua ratione derogari contingat.

Opus etenim, auctore saepius id mihi fatente, ante primae editionis procusionem per Censores Romanos examinatum fuit; adeoque nihil illud continet quod a doctrina catholica alienum sit.

Hinc, spem certam capio, fore, ut, altera haec etiam editio, in majorem Dei gloriam, utilitatemque Ecclesiae Suae Sanctae, vergat.

Magno-Varadini die 7. Octobris 1880.

**Dr. Augustinus Lauranu,**

Canonicus Gr. R. Cath. M.-Varadinensis, et Rector Seminarii domestici.

---

[1]) Obdormivit in Domino die 5-a Augusti 1873.

# CONSPECTUS GENERALIS.

## PROLEGOMENA.

## PARS I.

### JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM.

## SECTIO I.

**Jus publicum ecclesiasticum internum.**

### CAPUT I.

De regimine Ecclesiae Christianae.

## CAPUT II.

### De Juribus Romani Pontificis qua Ecclesiae universalis Primatis.



## CAPUT III.

### De Senatu et Curiis Romani Pontificis Ecclesiae Primatis.

CAPUT IV.

De Episcopis.



CAPUT V.

De Conciliis.

## CAPVT VI.

### De juribus Episcoporum singularum Dioecesium Rectorum.



## CAPUT VII.

### De officialibus ecclesiasticis Episcoporum.

## CAPUT VIII.

### De Parochis, Parochiarum Administratoribus, Cooperatibus alias Capellanis atque Diaconis.



## CAPUT IX.

### De Regularibus, seu Instituto Monachorum.

## SECTIO II.

### Jus ecclesiasticum publicum externum.

### CAPUT I.

#### De mutuo Ecclesiae et Civitatis nexu, et utriusque potestatis fine generatim.



### CAPUT II.

#### De relatione Imperatoris civilis ad Ecclesiam.



### CAPUT III.

#### De limitibus Potestatis ecclesiasticae et civilis quoad personas ecclesiasticas.

CAPUT IV.

De limitibus Potestatis ecclesiasticae, et civilis quoad Bona ecclesiastica.



CAPUT V.

De relatione Ecclesiae Catholicae ad alienas Confessiones.



---

**PARS II.**

**JUS PRIVATUM ECCLESIASTICUM.**

SECTIO I.

**De Personis et Beneficiis ecclesiasticis.**

CAPUT I.

De Personis ecclesiasticis.

## CAPUT II.

### De vita et honestate Clericorum.



## CAPUT III.

### Jus Beneficiorum et Patronatus.

## CAPUT IV.

### De modis obtinendi Beneficia majora, seu dignitates ecclesiasticas.



# SECTIO II.

## De Jure rerum ecclesiasticarum.

## CAPUT I.

### De rebus sacris.

## CAPUT II.

### De Sacramentis.



*

Pag.

## CAPUT III.

### De rebus Sacratis.

Pag.

# SECTIO III.

**De Judiciis, delictis, et poenis ecclesiasticis.**

## CAPUT I.

### De Judiciis ecclesiasticis.



## CAPUT II.

### De Processu ecclesiastico in genere.



## CAPUT III.

### De sententia et remediis contra eam.



## CAPUT IV.

### De Judicio ecclesiastico criminali seu coercitivo.

## CAPUT V.

### De Judicio et Processu Matrimoniali.

# PROLEGOMENA.

Ad securiorem eorum intelligentiam quae in Jure ecclesiastico pertractantur, praemittere oportet quasdam notiones praeliminares ac fundamentales de Religione, Ecclesia, Jure et in specie ecclesiastico ejusque Fontibus, atque codice ecclesiastico, e quibus omnia Jurisprudentiae ecclesiasticae praecepta derivantur.

## §. 1. Notio religionis.

Religio a vinculo quo creatura Creatori religatur,[1]) est complexus veritatum de Deo et officiorum ex iis derivatorum. Duo ergo complectitur Religio: scientiam de Deo, et cultum scientiae conformem. Prout autem notiones de Deo et officiis verae aut falsae sunt, Religio etiam erit vera, aut falsa.

## §. 2. Vera Religio est sola Christiana.

Distingvunt Theologi inter Religionem naturalem, quae est complexus veritatum de Deo et officiorum ad Deum, quas per solam operationem rationis nostrae assequimur, et revelatam, seu supernaturalem, quae per instructionem homini a Deo datur. Quia vero genus humanum nunquam caruit revelatione divina; primo enim momente creationis ejus jam se Deus homini manifestavit, seu revelavit. Ipse Deus primus hominis Magister, Legislator et Judex fuit[2]), patet, subjective puram et sufficientem religionem esse solum revelatam a Deo, quemadmodum eam suo testimonio confirmando ante se[3]) factas manifestationes divinas Jesus Christus generi humano tradidit et revelationem divinam complevit.

## §. 3. Jesus Christus Deus Homo generis humani Redemptor.

Homo per transgressionem legis Dei in paradiso acceptae a Deo patre suo et createre abscissus, amisit gratiam Dei, vitam aeternam, et lumen intellectus, atque voluntas ejus ad praeeli-

---

[1]) Cicero, Lactantius, Augustinus et alii.
[2]) Geneseos Cap. 1. et 2.
[3]) Per mosem et Prophetas.

gendum malum propensa facta est; hinc in omne genus vitiorum prolapsus homo, destinationis sibi in creatione datae, propriis viribus recuperandae incapax, redemptus est per Jesum Christum filium Dei, seu secundam Trinitatis personam Deum, ex Maria virgine hominem factum; qui vaticinia Prophetarnm de Messia, in se completa exhibuit, atque doctrina sua divina quae cultissimae rationi satisfacit, et simul ab indoctissimo quove, quantum necesse est ad salutem, comprehensibilis est, miraculis item, ac imprimis resurrectione sua a mortuis, a se, morte sua in ara crucis perpessa, hominem capacitati destinationis suae, vitae aeternae consequendae, et ideo amissae santitatis et justitiae originariae recuperandae restitutum esse, infallibili divina certitudine persvasit, ac se viam, veritatem, et vitam esse, pro omni genere humano, comprobavit.

## §. 4. Attamen Salus hominis per Christum redempti, per applicationem meritorum Christi consequenda, dependet a conditionibus per Christum praescriptis.

Ut homo per Christum redemptus, meritorum Christi ad animae salutem consequendam particeps fieri possit, Christus conditiones praescripsit, quas si quis non adimpleverit, aeternae salutis compos esse non poterit. Conditiones autem hae sunt 1) Fides, sine qua nemo Deo gratus esse potest. Haec est, inquit Christus, vita aeterna: ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum[1]) „Qui non crediderit condemnabitur“[2]). „Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei“[3]). Et iterum: „Qui credit in Filium habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum“[4]). 2) Ut per baptismum in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, omnes homines unum coetum seu societatem constituant Christum confitentium et ejus mandata observantium, qui coetus est Ecclesia Christiana; „Euntes, inquit Christus docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis“[5]) ut sit unus pastor et unum ovile, seu Ecclesia“[6]) „huicque uni ovili seu Ecclesiae constituit Pastorem ex Apostolis suis Petrum, inquiens illi: „pasce oves meas, pasce agnos meos“[7]) cui, ceterisque Apostolis et Discipulis

[1]) Joannis C. XVII. v. 3.
[2]) Marci XVI. v. 16.
[3]) Joan. III. v. 18.
[4]) Joan. III. v. 36.
[5]) Marc. XVI. v. 16.
[6]) Joan. X. v. 16.
[7]) Jan. XXI. v. 16. et 17.

a se vocatis omnes homines in ovile unum, seu unam Ecclesiam congregati, tamquam sibi obediant, dicens: „Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me"[1]). Ergo tertia conditio salutis, seu applicationis meritorum Christi ad salutem est fieri membrum unius Ecclesiae, seu Ovilis, cujus Pastor Petrus est, atque huic sicut Christo, reliquisque Rectoribus praestare obedientiam. His Ecclesiae Rectoribus concredidit Christus doctrinam suam fidei et morum docendam, gratiarumque per sacramenta ad applicationem meritorum suorum dispensationem.

## §. 5. Definitio Ecclesiae Christianae.

Ex praemessis Ecclesia Christiana est Institutum divinum ad sanctificationem hominis, seu recuperationem sanctitatis et justitiae originariae, in qua homo a Deo creatus est, per meritorum Christi Redemptoris applicationem, sicque ad consecutionem salutis aeternae, quam homo per peccatum amisit. Quia vero Christus pro omnibus hominibus mortuus est, omnesque vult salvos fieri et ad cognitionem veritatis pervenire[2]) scilicet per Ecclesiam docentem et regentem a se constitutam, patet Ecclesiam Christi ex institutione Ejusdem, perpetuam esse debere, seu duraturam usque ad consummationem saeculi; proinde etiam Petri summi Pastoris cetororumque Apostolorum successores, Pontificem nempe Romanum qui Petro, et Episcopos qui Apostolis ininterrupte succedunt, conjunctos, eandem potestatem et missionem divinam ad regendam Christi Ecclesiam sustinere, quam Christus Petro et Apostolis dedit, quibus etiam assistentiam suam promisit inquiens: Ego vobiscum ero omnibus diebus usque in consummationem saeculi[3]). Et Spiritum Sanctum Spiritum veritatis dedit, qui maneat cum eis in aeternum[4]). Hinc definitur Ecclesia christiana: coetus hominum unius et ejusdem fidei christianae professione et eorumdem sacramentorum communione sub regimine legitimorum pastorum, et praecipue Romani Pontificis, ad operandam salutem aeternam congregatus.

## §. 6. De Notis Ecclesiae Christianae.

Ecclesia Christiana, prout ipsa profitetur in Symbolo fidei, est una, sancta, catholica, et apostolica. Una, quia unum ovile et unus pastor[5]) unus Christus, unum baptisma, unus Deus et pater omnium hominum[6]), unum corpus[7]), una sponsa[8]); sancta,

[1]) Luc. X. v. 16.
[2]) Paul. I. ad Tim. II. v. 4.
[3]) Matth. XXVIII. v. 18.
[4]) Joannis XIV. v. 16. 17.
[5]) Joan. X. v. 16.
[6]) Eph. IV. v. 5.
[7]) Ad Rom. XII. et 1. Cor. XII.
[8]) Cant. VI.

quia Ecclesia est institutum ad sanctificationem; quia illi adsistit Spiritus sanctus Spiritus veritatis[1]); quia Christus se tradidit pro Ecclesia ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata"[2]) Catholica, seu universalis, quia Christus omnes homines omnium temporum et locorum vocavit ad sanctificationem in Ecclesiam, et per Ecclasiam; Docete omnes gentes inquit Apostolis[3]) et iterum: „Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae, qui crediderit et beptizatus fuerit hic salvus erit", seu, qui membrum Ecclesiae evaserit, salutem consequetur aeternam. Apostolica denique, quia in Ecelesia continua est successio Apostolica rectorum Ecclesiae, perpetua repraesentatio pleni Apostolorum collegii cum Principe Petro, per quod traditiones apostolicae integrae in Ecclesia conservantur.

*Nota*: Quare autem Ecclesiae catholicae adpellationem, et catholicorum titulum veri Christiani sibi vindicant? id praeclare illustrat Jos. Bingham (Orig. Eccl. lib. I. Cap. I. §. 7) scribens: Molestia, quam eis facessebant haeretici, causa erat, quam ob rem superioribus aliud adhuc nomen adderent, nimirum catholici, quod ipsis cognominis instar seu notae characteristicae erat, qua ab omnibus haereticis internoscebantur, ac distingvebantur, qui, quamvis sectae suae nomen gererent, commnni tamen, Christianorum nomine se se interdum occultabant. Hoc intelligimus ex Epistola Paciani, ad Sempronium haereticum Novatianum, qui rogatus causam, cur Christiani ipsi se nominarent Catholicos, rospondit: fieri hoc ideo, ut ab haereticis et Schismaticis, nomen Christianorum itidem usurpantibus, se se distingverent; Christianus mihi nomen est inquiebat, Catholicus cognomen. Haeretici religionem plerumque peculiari hominum sectae alligabant, (ita etiam Schismatici sibi) adeoque Catholicos se nominare nullo jure poterant; Ecclesia autem Christi dum appellabatur Catholica, hujus appellationis causam satis idoneam habebat, quod observante Optato (L. II. p. 46) universalis erat, et per totum terrarum orbem diffusa. Et hoc sensu nomen hoc ejusdem, cum ipsa Ecclesia antiquitatis est. Occurrit enim in passione Policarpi, apud Eusebium L. IV. c. XV. Clementem Alexandrinum, Strom. L. VII. p. 765 et Ignatium Epistola ad Smyrnenses Nr. VIII. Et tanto in pretio ipsis hoc nomen erat, ut neminem Christianum reputarent, nisi de Ecclesia Catholica se esse profiteretur. Quemadmodum ex actis martyrii Peonii apud Baron. An. CCLIV. Nr. IX. videre est, qui a Polemone judice rogatus cujus esset

[1]) Joan. XIV. v. 16.
[2]) Ad Ephes. V. v. 25—27.
[3]) Math. XXVIII. v. 19.

Ecclesiae, respondit: Catholicae, nulla enim est alia apud Christum.

Qui ergo Christianorum coetus se nomine Orthodoxorum distingvi praeferunt, meminerint, omnes haereses praetextu orthodoxiae enatas esse, vereque orthodoxam Ecclesiam tantum Christiano Catholicam esse, ovile, cujus Petrus a Deo constitutus Pastor est, cui soli assistit Christus et Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis in aeternum. „Ubi Petrus, ibi Ecclesia." S. Ambrosius.

## §. 7. Ecclesia est societas visibilis, externa.

Si plures in eundem finem contendunt, iisdemque mediis utuntur, societas inde coalescit; Christianus vero coetus ad eundem finem videlicet colendum Deum et inde aeternam salutem consequendam conspirat, iisdemque ad hoc sacramentis utitur, adeoque consequitur: Ecclesiam christianam esse societatem et quidem visibilem et externam, quae est expressio externa internae christianorum conjunctionis in eadem fide, spe et charitate. Quo sensu christianorum societatem indicavit S. Paulus inquiens: „Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri"[1]). Et alio loco: „Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus"[2]). Et 1-ae Joannis: Quod vidimus et audivimus, annunciamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum filio ejus Jesu Christo"[3]) et v. 7: si autem in luce (Evangelii) ambulamus, societatem habemus ad invicem." Christus per incarnationem suam, Ecclesiam quoque corpoream, visibilem, et externam coadunavit ex hominibus visibilibus, quam pro omnibus hominibus a se redemptis instituit, atque fundavit, a quibus non tantum animorum in fide conjunctionem, verum etiam externam fidei communis professionem aliosque actus socialez exegit adeo, ut qui ea negligerent, eos etiam a se repudiandos fore palam enunciaverit inquieos: „Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. qui in coelis est"[4]). Et S. Paulus inquit: „Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem"[5]). Ehristus venit in mundum, ut religionem inter homines collapsam instauraret, et quidem externa praedicatione Evangelii, per quam omnes homines in unum ovile visibile seu Ecclesiam, sub visibili pastore a se constituto Petro coadunarentur, et quidem per ritum visibilem externum baptismum in illud ovile homines introirent, reliquisque sacramentis ritibus externis internam san-

[1]) I. ad Cerinth. I: 9. et II: 9.
[2]) Phil. III. v. I.
[3]) Phil. I. v. 3.
[4]) Matt. X. v. 32.
[5]) Ad Romam X. v. 10.

ctificationem operantibus perficerentur, atque externa quoque observantia legum moralium ac disciplinarium in consecutione finis consociationis suae adjuvarentur. Imo, cum homines ideo in societatem coalescant, ut conjunctis viribus major finis perfectio obtineatur, quam singuli extra societatem obtinere possent, dum Christus suam societatem Ecclesiam, coadunari constituit, id etiam consilii habuit, ut actibus socialibus, mutua aedificatione et auxiliis ad finem vitae aeternae adjuventur fideles. Societas enim sine actibus socialibus concipi nequit, actus vero sociales non absoluti sunt sed necessariam inter se habent correlationem, mutua auxilia et virium conjunctionem involvunt.

## §. 8. Datur ideo in Ecclesia Christiano-Catholica potestas legislatoria, judiciaria, et coërcitiva.

Ex eo, quod Ecclesia sit societas visibilis et externa, ad perfectionem spiritualem hominum atque vitae sanctimoniam scopo consequendae salutis aeternae a Deo instituta, sequitur, dari in Ecclesia sacrum Imperium seu Regimen, adeoque potestatem legislatoriam, ad ferendas leges scopo Ecclesiae conformes; judiciariam, ad judicium ferendum super actionibus et moribus Ecclesiae membrorum, dicente Christo: „Si peccaverit in te frater tuus, et te nec coram duobus aut tribus testibus corripientem audierit, dic Ecclesiae"; atque coërcitivam, ad cohibendos et puniendos legum ecclesiasticarum transgressores, continuative dicente Christo, si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus, seu ex Ecclesia ejectus. S. etiam Paulus hujus potestatis coërcitivae conscius inquit: In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam[1]), et alio loco: Quid vultis (minatur) in virga veniam ad vos, an in spiritu charitatis et mansuetudinis[2]), item ad Titum inquit: Argue cum omni imperio[3]), et alibi ait: Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi[4]). Conspicuum autem societatis externae Ecclesiae, et potestatis exemplum exhibent Actus Apostolorum Cap. IV. v. 32. „Multitudinis credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, v. v. 34. 35. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant; et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat" (Ecce actus socialis.) Quum autem (Cap. V.) Anania et Saphira fraudassent de pretio venditi agri et partem tantum

---

1) II. ad Corint. X. v. 6.
2) I. ad Cor. IV. v. 31.
3) II. v. 15. ad Tim. V. v. 20.
4) II. ad Cor. III. v. 10.

pretii mentiendo posuissent ad pedes Apostolorum, ob hoc per Pastorem Ecclesiae Petrum a Christo constitutum repentina morte puniti sunt, quod apertum est ex v. 8 et sequentibus: Dixit autem ei (mulieri) Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidisti? at illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, et efferent te. Confestim cecidit ante pedes ejus, et expiravit. Et factus est timor magnus in universa Ecclesia. Ex quo exemplo colligere licet, Ecclesiam esse societatem, in ea potestatem, Rectorem, Judicem et Executorem. Unde patet, quantopere hallucinentur illi, qui potestatem Ecclesiae ad pure Spiritualia, atque ad solam praedicationem et exhortationem restringunt, et denegant Ecclesiae jus ad alia media socialia sibi necessaria, atque potestatem puniendi et cogendi sibi subditos ad sibi obsequendum. Patet porro, quantopere errent ipsi Photiani Graeci non uniti, qui Ecclesiam visibilem externam sine Capite visibili externo adstruunt, etiamsi Christus Petrum, Pastorem omnium ovium in unum ovile congregandorum constituerit, et confirmatorem fratrum suorum Apostolorum esse voluerit, quod uberius demonstratur § sequenti.

## §. 9. Subjectum potestatis ecclesiasticae.

Christus post resurrectionem suam ascensurus in coelum, loco sui reliquit et constituit Pastorem totius sui gregis, seu sibi Vicarium in terris Petrum, dicendo illi apud Joannem c. XXI. v. 15. 16. 17: „Pasce oves meas, pasce agnos meos", super quem et fundavit Ecclesiam suam visibilem dicens Matth. Cap. XVI. v. 18. 19: „Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. . . . Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis. Et iterum: Ego rogavi pro te (Petre) ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos" (Apostolos et discipulos). Ergo Petrum constituit Christus fundamentum visibile, terrestre, et Rectorem terrestrem Ecclesiae suae visibilis et terrestris, loco sui, qui sedet ad dexteram Patris in coelo, hominibus haud visibilis. Ergo Christus Petro non tantum praecellentiam inter Apostolos, sed distinctum munus Pastoris universi gregis sui contulit, seu Rectorem totius Ecclesiae suae constituit. Ideo S. Chrysostomus scribens de Matthiae vocatione in Act. 1. inquit: „Oportuit, ut is Apostolorum collegium compleret, cui totius gregis sui curam commisit Dominus. Os erat Apostolorum et Princeps: propterea Paulus eum ante alios visurus ascendit (Gal. 1.) Et homilia 55. in Matth. inquit idem sanctus Pater: „Pastor et Caput est homo piscator et ignobilis." Et infra: „Jeremiam uni genti Pater, hunc autem (Petrum) universo terrarum orbi Christus praeposuit." Et alio loco (Tom. 6. p. 292.): „Petrus chori illius coriphaeus, os Apostolorum

omnium, caput illius familiae, orbis totius praefectus. Ita Theophilus Antiochenus sec. II. Christi verba respiciens Joannis XXI. affirmat: „Universam Ecclesiam Petrus regendam accepit.“ Et Theophilactus in idem Cap. ult. Joan. atque Patres Concilii Chalcedonensis Actione 3-a et 4-a „beatum et omni laude dignissimum appellant Petrum, qui est petra et crepido Ecclesiae Catholicae, et rectae fidei fundamentum.“ Quali fundamento cum Ecclesia nunquam carere possit, consequens est, munus Petro Apostolorum Principi collatum ad regendam universam Christi Ecclesiam, in Ecclesia perdurare debere; neminemque alium Petri successorem in munere Vicarii Christi in terris agnovisse Ecclesiam quam Episcopum Romanum, cujus Cathedrae primus praesedit Petrus, omnes confitentur. Sed quemadmodum reliqui Apostoli fuerunt Petro in regimine Ecclesiae socii, qui etiam juncti cum Petro acceperunt Spiritum sanctum, et missionem Joan. Cap. 20. item potestatem ligandi et solvendi Math. XVIII. v. 18: ita Apostolorum successores Episcopi idem munus et vocationem in Ecclesia sustinent, suntque Romano Pontifici cum eo conjuncti regiminis Ecclesiae consortes. Paulus Apostolus testatur: „Episcopos a Spiritu Sancto positos esse regere Ecclesiam Dei“ Act. XX. v. 17. Assignationem tamen particularis gregis accipiunt a Pontifice, qui vi sui muneris universalis E clesiae Rectoris et Pastoris particularibus gregibus pastores et rectores Episcopos praeficit, sicque jurisdictionem ab eo consequuntur. His conformiter ergo, subjectum potestatis, vel regiminis ecclesiastici, est Petro-Apostolicum, seu Romanus Pontifex, qua Christi in terris Vicarius, cum Episcopis sibi conjunctis.

## §. 10. Haec potestas se extendit 1) ad substantialia religionis.

Cum potestas Ecclesiastica se ad omnia ea extendat quae ad finem Ecclesiae, hoc est, religionis integritatem conservandam, et ita salutem aeternam consequendam necessaria sunt: nihil autem magis necessarium sit, quam sacras scripturas, divinasque traditiones nosse et tamquam fontes divinae revelationis recte intelligere, genuinum quoque et incorruptum legum naturalium seu moralium sensum tenere, consequitur jus potestatis Ecclesiasticae esse: 1) determinandi librorum divinorum numerum, et si quod dubium oriatur, verum illorum sensum declarandi. 2) Contestandi traditiones divinas et dogmata cum iis connexa enunciandi. 3) Custodiendi inviolatam juris naturalis sive morum doctrinam, atque eandem contra perversa ingenia defendendi.

## §. 11. In quibus declarandis Ecclesia est infallibilis.

Dari in Ecclesia Magisterium infallibile, seu quod divina certitudine enunciet veritatem, seu objective veram doctrinam

doceat, evincunt verba Christi apud Math. XXVIII. v. 19. et 20. „Euntes ergo, inquit Apostolis, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis, et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi." Et Joannis XIV. v. 25. 26 : Haec ego locutus sum vobis apud vos manens, Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis." Et v. 16. 17 ait: „Et ego rogabo Patrem et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis." Ideo S. Apostolus Paulus dicit Ecclesiam Dei vivi columnam et firmamentum veritatis, 1 ad Timot. III. v. 15). Hinc S. Irenaeus Lib. III. adversus haereses Cap. 4-to inquit: „Non oportet ergo adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime contulerint omnia, quae sunt veritatis. Imprimis autem Petro super quem fundata est Ecclesia columna et firmamentum veritatis, ejusque successoribus commisit Christus officium confirmandi fratres in fide Lucae XXII. v. 32: „Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos" (idest, Apostolos et discipulos). Ergo Magisterium infallibile non est sine Petro, sed tantum cum Petro; qui petra fidei, in suis successoribus Pontificibus Romanis semper vivit.

## §. 12. Potestas Ecclesiastica se extendit 2) ad disciplinaria determinanda.

Cum Christus Magisterio Petro Apostolico in Ecclesia constituto munus regiminis Ecclesiae commiserit: praeter enunciationem verae doctrinae seu dogmatum. Ecclesiae, quae immutabilia sunt, ad eandem potestatem Ecclesiasticam spectat ea quoque determinare et sancire, quae pro temporum, locorum, personarum, circumstantiarum denique omnium varietate modo fieri, modo omitti expedit, ut in sancta Dei civitate (ad Colos. I. v. 25.) omnia ordine et decenter peragantur (1. ad. Cor. XIV. v. 40.) Atque in his disciplina ceclesiastica continetur, quam ordinandi, et iterum immutandi Ecclesiae jus est et potestas. Cujus exemplum praebent ipsa Concilia, quae priorum conciliorum Canones reformarunt, immutarunt et aboleverunt. Sic v. g. Canon V. Apostolorum de cohabitatione uxorum cum Episcopis sublatus est per Canonem XIII. Trullanum et XLVIII. (Vide et Canonem IV. Carthaginensem.) Talia igitur, quia mutabilia sunt, accidentalia nuncupantur, de quibus Ecclesia pro diversitate circumstantiarum prout fini Ecclesiae magis congruit, disponit. Ecclesia nempe Catholica, dum sarta tecta atque immutabilia servat principia super dogmate stabilita, eadem pro munere sibi a Christo commisso dirigendi per suam hierarchiam homines cujuscunque loci ac temporis in viam salutis, necessario debet diversis temporibus

ac locis exprimere et evolvere dicta fundamentalia principia, suasque disciplinares praescriptiones eo modo statuere, qui proprio fini idoneus sit et opportunus, ex quo fit, ut Ecclesiae legislatio, ac per consequens Ecclesiasticum jus saeculorum decursu, et juxta locorum circumstantias necessario subjaceat mutationi; quae utpote fundata in praeterita disciplina, quam Ecclesia ipsa evolvit et variis circumstantiis accommodat; characterem habeat cujusdam evolutionis organicae atque historicae. Quare in legislatione Ecclesiae, non habetur nec immutabilitas, neque illa pharisaica stabilitas inhaerens literae scriptae Canonum antiquorum, propria duntaxat ecclesiarum orientaliumschismaticarum, quae ex eo amussim quod destituerentur auctoritate centrali, suprema, vivente semper, ac moderatrice, adhaerere debeant litterae mortuae antiqui juris ut in aliqua, quaecunque demum ipsa foret, sociali unitate se se conservarent.

Finis igitur, natura, atque essentia Ecclesiae Christi necessario exigit evolutionem quamdam, et quamdam mutabilitatem disciplinae ecclesiasticae. Attamen id obtineri non potest absque periculo laedendi principia fundamentalia constitutionis ipsius Ecclesiae, nisi firmiter conservetur unio cum Sancta Sede Apostolica Romana, quae habens in se plenitudinem, universalitatem, suprematiam apostolicae potestatis, et fundata super infallibili suo magisterio ita Ecclesiam regit et gubernat, ut inter variabiles mundi vicissitudines, et non obstante jugi evolutione ac progressu propriae legislationis, ipsa pergit esse una, sancta, apostolica, et catholica, omnibusque media suppeditat quae magis apta sunt et efficacia ad salutem consequendam.

## §. 13. De reliquis potestatis ecclesiasticae Subjectis et eorum inter se correlatione.

Duplex datur in Ecclesia potestas, alia regiminis seu jurisdictionis, de cujus subjecto superius §. 9. actum est; Ordinis alia, seu ministerii, de qua nunc agendum est. Paulus Apostolus ipse inquit[1]: „Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei"; Apostolis autem partim ad peragendum cultum divinum cujus essentia est oblatio incruenti altaris sacrificii, partim ad administrationem sacramentorum, Apostolis praedicationi intentis, atque disciplinam religiosam in particularibus gregibus custodiendam Christus alios septuaginta discipulos adjunxit, qui Apostolis adjutorio essent. Lucae Cap. X. v. 1. etc.: „Post haec autem designavit Dominus et alios septuaginta duos; et misit illos binos ante faciem suam, ite: Ecce ego mitto vos"; atque Apostoli hoc Magistri divini exemplo admoniti, et quum ad tantam, quam Deus eis designaverat messem capiendam operarios haud sufficere viderent, ut Ecclesiae

[1]) 1. ad Cor. IV. v. 1.

saluti prospicerent, alios et sibi adjutores adjecerunt quibus partem potestatis suae tribuebant nempe Presbyteros, Actorum XIV. v. 22.: „Et cum constituissent illis per singulas ecclesias Presbyteros". Presbyteri ergo sunt idem quod septuaginta erant discipuli, quibus successerunt ex institutione divina[1]), eo scopo, ut Apostolorum seu Episcoporum labores fulcirent, eosque in animarum cura adjuvarent; qui sunt secundi ordinis sacerdotes, Episcopis primi ordinis sacerdotibus et plenitudinem potestatis habentibus inferiores. Paulus 1. ad Tim. V. v. 19. inquit: „Adversus Presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus." Quam in rem Epiphanius, haeresi 75: „Quod autem inquit, non idem esse possit cum Episcopo Presbyter, divini Apostoli sermo declarat, quo quisnam Episcopus, quisque Presbyter, intelligitur. Nam ad Timotheum Episcopum scribens ita loquitur: „Presbyterum ne objurges, sed hortare veluti patrem. Quid autem adtinebat Episcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem supra Presbyterum auctoritatem haberet? Quare deinceps admonet: adversus Presbyterum cito accusationem non admiseris nisi duobus tribusve testibus". Sed nec omnes functiones sacras quas peragunt Episcopi, possunt peragere etiam Presbyteri, prout non possunt ordinare Presbyteros aut Diaconos, quod est solius Episcopi. (Paulus II. ad Tim. V. v. 22. et ad Tit. I. v. 5.) Ideo S. Hieronymus exponens Cap. I. Epist. ad Titum inquit: „Audiant Episcopi, qui habent constituendi Presbyteros per urbes singulas potestatem." Et Auctor Const. Apost. L. 3. C. 1. „Potestatem inquit, non damus nomine Apostolorum ordinandi Diaconos, — sed solis Episcopis."[2])

## §. 14. Praeter Presbyteros, elegerunt Apostoli et alios, qui Diaconi dicebantur.

Diaconorum institutio Act. Apostolorum Cap. VI. legitur. Diaconatum ex divino consilio et mandato Christi ab Apostolis institutum fuisse testis est Christo et Apostolis coaevus S. Ignatius Martyr, qui in Epistola ad Ephesios inquit: „Subjecti estote Episcopo, Presbyteris, et Diaconis: qui enim his subjectus est, obedit Christo, qui hos instituit." Inde Hierarchia divinae institutionis, docente concilio Tridentino, Sess. XXIII. Can. VI: Siquis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit.

---

[1]) Confer. Gregor. Niss. de vita Moysis. Chrysost. hom. 38. in I. ad Corint. Hieronym. in epist. ad Fabiol.

[2]) Confer. Chrysost. hom. 13 in I. ad Tim. Epiph. haer. 75. S. Athan. in Apolog. adversus Arianos.

## §. 15. Notio Hierarchiae.

Auctor Tractatus de Hierarchia coelesti, definit Hierarchiam: „Est ordo, vel ordinatio comprehendens sub se diversos gradus.“ Ad Ecclesiam autem adplicata describitur: Hierarchia est potestas, quae a Christo supernaturaliter et spiritualiter collata est suis Apostolis et discipulis, ac eorum successoribus legitimis usque ad finem saeculi ad aedificationem Ecclesiae secundum leges evangelicas. Hierarchia haec sicut potestas cujus subjectum Hierarchia, est alia ordinis seu ministerii, alia jurisdictionis seu regiminis; prima vel proxime vel remote circa corpus Christi verum sive Eucharistiam occupatur, secunda vero circa corpus Christi mysticum, omnemque clavium potestatem in se complectitur.

## §. 16. Inde fidelium in Clericos et Laicos divisio, unde corollarium: Ecclesiam esse societatem inaequalem.

Ex eo quod Christus Ecclesiae suae constituerit Praepositos et Rectores, seu sacram Hierarchiam, fideles Ecclesiae dividuntur in Clericos, et Laicos; nempe ii qui divina mysteria aliis dispensant, Ecclesiaeque, gubernaculo admoti sunt, Clerici, alii vero qui eos audire et iis obedire, atque ab iis mysteriorum divinorum participes fieri debent, Laici dicuntur. Quam in rem inquit Clemens Romanus in priore ad Corinthios epistola: „summo Sacerdoti sua munia tributa sunt: et Sacerdotibus locus proprius assignatus est; et Levitis (Diaconis) sua ministeria incumbunt; homo Laicus praeceptis laicis constringitur.“ Quemadmodum vero jura Rectorum Ecclesiae simul eorum officia sunt, ita falsus esset intuitus: Laicos in Ecclesia tantum obligationes, non autem etiam jura habere; prout est, ut si qualitates a canonibus praescriptas habeant ad sacros ordines promoveantur, ut divinarum gratiarum et bonorum Ecclesiae spiritualium participes fiant; exigendi item, ut ministri sacrorum suis officiis relate ad Laicos adamussim respondeant, atque etiam, ut sanctae vitae exemplo Laicos aedificent; quod si non contingat, jus, coram Superiore Ecclesiae reclamandi, et medelam postulandi, deque vita Ministrorum testimonium ferendi[1]). Quumve Christus fundator Ecclesiae ipse discrimen constituerit inter Pastores, et gregem, seu Rectores Ecclesiae, et subditos Laicos fideles, evidens est: Ecclesiam Christi, vi institutionis suae esse societatem inaequalem.

---

[1]) Confer. Schulte Kath. Kirchenrecht 1. Th. pag. 9. Nota 1. § 3.

## §. 17. De variis membris Ecclesiae Christiano-Catholicae.

Juxta sanctum Augustinum Ecclesia est corpus vivum inquit Bellarminus[1]), in quo est anima et corpus. Et quidem anima sunt interna dona Spiritus sancti, fides, spes, charitas; corpus sunt externa professio fidei, et communicatio sacramentorum. Ex quo fit, ut quidam sint membra Ecclesiae de ánima et corpore, seu membra viva in corpore Ecclesiae, quamvis inter istos aliqui magis, aliqui minus vitam participent, et aliqui solum initium vitae habeant, fidem habentes cum charitate initiali; talia membra viva Ecclesiae sunt Christiani pii et justi, dein vitae quidem imperfectioris mondum tamen charitate exuti. Alii sunt membra Ecclesiae de anima solum, et non etiam de corpore Ecclesiae, ut catechumeni et excommunicati, si fidem et charitatem habeant, quod fieri potest; ad hos spectant non baptisati, qui legem moralem rationis sequuntur, de quibus Paulus Apostolus inquit: Gentes que legem non habent naturaliter ea quae legis sunt faciunt, et ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis[2]), qui naturaliter justi, errore solum invincibili detinentur, quin ad corpus Ecclesiae Christi visibiliter spectent; quales sunt etiam inter baptisatos schismaticorum et haereticorum coetui adscriptos, si pariter errore solum invincibili detineantur a conjunctione visibili cum corpore Ecclesiae. Denique aliqui sunt membra Ecclesiae de corpore tantum et non etiam de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, et tamen spe aut timore aliquo temporali profitentur fidem et in sacramentis communicant sub regimine legitimorum pastorum Christi Vicario in terris Romano Pontifici conjunctorum. Et hi sunt membra Ecclesiae mortua occulti haeretici, Schismatici, et impoenitentes improbi, qua illorum improbitate aut incredulitate non obstante in Ecclesia esse censentur, imo in ea etiam gratiarum Ecclesiae dispensandarum instrumenta esse possunt. Namque Sacramenta non operantur ex opere operantis, sed ex opere per Christum operato. Ideo Bellarminus Lib. III. de Eccl. Militante inquit: „Dico igitur Episcopum malum, Presbyterum malum, doctorem malum esse membra mortua, et proinde non vera, corporis Christi seu Ecclesiae, quantum adtinet ad rationem membri, ut est pars quaedam vivi corporis; tamen esse verissima membra in ratione istrumenti, idest, Papam et Episcopos esse vera capita, doctores, veros oculos, seu veram linguam hujus corporis. Et ratio est, quia membra constituuntur viva per charitatem qua impii carent; at instrumenta operativa constituuntur per potestatem sive ordinis,

[1]) Bellarmin De Eccles. Militant. L. III. C. 2. ex Augustino in breviculo collationis. Collat. III.
[2]) Ad Rom. Cap. II. v. 14. 15.

sive jurisdictionis, quae etiam sine gratia esse potest. Nam etsi in corpore naturali non possit membrum mortuum esse verum instrumentum operationis, tamen in corpore mystico potest. In corpore enim naturali opera pendent ex bonitate instrumenti, quia anima non potest bene operari, nisi per bona instrumenta, nec opera vitae exercere, nisi per instrumenta viva: at in corpore mystico opera non pendent ex bonitate aut vita instrumenti. Anima enim hujus corporis, id est Spiritus Sanctus, aeque bene operatur per instrumenta bona et mala, viva et mortua.[1])

## §. 18. De vario adhuc usu nominis Ecclesia.

Nomen Ecclesia, quae coetum hominum, strictius autem coetum religiosum denotat, sumitur etiam materialiter pro aedificio, in quo homines ad cultum divinum congregantur quasi continens pro contento. Dein sensu particulari dicitur Ecclesia triumphans, eorum qui in coelo, patiens, eorum qui in purgatorio, et militans, eorum qui in hac terra salutem suam operantur, et contra hostes salutis pugnant. Porro Ecclesia respectu temporis, antiqui, et novi Testamenti ; respectu linguae vel liturgiae, Ecclesia latina, vel graeca ; respectu regionis, Gallica, Hungarica ; respectü loci, Ecclesia Magno-Varadinensis, Lugosiensis. Dicitur etiam Ecclesia docens, discens, regens et obediens.

## §. 19. De Ecclesia Graeca alias Orientali.

Ecclesia orientalis graeca, et occidentalis latina, nomen accepit a divisione Imperii Romani in Orientale, et occidentale. Orientalis Imperii caput et thronus Imperitoris Constantinopolis, ideoque Ecclesia Constantinopolitana princeps Ecclesia orientalis Imperii et Ecclesiae, ad quam spectabant quatuor Patriarchatus : Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus cum principali propter politicam loci dignitatem Constantinopolitano, cujus liturgiam et disciplinam reliqui quoque Patriarchatus seu dioeceses patriarchales acceptarunt; et ideo vocatur Ecclesia graeca a lingua, qua princeps inter regiones orientales Ecclesia Constantinapolitana sacra peragit, quamvis aliae Nati ones eodem more Constantinopolitano, etiam propria nationali lingua sacra, seu cultum divinum et liturgiam persolvant.

Cum autem Ecclesia Christi profiteatur se unam, sanctam, catholicam et Apostolioam esse, Ecclesia, orientali Imperio Romano complexa quoque, communi totius gregis Domini Pastori in persona beati Principis Apostolorum Petri constituto, usque ad schisma Photii et Cerularii sive medium seculum undecimum parebat, ejus fidem profitebatur, et ei obediens erat, juxta Cyprianum in libro de Unitate Ecclesiae Nr. 3. dicentem : „Hanc

---

[1]) Apud Walter edit 5. pag. 27. 5.

Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?" Egressi ergo sunt orientales, sive Graeci Christiani e gremio Catholicae Ecclesiae, abscissi sunt a capite Ecclesiae per Patriarcham Cerularium, cui schismati Imperatores Constantinopolitani ipsi Pontifices seu Rectores Ecclesiae Graecae facti, favebant; imprimis, postquam ditio Romana a subjectione Imperatorum Constantinopolitanorum per Carolum Magnum liberata, Pontifici Romano tradita est; post quod, omnis communicatio Graecae Ecclesiae cum S. Sede Apostolica interrupta, ac ideo etiam celebratio Conciliorum oecumenicorum in Oriente cessavit, in antea celebratorum cum summi Pontificis Romani assensu et approbatione Conciliorum dogmaticis defitionibus, et disciplinaribus decretis subsistens Ecclesia Graeca, quin ulterius vitam, tamquam palmes a vite abscissus continuare posset; ab eo tempore, loco cognominis Catholici, orthodoxae Ecclesiae cognomen usurpans, quin perpenderet eadem Ecclesia, omnes haeresiarchas praetextu Orthodoxiae seu puritatis doctrinae, quae tamen extra Ecclesiam dari non potest, distinctos a vera Christi Ecclesia coetus formasse. Et si in ea fide glorientur graeci, quam adhuc in Ecclesia Catholica constituti acquisiverunt, illa non propria coetus sui, sed a Catholica Ecclesia accepta fides et doctrina est; quidquid autem tenent quod ab Ecclesiae Catholicae etiam post schisma ipsorum semper existentis doctrina deviat, haeterodoxum, et illud solum illis proprium est. Et si specialem suam orthodoxiam in eo constituant, quod negent Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere, deteriores sunt in hoc ipsis Lutheranis et Calvinianis, qui tamen dogma Catholicum de processione Spiritus Sancti etiam a Filio retinuerunt, conformiter doctrinae S. Pauli et confessioni ipsius quoque Ecclesiae Graecae, Spiritum s. non tantum Patris, sed etiam Filii spiritum esse, et ideo proecedit a Patre quia Patris spiritus est; quoniam autem etiam Filii spiritus est, etiam ab hoc procedere debet, secus non esset spiritus Filii quoque, contra Apostolum. Et sic contradicunt Graeci etiam ipsi Christo, cujus verba: Omnia que habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia spiritus de meo accipiet et annunciabit vobis," vera non essent; haberet enim Pater juxta sententiam Graecorum quod Filius non habet, seu procedere Spiritum Sanctum a se. Si porro in eo consistit Graecorum orthodoxia, quod negent purgatorium, dum illud practice confitentur sacrificia pro defunctis offerendo, sibi ipsis contradicunt, eo magis, quod juxta illorum sententiam negato judicio particulari, non alium statum animarum retinuerint quam detentorum usque ad judicium universale, ac proinde contradicunt etiam confessioni de invocatione Sanctorum, qui usque ad extremum judicium visione Dei et beatitate frui non possent; proinde nec nobis opitulari; cum deterior esset sors illorum quam latronis de cruce, cui dixit Christus:

hodie mecum eris in paradiso. Sed nec Sanctorum Patriarcharum et Prophetarum eliberatio ex loco detentionis per resurgentem Christum, juxta eandem Graecorum orthodoxiam veritas esset. Sed fors in eo tota orthodoxia Graecorum consistet, quod negato visibili capite et centro Unitatis Ecclesiae, tot Ecclesias constituant quot Regna, quae a propriis Synodis regantur. Hoc quidem omnibus sectis commune est, institutioni Christi et doctrinae Patrum adversum, vera et perniciosissima haeterodoxia, quae dogmati per omnem Ecclesiam de Unitate Ecclesiae confesso, contradicit.

## §. 20. De iis, quae Ecclesia Graeca non unita tenet et profitetur.[1])

Ecclesia Graeca schismatica profitetur: 1) dogma Catholicum de Christo Salvatore et Redemptore mundi, deque Revelatione per Christum facta, tamquam sola salutifera veritate, atque necessitate fidei ad salutem. Concilium Hierosolymitanum 1672. Cap. IX. inquit: „credimus neminem sine fide salvari (Harduin T. XI. pag. 239.) 2) Ecclesia Graeca credit Fontes Revelationis esse sacram scripturam et traditionem (Orthodoxa Confessio Part. 1. qu. 4.)[2]) 3) Recipit Ecclesia Graeca omnes libros sacros Ecclesiae Catholicae. Synodus Hierosolymitana 1692. qu. III. inquit: „Ecclesiae Catolicae regulam sequentes sacram scripturam eos omnes appellamus libros, quos ab Laodicena Synodo Cyrillus, ipso quidem corrogante, probatos recenset; iis insuper additis, quos insipienter, inscite, aut magis malitiose vocavit apocryphos; sapientiam videlicet Salomonis, librum Judith, Tobiam, Draconis historiam, historiam Susannae, Machabaeos, et sapientiam Sirach. — Quos omnes et nos judicamus esse Canonicos, et sacram eos esse scripturam confitemur".[3])

4) Attamen credit Ecclesia, neque sacram scripturam cum

---

[1]) Fontes sunt publicae confessiones et declarationes, quales sunt: 1) Confessio Patriarchae Genadii (prius Georgii Scholarii) Mahomedi II. post captam Constantinopolim exhibita, publici juris facta in opere: Turco-graeciae libri octo a Martino Crusio Basil. fol. 1584-to. 2) Acta et Scripta Theologorum Wittembergensium et Patriarchae Constantinopolitani D. Hieremiae: Graece et Latine edita Wittembergae 1584. 3) Confessio Metropolitae Petri Mogilas, Chioviensis, de Anno 1643. cujus novissima editio: Orthodoxa Confessio Orientalis Ecclesiae prodiit Vratislaviae 1751. 8. 4) Declaratio Synodi quoad confessionem Calvinianorum, apud Harduin. Acta Conciliorum Tom. XI. pag. 179—274. 5) Metrophanis Critopuli declarationes privatae, prodierunt sub nomine confessio Ecclesiae orientalis Helmstadii 1661. 4. 6) Opera Theologica Th. Procopovicz: Christiana orthodoxa Theologia. Regio-monti 1773—758. 5. Tom. Compendium item Theologiae a Platon, versum Germanice prodiit. Rigae, 1770. 8.

[2]) Gemina ac duplicia Ecclesiae dogmata sunt: alia literis mandata in sacris scsipturis, alia viva voce ab Apostolis tradita; binisque his fundamentis fides superstructa exstat.

[3]) Harduin. Tomo XI. pag. 258.

orali traditione sufficere, verum requiri enunciationem sensus scripturarum, et Ecclesiae dogmatum, per institutum a Christo Magisterium, seu Episcopatum, cui in docendo assistit Spiritus Sanctus.[1])

5) Profitetur Ecclesia Graeca Mysteriorum Dei dispensationem eidem Episcopatui concreditam esse.[2])

6) Docent Graeci, Ecclesiam esse visibilem conjunctionem fidelium cum Episcopis, qua Vicariis Christi in terris.[3])

7) Ecclesia Graeca etiam confitetur Christi Ecclesiam esse unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam.[4])

8) Ideo Ecclesiam docent esse solam salvificam, seu unicam viam ad salutem, quam ostendit Ecclesia.[5])

---

[1]) Orthodoxa Confessio Part. 1. qu. 72.: Quidquid sancti Patres, in omnibus universalibus, atque particularibus orthodoxis conciliis, quocunque tandem loco habitis, statuerunt; id a Spiritu Sancto profectum esse credas oportet. Ibidem Parte 1. qu. 96. Ecclesia habet Spiritum Sanctum, qui illam perpetuo docet et instruit. — Quando itaque nos in illam credere profitemur; intelligimus nos credere in traditas divinitus sacras illius scripturas, et inspirata a Deo dogmata. — Hinc adducimur ad fidem habendam non modo sacro Evangelio ab Ecclesia recepto, verum etiam reliquis omnibus sacris Scripturis, et synodicis Decretis. — Jeremias in Act. Wirtemb. p. 142: Non nobis licet nostrae propriae confidendo explicationi, aliquod divinae scripturae dictum aliter intelligere, animadvertere aut interpretari, nisi quemadmodum theologis istis visum est, qui a sanctis Synodis in Sancto Spiritu ad pium scopum probati receptique sunt. Synodus Hierosolym. a. 1672. Capit. II. (Harduin. XI pag. 235.) „Credimus sacras Scripturas a Deo fuisse revelatas, eisque propterea, non quidem ut libuerit, sed secundum Ecclesiae Catholicae traditionem et interpretationem, adhibendam esse fidem omni dubitatione majorem. — Quamobrem eandem esse Ecclesiae Catholicae auctoritatem credimus, quam sacrae Scripturae. Enimvero utriusque auctor cum sit Spiritus Sanctus, perinde est Catholicam Ecclesiam audieris, ac sacram Scripturam (juxta sensum tamen Ecclesiae).“

[2]) Synod. Hierosol. a. 1672. Capitul. X. (Harduin Tom. XI. pag. 242.) „Apostolorum successor Episcopus, impositione manuum, et Sancti Spiritus invocatione, datam sibi a Deo ex successione continua ligandi solvendique potestatem cum acceperit, viva Dei imago est in terris, et auctoris Sancti Spiritus operationis participatione plenissima, fons omnium Ecclesiae Catholicae sacramentorum, quibus ad salutem pervenimus. — Transiisse autem ad nos usque magnum Episcopatus sacramentum et dignitatem, manifestum.“

[3]) Orthodoxa Confessio parte 1. qu. 85. „Docemur Christum solum Ecclesiae Caput esse. — Tametsi vero antistites in Ecclesiis quaeis praesunt, capita eorum dicuntur: sic illud tamen accipiendum, quod ipsi vicarii Christi, in sua quisque provincia et particularia quaedam capita sint.“ Quis jam non admiretur Graecorum horum inconsequentiam? dum illi, singulis Ecclesiis Capita et Vicarios Christi praeponunt, visibili capite totam Ecclesiam spoliant; spoliant centro unitatis, sine quo unitas Eccles. concipi nequit, quod sancti Patres unanimi consensu docent.

[4]) Orthodoxa Confessio Part. I. quaes. 83: „Ecclesiam docemur esse unam sanctam, catholicam, et apostolicam.“ Quae tamen Ecclesiae Graecae particulari a centro unitatis et corpore Ecclesiae abscissae, non congruunt, dicente Sancto Cypriano Epistola XL.: „Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata.

(Confer. Walter editio 5-ta § 26. et 27.)

[5]) Sed non Graeca verum Catholica Christi Ecclesia, Platonisque Theologi Russici vana assertio est: Ecclesiam Russicam esse veram Christi Eccle-

9) Distinguunt Graeci inter essentialia Ecelesiae, et accidentalia, priora sunt Ecclesiae dogmata, immutabilia, aeterna, a Deo revelata et a Spiritu Sancto per Magisterium Ecclesiae enunciata ; posteriora Ecclesiasticae institutionis, pro majori animarum commodo mutabilia, uti Ritus, et Disciplina.[1])

## §. 21. De Hierarchia.

Ecclesia Graeca, ex Ecclesia adhuc Catholica retinuit Hierarchiam divinae institutionis, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Diaconis, inferioribusque Ministris, qui sunt Subdiaconi, Lectores, Cantores, Ostiarii, Acoliti, qui ordinatione per Episcopum constituuntur.[2]) Apex Sacerdotii est Episcopus, qui

---

siam non tantum, sed etiam unam eandemque ab Origine mundi. (Vide Platon. Doctrina orthodoxa T. II. §. 28.) Ecclesia namque Russica non ab origine mundi una eademque est. Quis namque nescit, Russos saeculo 9-no ad fidem Christi conversos cum tota Ecclesia Graeca partem Catholicae Ecclesiae constituisse, atque postmodum cum Graecis a corpore Ecclesiae abscissos fuisse, et iterum saeculo 16-to ad finem vergente magna in parte ad Catholicam Ecclesiam reversos esse, prout Clemens VIII, summus Pontifex, in Decreto ddto 23. Decembris 1595. innuit, dicens: „Et ne veterem antiquitatis memoriam repetamus, novissime his diebus nostris illustre reconciliationis et reversionis ad Catholicam Ecclesiam exemplum exstitit Ruthenorum Episcoporum: Antea siquidem Rutheni Episcopi, atque ea omnis copiosa et clara natio cum Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre et Magistra non communicabat. et luctuosum Graecorum Schisma sequebatur: ex quo sane schismate, quod intimo cum dolore commemoramus, innumerabiles aerumnae, et miseriae ad nobilissimam Graecorum gentem tamquam a fonte quodam promanarunt. Nuper vero Venerabilis Frater Michael Archi-Episcopus et Metropolita Kioviensis, Haliciensis ac totius Russiae et cum eo plerique ejus comprovinciales Episcopi, divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante, coeperunt ipsi secum cogitare et serio tractare, se, et greges quos pascerent, non esse membra corporis Christi quod est Ecclesia, qui visibili ipsius Eeclesiae capiti summo Romano Pontifici non cohaererent, et propterea spiritualis vitae influxus se non posse capere, neque crescere in charitate, cum ab eo essent disjuncti, ex quo secundum Deum pendet totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis in mensuram operationis uniuscujusque membri: quin etiam se omnibus animae periculis, et insidiis Principis tenebrarum tamquam leonis rugientis propositos esse, qui intra ovile Christi, intra arcam salutis, et intra Domum illam non essent, quae est aedificata supra petram, quam flumina et venti irruentes nequeunt prosternere, in qua sola domo Agnus ille ad vitae fructum comeditur, qui tollit peccata mundi. Quamobrem pro consilio, et salutari deliberatione inter se statuerunt ac firmiter decreverunt, redire ad suam et omnium fidelium Matrem Romanam Ecclesiam, reverti ad Romanum Pontificem Christi in terris vicarium, et totius populi christiani communem Patrem et pastorem, longo quidem temporis intervallo post annos fere centum quinquaginta, et amplius, posteaquam primum a piae memoriae Eugenio Papa IV. in Generali Concilio Florentino Graeci recepti et reconciliati Ecclesiae fuerant.

[1]) Platon, Doctrina Orthodoxa Tom. II. §. 40. Observatio: sunt in Ecclesia multi ab Apostolis, aut eorum successoribus instituti Ritus et observantiae, a sancta antiquitate custoditae, a quibus quidem salus haud unice dependet, utiles tamen sunt.

[2]) Orthodoxa Confessio Part. I. qu. III.: Sacerdotium caeteros omnes in se continet gradus, qui nihilo secius legitimo ordine conferri debent: uti Lector, Cantor, Lampadarius, Subdiaconus, Diaconus.

habet plenitudinem potestatis sacrae. Episcopis subsunt Presbyteri, seu Sacerdotes simplices,[1]) qui ab Episcopis obtinent jurisdictionem et facultatem, sine qua nihil Sacerdotalis agere possunt.[2]) Episcopis in Ecclesia Graeca praesunt Metropolitae, et Exarchi, qui quasi Patriarchae sunt, et in apice Patriarchae. In Ecclesia Russica et Graeca, loco Patriarchae, Synodus dirigens, negotia Ecclesiastica in suprema instantia decidit.

## §. 22. De Ecclesia Graeco Catholica.

Ecclesiam Graeco Catholicam constituunt illi Catholici Christiani, qui Ritum Graecum observant et disciplinam in Synodis Orientalibus decretam, per sanctam sedem Apostolicam approbatam, in sensu unionis Graecae et Latinae Ecclesiae in Concilio Florentino renovatae, cujus Decretum sequens est;

### Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Consentiente ad infra scripta carissimo in Christo filio nostro Joanne Palaelogo Romanorum imperatore illustri, et locatenentibus venerabilium Fratrum nostrorum patriarcharum, et caeteris orientalem Ecclesiam repraesentantibus.

Laetentur coeli, et exultet terra; sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem orientalemque dividebat Ecclesiam: et pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo caritatis et pacis utrumque jungente parietem, et perpetuae unitatis foedere copulante ac continente; postque longam moeroris nebulam, et dissidii diuturni atram ingentemque caliginem, serenum omnibus unionis optatae jubar illuxit. Gaudeat et mater Ecclesia, quae filios suos hactenus invicem dissidentes, jam videt in unitatem pacemque rediisse; et quae antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio Omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, et qui christiano censentur nomine matri Ecclesiae Catholicae collaetentur. Ecce enim occidentales, orientalesque Patres, post longissimum dissensionis atquae discordiae tempus, se maris et terrae periculis exponentes, omnibus superatis laboribus, ad hoc sacrum oecumenicum Concilium, desiderio sacratissimae unionis, et antiquae caritatis redintegrandae gratia, laeti alacresque convenerunt, et intentione sua nequaquam frustrati sunt. Post longam enim laboriosamque indaginem, tandem Spiritus Sancti

---

[1]) Synodus Hierosolymit. a. 1672. Capit. X. (Harduin T. XI. pag. 243.) Superiorem vero esse simplici sacerdotio pontificiam dignitatem, vel inde liquet, quod sacerdotem consecret Episcopus, non vero a sacerdote, sed a duobus tribusve Pontificibus, juxta Apostolorum Canones, Episcopus consecretur.

[2]) Canon. XXXIX. SS. Apostolor.

Clementia ipsam optatissimam sanctissimamque unionem consecuti sunt. Quis igitur dignas Omnipotentis Dei beneficiis gratias referre sufficiat? Quis tantae divinae miserationis divitias non obstupescat? Cujus vel ferreum pectus tanta supernae pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus divina opera, non humanae fragilitatis inventa, atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, et divinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe, fons misericordiarum, qui tantum boni sponsae tuae Catholicae Ecclesiae contulisti, atque in generatione nostra tuae pietatis miracula demonstrasti, ut enarrent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem divinumque munus nobis Deus largitus est: oculis videmus, quod ante nos multi, cum valde cupierint aspicere, nequiverunt.

Convenientes etiam Latini et Graeci in hac sacrosancta oecumenica Synodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus Sancti processione summa cum diligentia et assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum orientalium et occidentalium; aliquibus quidem ex Patre et Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum, et ad eam intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis; Graeci quidem asseruerunt, quod id quod dicunt Spiritum Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt ut excludant Filium, sed quia eis videbatur ut aiunt, Latinos asserere Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere tamquam ex duobus principiis et duabus spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus Sanctus ex Patre procedat et Filio. Latini vero asseruerunt, non se hac mente dicere Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons et principium totius deitatis, Filii scilicet et Spiritus Sancti; aut id, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes, sed unum tantum asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritus Sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus et idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infra scriptam sanctam et Deo amabilem, eodem sensu eademque mente unionem unanimiter concordarunt et consenserunt.

In nomine igitur Sanctae Trinitatis: Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, hoc sacro approbante universali Florentino Concilio definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur:

Quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre, simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit. Declarantes, quod id quod sancti doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur,

Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem; et quoniam omnia quae patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est.

Definimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandae gratia, et imminente tum necessitate, licite et rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae, sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem.

Item si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari; et ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, ac alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus (prout superius dictum est) sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item definimus, Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Cristo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et sacris canonibus continetur.

Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus, ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis et juribus eorum.

Datum Florentiae in sessione publica synodali in Ecclesia majori solemniter celebrata, anno Incarnationis dominicae mile-

simo quadringentesimo trigesimo nono, pridie nonas Julii, Pontificatus nostri anno nono.

(Sequuntur subscriptiones.)

## §. 23. Consequentiae ex pacto Unionis.

Ex eo, quod in Concilio Florentino communi Ecclesiae Graecae et Latinae consensu dogma enunciatum sit: Romanum Pontificem esse successorem Principis Apostolorum, Verum Christi Vicarium, totius Ecclesiae Christianae caput, totius generis humani patrem et Doctorem, universalis Ecclesiae Rectorem et Gubernatorem e divina institutione, consequitur: unionem consistere in subjectione sanctae sedi Apostolicae seu Romano Pontifici tamquam Magisterio communi et Regimini; hinc de pacto unionis:

1) Graeco Catholici eandem cum Latinis et ceteris Ecclesiae membris tenere et profiteri debent fidem, quam ab eodem communi Ecclesiae Magisterio discendam habent. Quidquid ergo in Conciliis Oecumenicis ab initio Ecclesiae usque finem seculorum auctoritate Romani Pontificis congregatis, aut approbatis et approbandis, fidei dogma enunciatum est, aut enunciabitur, id Graeco Catholicorum quoque fides esse debet. Ergo Graeco Catholici respectu fidei recipiunt omnia Concilia oecumenica non tantum orientalia, sed etiam occidentalia, aut ubicunque celebrata, et imposterum celebranda.

2) Utraque Ecclesia Graeca et Latina suum retinet proprium Ecclesiasticum Ritum per sanctam sedem Apostolicam approbatum, seu in quantum approbatus est, cum consensu sanctae sedis Apostolicae perfectibilem, nunquam tamen sine permissione summi Pontificis in quacunque parte mutabilem, aut reformabilem.

3) Cum omnium ovium et agnorum suorum curam concrediderit Christus Petro, et successoribus Pontificibus Romanis, Romanus Pontifex eandem habet supremi Pastoris potestatem in singulos Ecclesiae Catholice fideles sive Graeci, sive Latini, aut cujuscunque Ritus aut linguae illi sint. Nec possunt sine auctoritate Pontificis Romani ulli Pastores legitimi, sive Episcopi constitui, qui a Romano Pontifice, cujus omnes fideles proprii sunt, in quamcunque portionem gregis Domini accipere debent jurisdictionem. Romanusque Pontifex qua universalis pastor, etiam quoad Graecos fideles idem jus habet casus sibi reservandi, sicut quoad Latinos, jusque habet super petitionibus et querelis clericorum et fidelium etiam graeco catholicorum in suprema instantia cognoscendi et decidendi.

4) Cum eadem sint in Ecclesia fidei et morum principia, quibus ipsa Ecclesiastica disciplina superstructa est, hanc disciplinam toti Ecclesiae communem esse, seu dari in Ecclesia Catholica jus commune, consequens est: v. g. Matrimonium e capite

adulterii nec apud Graeco Catholicos solvi posse, quoniam commune est totius Ecclesiae catholicae principium, Apostolica, et Evangelica atque Catholica doctrina, seu dogma Ecclesiae: Matrimonium ratum et consummatum nonnisi morte solvi. (Vide Canonem 44-tum Apostolorum et 113-tium Carthaginensem.) Similiter in Matrimonio rato et consummato, neutrum conjugum habere potestatem absque alterius consensu professionem Monasticam eliciendi, quia est contra pactum seu jus naturale. Ad jus commune spectant etiam Decreta disciplinaria per summos Pontifices pro tota Ecclesia publicata, prout etiam decisiones curiae Romanae in expressis et analogis casibus (vide § 31). Si quae autem disciplina tam Graecae quam Latinae Ecclesiae singularis aut propria est, ea per sanctam sedem Apostolicam aut positive adprobata, aut non reprobata esse debet; quodcunque enim idem summus Ecclesiae Pastor et Rector non probaverit, regula in Ecclesia esse non potest. Idem valet etiam de consuetudinibus; reprobatae enim per summum Pontificem consuetudines pro abolitis considerandae sunt.

5) Quemadmodum sedes Apostolica non intermisit, quoties rationi consentaneum putavit, aut adsciscere in universam Latinam Ecclesiam Ritus, qui ad Graecam Ecclesiam pertinebant, aut permittere, ut peculiares quidam Ritus et observantiae, quae ab Ecclesia Graeca manarunt, in nonnulis Latinis Ecclesiis observarentur;[1]) quemadmodum inquam Ecclesia Latina plura a sorore Ecclesia Graeca, cum approbatione s. sedis Apostolicae adoptavit, ita Ecclesia Graeco Catholica, cessante per Schisma Graecorum legislatione disciplinari propria, cum praehabita ex Catholica unione, pro progredientium temporum circumstantiis, pro ulterioris vitae suae Ecclesiasticae evolutione haud sufficiebant, a sorore Ecclesia Latina plura adoptare necesse habuit, sicut est: electio Vicarii Capitularis sede Episcopali vacante. Celebratio Synodorum Dioecesanarum, cum Codex Ecclesiae Orientalis tantum de Synodis Episcoporum seu Metropolitanis et Patriarchalibus agat. De Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, aliaque, quae hoc Opere uberius exponentur, consequens est, haec quoque ad communem utriusque Ecclesiae disciplinam spectare, quae, ex Ecclesiae Graecae privatis fontibus non, sed ex Ecclesiae Latinae codice et legislatione innotescunt. Hanc proinde Graeco Catholicis noscere necessum est, etiamsi leges disciplinares pro Ecclesia Latina latae, suapte indole Graeco Catholicos haud obligent, nisi eae, sive expresse dum feruntur, sive postmodum peculiaribus sanctae sedis Apostolicae decretis etiam pro Graeco Catholicis praescribantur. Et ideo hoc opere etiam codicem Ecclesiae Latinae complectemur, ut Clerus Graeco Catho-

---

[1]) Benedict. XIV. „Allatae“ Nr. 28.

licus ejus quoque usum facere sciat in iis, in quibus codex Ecclesiae Graecae non sufficit.[1])

## §. 24. Notio Juris in genere, et Ecclesiastici in specie.

Jus[2]), in genere est dictamen rectae rationis aut positivae legis, enuncians: quid homini in externis suis ad alios relationibus liceat. Dividitur in naturale, si facultas agendi e dictamine rationis, sive ex indole hominis morali deducatur, et positivum, si facultas agendi positiva Legislatoris legibus expressa voluntate determinetur. Jus positivum iterum est vel civile, si legislator sit civilis, vel Ecclesiasticum,[3]) si legislator Ecclesiasticus sit. Jus Ecclesiasticum ergo sensu lato definitur: Est complexus legum et principiorum, quibus jura et officia juridica Ecclesiae ejusque membrorum, ut talium, pro exterioribus relationibus determinantur. Quo sensu ad Jus Ecclesiasticum spectant etiam multae leges naturales et positivae Divinae, quas infallibili sua auctoritate Ecclesia declarat, promulgat et urget. Sensu vero stricto Jus Ecclesiasticum est complexus legum, quae per potestatem Ecclesiasticam pro externis relationibus ad finem Ecclesiae proprium feruntur; seu est scientia disciplinae ecclesiasticae. Atque haec Jurisprudentia ecclesiastica est habitus leges ecclesiasticas interpretandi, iisque casus obvenientes applicandi.

## §. 25. Divisio Juris Ecclesiastici.

Jus Ecclesiasticum dividitur: 1) Ratione modi, quo leges Ecclesiasticae innotescunt, in scriptum, si leges litteris mandatae seu scriptae sint, et non scriptum, si leges traditione aut consuetudine nitantur. 2) Ratione temporis, in vetus (in Ecclesia Latina ante tridentinum) pro ecclesia vero Graeco Catholica ante-photianum, et novum, (latinum post-tridentinum, graecum vero-postphotianum). 3) Ratione subjectorum, pro quibus leges feruntur, in commune, quatenus omnes Ecclesiae fideles obligant, et particulare, seu leges pro particularibus coetibus ecclesiasticis latae; ideo Jus Graecum, et Jus Latinum, vel patriarchale, provinciale, dioecesanum. 4) Ratione objecti, in generale seu fundamentale quatenus exponit cognitiones Juris ecclesiastici prima-

---

[1]) Ipsi Pedalionis, seu Codicis Canonum Graeci commentatores Schismatici Nota 2. ad Canonem II. Trullanum inquiunt: Quemadmodum Concilium Oecumenicum V. acceptavit opera S. Augustini et Ambrosii, in quibus propugnarunt fidem contra haereticos; ita et nos quae congruunt Synodorum Occidentalium acceptamus.

[2]) Porubszky. Pag. 2.

[3]) Alias Canonicum a Canone seu regula nominatum, etiam sacrum, ad distinctionem a Jure profano.

rias dogmaticas de constitutione Ecclesiae et ejus ad universum genus humanum relatione; vel speciale, de juribus et officiis, quae e triplici Ecclesiae potestate: docendi, functiones sacras obeundi, et regendi profluunt [1]) Alii autem dividunt Jus Ecclesiasticum ratione objecti, ad analogiam Juris civilis, ex principio, quod Ecclesia sit societas inaequalis, in qua est Regimen, et qui reguntur, in publicum, quod Ecclesiae et qui potestatem in ea gerunt, ac privatum, quod privatorum Ecclesiae membrorum jura et officia exponit; publicum iterum in internum, quod eorum, qui in Ecclesia praesunt, jura et officia exponit, et externum, quod relationem Ecclesiae ad Civitatem et Acatholicos determinat; privatum vero rursus tres partes complectitur, nempe de personis, rebus, et judiciis, quam divisionem nos quoque retinemus, et juxta eam Jurisprudentiam hanc Ecclesiasticam pertractabimus.

## §. 26. Jurisprudentiae Ecclesiasticae necessitas et utilitas.

Ex eo, quod Ecclesia sit societas a Deo ipso instituta, cujus leges ad observandum feruntur, membra Ecclesiae eas leges scire debent. Imprimis autem Clericis summe necessaria est scientia Jurisprudentiae sacrae, sine qua officio suo applicandi leges ecclesiasticas tum ad se, tum etiam ad concreditos fideles, respondere non possunt.[2]) Unde recte praecepit Coelestinus Pontifex: „Nulli sacerdotum liceat Canones ignorare".[3]) Laicis etiam imprimis Advocatis, Judicibus, et iis, qui a consiliis Principum sunt. Namque *a*) Jus Ecclesiasticum suprema omnis juris et divini principia tradit, *b*) Jus hoc in ipsam vitam civilem maximum habet influxum, *c*) Jus Ecclesiasticum ponit et determinat limites utriusque potestatis tam ecclesiasticae quam civilis, a quorum observantia concordia inter sacerdotium et imperium dependet.

## §. 27. De Fontibus Juris Ecclesiastici.

Fons Juris est ratio, propter quam norma aliqua sive regula vim obligandi habet, quae juxta Ecclesiae constitutionem est auctoritas legislatoris, idest potestatis ecclesiasticae § 12, quae semper viva est, et pro quolibet determinato tempore eidem normae impertitur vim obligandi hic et nunc suos subditos, sive norma illa antiquissima sit et non revocata, sive de novo praescribatur, sive in legitima consuetudine fundamentum agnoscat, sive naturam habeat legis generalis aut particularis. At vero

---

[1]) Porubszky. Pag. 3.
[2]) C. 1. de Constit.: Nemo in actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed canonum auctoritate ducatur.
[3]) C. 4. D. 38. V. et C. 1. ibid.

quoniam vi principii commemorati legislatio Ecclesiae characterem praesefert cujusdam evolutionis organicae et historicae, et Ecclesia, seu potestas legislativa est essentialiter conservatrix, idcirco cognitio Juris ecclesiastici actualis et vigentis seu omnium normarum, quae heic et nunc vim obligandi habent, exigit et supponit cognitionem legislationis et juris, quae anteactis temporibus viguerunt, atque ita etiam documenta historica, quae legislationem et consuetudines Ecclesiae nobis conservant, fontes juris appellantur, quatenus ex documentis iisdem noscere possumus quae normae, seu regulae obligandi vim habuerint praeteritis temporibus, quae abrogatae fuerint, et quae eamdem obligandi vim in praesentiarum quoque habere pergunt. Sed normae positivae quae in Canonibus conciliorum, in Decretalibus summorum Pontificium, et in legitima consuetudine continentur, hic et nunc relate ad nos nec vim obligandi habent, nec fontes sunt Juris ecclesiastici, nisi quatenus a praesenti legislativa auctoritate expresse aut tacite obligandi vis in iisdem agnoscitur. Quapropter ad hoc ut determinetur quodnam sit Jus Canonicum actu vigens et obligans, haud sufficit in medium proferre Canones conciliorum et Pontificias decretales, collectionem aliquam sive authenticam, sive privatam, vel alicujus sancti Patris sententiam, sed demonstrare insuper oportet obligationem ab iis Canonibus, decretalibus etc. inductam adhuc perdurare, et sustineri a praesenti legitima Ecclesiae auctoritate. His praemissis speciales Fontes Juris Ecclesiastici sunt ;

## §. 28. Divina Revelatio.

Auctor Ecclesiae Deus est, secundum ejus Revelationem, quam cognoscimus ex sacra Scriptura et Traditione. Sacra Scriptura est veteris et novi Testamenti. Prior, etiam si fontem Juris Ecclesiastici proprie non constituat, quia tamen utrumque Foedus arcto inter se nexu junctum est, novum enim Foedus in veteri latet, et vetus in novo patet, magna est etiam veteris Testamenti sacrae Scripturae in Jure ecclesiastico utilitas. Ita plura Juris ecclesiastici capita e veteri Foedere illustrantur et confirmantur, sic dogma de distinctione inter Clericos et Laicos etc.; item argumenta gravia ex eo desumi possunt pro variis Cleri et Ecclesiae immunitatibus, eo majori ratione Ecclesiae Christianae competentibus, quod eae Sacerdotibus et Ecclesiae veteris Foederis quoque concessae fuerint. Plures etiam leges veteris Testamenti, quatenus ad rectum Christianae quoque societatis regimen conducere videbantur, prout poenae Exod. 21. et 22. contra homicidas, fures, adulteros; item de decimis, de prohibito matrimonio ob cognationem et alia.

Imprimis autem sacra Scriptura novi Testamenti proprius Juris Ecclesiastici fons est, in qua fundamentales Ecclesiae Christianae leges, ab ipso Salvatore generis humani et auctore Ec-

clesiae Jesu Christo Deo latae, tamquam leges constitutivae depositae comprehenduntur.[1])

Sed et traditionem Ecclesia orientalis ut fontem legum suarum veneratur, teste S. Basilio Magno Can. 90. et 91.: „Multas inquit, innumerasque habet Ecclesia non scriptas traditiones. Traditiones etiam non scriptae juxta Apostolum observandae sunt, ait enim: „Laudo vos, quoniam prout tradidi vobis traditionem, ita observatis"; item alibi: „Observate traditiones prout percepistis".[2]) Relate ad Revelationem observandum est, quod normae constitutivae Ecclesiae fundentur in dogmate, quodque eaedem normae immutabiles sint quoad substantiam, attamen quoad expressionem, applicationem et evolutionem possunt in Ecclesia subjici, et reapse subjectae fuerunt, accidentalibus mutationibus quin minimum damnum inferatur infallibili et irreformabili veritati dogmaticae, cui innituntur.

## §. 29. Sanctorum Patrum auctoritas.

Sanctos Patres ut Ecclesiae Doctores Ecclesia orientalis veneratur, proinde consona eorum, qua Interpretum legum Ecclesiae fundamentalium, et constitutivarum in sacra Scriptura comprehensarum, effata Ecclesia orientalis suscipit; imo, aliquorum sanctorum Patrum constitutiones inter canonicas adoptavit, et corpori Juris Ecclesiastici adjecit. Possunt ergo esse sancti Patres fontes Juris Ecclesiastici vel qua testes relate ad principia fundamentalia, ad legislationem, ad consuetudines, vel qua auctores quarumdam normarum juris a potestate legislatrice admissarum.

## §. 30. Libri Ecclesiae liturgici, euchologici et chorales.

Confessionem Ecclesiae exhibent Libri liturgici, ad celebrationem sacrae liturgiae seu sacrificii incruenti oblationem, euchologici, ad administrationem sacramentorum, et ceterarum functio-

[1]) Nota. Praecepta, quae in SS. Libris novi Testamenti continentur alia sunt divina, alia apostolica (1. Cor. 7. 10. et 12.) Inter quae ea est differentia, quod praecepta divina, seu quae ipse Christus dedit, vel apostoli ex ore Christi accepta descripserunt, nulli derogationi vel abrogationi sunt obnoxia, sed perpetua et inviolabilia manere debeant: at vero praecepta, quae Apostoli propria auctoritate tradiderunt, quamquam in sacris literis legantur, ab Ecclesia vel Pontificibus, ut reliquae ecclesiasticae leges, possunt immutari, relaxari aut etiam contrariis legibus vel moribus abrogari, sicut v. g. praeceptum Apostolorum de non comedendo sanguine animalium, quem hodie etiam Graeci comedunt. Vide Porubszky pag. 7.

[2]) Orthodoxa Confess. Eccl. Orient. Parte 1. qu. 4.: Gemina ac duplicia Ecclesiae dogmata sunt; alia literis mandata, quae divinis sacrae scripturae libris comprehensa habentur, alia viva voce ab Apostolis tradita, atque haec ipsa sunt que postmodum a conciliis, sanctisque Patribus plenius declarata sunt; binisque hisce fundamentis fides superstructa exstat.

num sacrarum, atque chorales, quibus Ecclesia in persolvendo cultu divino publico utitur. In his fides Ecclesiae etiam quoad propriam institutionem et constitutionem divinam deposita, ordo et ratio cultus divini persolvendi exhibita, atque Ecclesiae religiosa vita externa determinata exhibetur; hi proinde libri per potestatem ecclesiasticam probati, fontem Juris Ecclesiastici constituunt. Hic fons tanto majorem considerationem meretur, quod idem constantem omnium saeculorum fidem et observantiam ecclesiasticam exhibens, communemque totius Ecclesiae Christiano-Catholicae sensum exprimens, omnium ab hoc sensu deviantium placitorum, sive schismaticorum sive etiam haereticorum, validissimam refutationem constituat.

## §. 31. Constitutiones Romanorum Pontificum.

Cum Ecclesia Orientalis Catholica cum Concilio Florentino semper crediderit et credat Romanum Pontificem esse supremum Ecclesiae Caput, cui Christus curam commisit pascendi suum gregem, fratres confirmandi, et sanciendi Canones, qui ejusdem Ecclesiae normas et regulas constituant, Ecclesia Catholica orientalis, non secus ac occidentalis, Constitutiones Romanorum Pontificum pro fonte Juris ecclesiastici habet. Sunt autem Constitutiones hae Pontificiae solemnes literae, quibus Pontifices, tamquam totius Ecclesiae Rectores, quid tenendum et observandum sit, decernunt. Quas si edat Pontifex motu proprio, vocantur decreta; si ad consultationem vel relationem aliorum, decretales; si vero dirigat ad Episcopos totius orbis, vel alicujus regionis, encyclicae nominantur. Nostro tempore autem nomen Decretalium prae valet. Suntque Decretales aliae quae legem constituunt pro universa Ecclesia, seu jus commune; aliae quae particulares Ecclesias respiciunt; denique quae pro singularibus casibus, in quibus principia et normae canonicae peculiaribus casibus aptantur, imprimis in Rescriptis Pontificum quae justitiae dicuntur, quibus jus dubium explicatur, quaestiones propositae solvuntur, ad alicujus preces Judicem delegat, etc. quae, quantum Pontifex gerit personam Legislatoris, pro analogis casibus perinde jus commune constituunt, expediuntur. Emittit etiam Pontifex Rescripta Gratiae dicta, per quae favores largitur e. g. beneficium, privilegium, dispensationem concedit; quae tamen legem generalem non constituunt, et valent pro personis tantum et casibus pro quibus feruntur.

Etiamsi autem Jus commune Ecclesiam orientalem non secus ac occidentalem obliget, attamen Constitutiones disciplinares Romanorum Pontificum sub conditionibus tantum Ecclesiam orientalem adtinent, quas Benedictus XIV. Constitutione sua „Allatae sunt" § 44. determinat, cujus verba haec sunt: „Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificiis Constitutionibus nisi in tribus casibus: 1) in materia dogmatum

fidei; 2) si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem, et disponat de praedictis; 3) si implicite in iisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum concilium.

## §. 32. Canones Conciliorum.

Ecclesia orientalis non modo Canones Conciliorum oecumenicorum, sed etiam particularium Synodorum per universalem consensum acceptatarum, Codici suo ecclesiastico inscripsit; atque ob hanc ipsam communem acceptationem, Synodis particularibus eandem quam Conciliis oecumenicis tribuit auctoritatem. Orthodoxa Confessio Parte 1 qu. 72. hac de re inquit: Quidquid SS. Patres, in omnibus universalibus, atque particularibus orthodoxis Conciliis, quocunque tandem loco habitis statuerunt, id a Spiritu Sancto profectum esse credas oportet. — Quae quidem intelligi debent de conciliis oecumenicis rite celebratis, deque Synodis etiam particularibus, ubi tamen Catholicae Ecclesiae consensus, ac imprimis Sedis Apostolicae adprobatio accesserit. Prout Julius Pontifex ad Episcopos orientales Antioch. (apud Socrat. H. E. L. 2. C. 13. edit. Basil. 1570.) enunciavit: „Cum Canon ecclesiasticus vetet, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur.“ Unde patet Canones disciplinares Conciliorum oecumenicorum, atque Synodorum particularium Codici Ecclesiae orientalis inscriptos eos tantum in Ecclesia orientali legem constituere posse, qui per Sanctam Sedem Apostolicam aut positive probati, aut saltem reprobati non sunt. Ex eo enim, quod plurimis Conciliis orientalibus, oecumenicis autem omnibus, legati sedis Apostolicae interfuerint, et Decreta Synodalia subscripserint, ipsius etiam Apostolicae sedis assensus aut approbatio induci nequit, prout constat, pluribus talibus Canonibus approbationem a S. Sede Apostolica denegatam, imo plures expresse rejectos esse. Ipse S. Augustinus rejecit, quod Apostolicae Sedis non sanxit auctoritas, cujus sanctio universam Ecclesiam obligat (Libr. 2. contra Crescon. C. 32.) Non accipio, inquit, quod de baptizandis haereticis et schismaticis b. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia (sedes Apostolica) non accipit. Ideo Epistola S. Cypriani et Synodi ejus „de rebaptizandis omnibus haereticis“ Codici Ecclesiae orientalis inserta, sicut etiam Canon II. Trullanus quoad eandem Epistolam et Canones anteriores per S. Sedem Apostolicam reprobatos, et alii similes Canones ab eadem S. Sede reprobati, quoad Graeco-Catholicos nullius vigoris sunt. E contra vero Canones Conciliorum occidentalium, qua decisiones in causa fidei et morum, et quantum jus commune constituunt, etiam pro Graeco-Catholicis regulae sunt. Ipsis etiam non unitis Graecis (Nota 2. ad Canonem II. Trullanum in Pedalion) confitentibus: se quoque ea, quae congruunt Synodorum occidentalium acceptare.

## §. 33. Consuetudo.

Consuetudines dummodo fuerint rite ac legitime introductae, ad fontes juris ecclesiastici pertinent. Est autem consuetudo in scientia Juris : frequentia actuum alicujus communitatis in iisdem circumstantiis aequabilium,[1]) cum animo se obligandi, aut jure suo utendi, qua nota distinguitur a simplici usu vel observantia non animo obligandi introducta. Consuetudinis fundamentum est causa rationabilis, opinio nempe necessitatis aut utilitatis Ecclesiae, quae communitatem Ecclesiasticam cogit cum voluntate superioris certos mores et observantias introducere, atque consequentes actus in iisdem circumstantiis ponere. Ex hinc oritur Jus consuetudinarium,[2]) alias non scriptum nuncupatum, eo quod non scriptis legibus, sed consensu praescriptis moribus nitatur. Differt a Traditione, lex enim traditionalis proficiscitur immediate a Legislatoris viva voce, lex autem consuetudinis ab actibus. Consuetudo Canonica est positiva, aut negativa, prout consistit in positione aut omissione actuum. Item universalis, particularis et specialis, prout in universa Ecclesia, vel in aliqua tantum Provincia ecclesiastica, vel denique in singulari loco obtinet; rationabilis porro et irrationabilis, bona, vel mala; praescripta, et non praescripta, a jure permissa, vel prohibita, reprobata, et abrogata. Porro consuetudo secundum, praeter, vel contra jus ; prima est, si actus legi sint conformes ; secunda, si actus nulla lege praecepti sint,[3]) tertia, dum lex scripta vel usu nunquam recipitur, vel jam recepta non servatur.

## §. 34. Characteres legitimae consuetudinis.

Cum omnis lex ecclesiastica ex principio necessitatis aut utilitatis ad finem Ecclesiae derivanda sit, etiam consuetudo ut legis vigorem habere possit, ad finem Ecclesiae aut necessaria aut utilis esse debet : seu ut religioni conveniat, disciplinae ecclesiasticae congruat, et saluti proficua sit, hocque in casu consuetudo est rationabilis, salutaris, secus autem irrationabilis et mala. Unde sequitur: 1) quod consuetudo legalis juri divino et naturali, ac principiis religionis Catholicae contraria esse non possit ; ideo e. g. consuetudo aliquando imprimis apud orientalis Ritus Christianos observata, ut e capite adulterii Matrimonium quoad vinculum solvatur, enunciato dogmate Ecclesiae Catholicae de absoluta indissolubilitate matrimonii Christianorum rati et consummati, qua illegalis, abrogata est. Eadem ratione consue-

---

[1]) Porubszky § 9.

[2]) Nomocanon Photii Tit. I. Cap. III. : ut consvetudo ecclesiastica non scripta servetur ut lex.

[3]) Scholion ad Tit. I. Cap. III. Nom, Can. Photii: De quibus causis nulla scripta lex est, custodiri oportet mores et consuetudinem.

tudines superstitionem redolentes, aut bonis moribus seu christianae moralitati adversae corruptela rectius sunt nuncupandae; ideoque hae consuetudines irrationabiles, quo spectant etiam eae, quae contra constitutionem Ecclesiae v. g. ut Presbyteri in Synodis dioecesanis voto decisivo gaudeant, aut Laici in negotia spiritualia influant, aut doceant, prout etiam quibus disciplina ecclesiastica in periculum adducitur, sicut est toleratio matrimoniorum Presbyterorum aut Clericorum post ordines majores initorum, aut denique quoquomodo Ecclesiae noxiae, legitimae consuetudines haud sunt. 2) Ex eodem principio, quod omnis lex ecclesiastica scripta aut necessaria aut utilis Ecclesiae sit, non est legitima consuetudo contra expressam legem (Schol. ad Tit. I. Cap. III. Nomocanon. Photii), „Fieri enim potest ut per desuetudinem jure aliquo non utamur, non autem ut contra legem utamur.“ Hoc imprimis tenendum est de Concilio Tridentino juxta Constitutionem Pii IV. In Principiis. Haec tamen regula non potest statui quoad leges non fundamentales, quibus contraria consuetudo omnino derogare potest. Fieri enim potest, ut mutatis temporibus atque adjunctis quod antea utile fuerat possit evadere inutile, ideo quemadmodum lex posterior derogat priori, sic et consuetudo scriptae legi. — Porro ut consuetudo legitima sit, requiritur consensus et voluntas totius communitatis ecclesiasticae aut saltem majoris partis, ideo consuetudo particularis universali cedere debet. Praeterea, cum nulla lex absque consensu Legislatoris existere possit, consensus hic necessarius est etiam quoad legem consuetudinariam. Est autem consensus Legislatoris vel expressus, dum Legislator aperte declarat se consuetudinem adprobare; vel tacitus, dum Legislator notae sibi consuetudini non contradicit. Unde sequitur, omnem consuetudinem legitimam notoriam esse debere, quae Legislatori innotescere possit. Sola autem dissimulatio non facit consensum, et ideo non omnis consuetudo cui Legislator non contradicit, lex est. Etenim S. Sedes Apostolica saepe consuetudines, quas propter tempora Ecclesiae infausta etiam ultra 40. annos dissimulaverat, mutatis temporum adjunctis illegitimas declaravit. Demum consuetudo ad quam adminimum duo actus in iisdem circumstantiis repetiti requiruntur, debet esse constans, seu quae diuturniori tempore absque interruptione duret. Canonistae 10. annorum durationem requirunt.

## §. 35. Probatio Consuetudinis.

Consuetudo probatur si demonstretur continuus usus animo deobligandi introductus, cui Legislator non contradixit; cujus testes sunt imprimis Episcopi, item Acta Synodorum provincialium et dioecesanarum. Ad probandam autem consuetudinem contra jus, requiritur demonstratio, quod talis consuetudo in judicio contradictorio adminus semel fuerit probata. Ad consuetu-

dinem vero immemorialem requiritur ut testes sint adminus 54. annorum, et testificentur consuetudinem se scientibus adminus 40. annis fuisse observatam, quodve de anteriori ejus observantia a suis majoribus audierint. (Gloss. ad C. 1. de praescr. in 6. v. memoria.)

## §. 36. Effectus Consuetudinis.

Generatim loquendo consuetudo legitime introducta non solum habet vim legis, sed neque ei derogari potest per legem posteriorem nisi expressa ejusdem fiat mentio (Cap. 1. de consuet. in 6-to) cujus effectus est 1) Consuetudo ut lex actus contrarios facit nullos, 2) Consuetudo secundum jus, legem praeexistentem facit firmiorem estque optima legum interpres (Cap. 8. de Consuet.) 3) Consuetudo praeter legem novum jus inducit. 4) Consuetudo contra jus, legem praeexistentem et quidem vel ex toto vel tantum in parte e. g. quoad adnexam poenam manente obligatione sub culpa, abrogare potest.

## §. 37. De Abrogatione Consuetudinum.

Jus consuetudinarum abrogatur *a*) per legem generalem cum speciali derogatione: non obstante consuetudine contraria, vel non obstante quacunque consuetudine, vel non liceat vigore consuetudinis hanc legem infringere; *b*) per legem specialem contrariam; *c*) per improbationem consuetudinis, si Legislator dicat: consuetudinem hanc improbamus, cum haec consuetudo corruptela sit censenda; *d*) per expressam abrogationem, quam potest facere etiam Episcopus quoad consuetudinem particularem; *e*) per consuetudinem contrariam; *f*) per desuetudinem.

## §. 38. De Constitutionibus Principum.

Quaedam insuper civiles leges ex codicibus praesertim Theodosiano ac Justinianeo eductae, in corpore Juris Canonici referuntur, non quia hujusmodi leges jure suo ad ecclesiasticam jurisprudentiam pertineant, quippe quae propria est solius Ecclesiae, sed quoniam vel a Conciliis, vel ab Ecclesiae Pastoribus sui juris corpore comprehensae sunt, omnibusque propositae ut legis loco habeantur.

## §. 39. Historia Juris et Codicis Ecclesiae orientalis.

Primis Ecclesiae saeculis in defectu legum scriptarum traditiones apostolicae observabantur, quas Episcopi custodiebant, et juxta eas observantias disciplinares praescribebant. Quae ut in continuo usu retinerentur, sensim inter saeculum secundum et tertium in breves regulas redactae nomine canonum Apostolorum insignitae sunt Numerus eorum initio 50., quos etiam Dionysius

exiguus saeculo V. in suum codicem recepit, postmodum autem evaserunt 85, qui in codice Ecclesiae orientalis primi occurrunt, atque etiam in codice Ecclesiae occidentalis ad calcem secundae partis Decreti Gratiani prostant. Non habebant tamen universalem auctoritatem; in occidente enim primum saeculo V. aliqua auctoritate pollere coeperunt, imo inter Apocrypha scripta relate ad nomen Apostolorum quod praeseferebant computabantur.[1])

Alia Collectio erat: „Octo libri Constitutionum Apostolicarum", S. Clementi Romano falso adscriptae, qui continent multa disciplinae saeculi V., ab haereticis tamen interpolati, per Concilium Trullanum ideo rejecti, nec aliqua auctoritas iis ab Ecclesia tribuitur.

## §. 40. Canones Conciliorum.

Cum vita ecclesiastica, quantum a persecutionibus Christianorum respirare licuit, se evolveret, ad hocque Synodi partim provinciales, dein vero etiam oecumenicae celebrarentur, harum decreta pro universa Ecclesia, priorum vero pro Ecclesiis tantum, quarum Episcopi iis Synodis interfuerunt, valebant; seriusque in eandem collectionem Canonum recepta, ex iis Codificatio legum ecclesiasticarum initium coepit, certumque est, in Concilio Chalcedonensi allatum fuisse codicem Canonum, sed non est facile judicatu quot et quos Canones codex ille complecteretur. Generatim conveniunt eruditi, quod omnium Canonum in dicto codice relatorum series quaedam confecta fuerit, notatis singulis canonibus per numerum progredientem, incipiendo a viginti Canonibus Concilii Nicaeni primi; hinc sequebantur viginti quinque Canones Concilii Ancyrani, et quatuordecim Neocaesarienses, deinde viginti Concilii Gangrensis, et viginti quinque Antiocheni, nec non probabiliter etiam Canones Concilii Constantinopolitani, quemadmodum dignoscitur ex querimoniis legatorum Apostolicae sedis in praedicto Concilio Chalcedonensi.[2]) Hoc tamen non obstante dici nequit tempore Concilii Chalcedonensis exstitisse collectionem Canonum ab universali Ecclesia approbatam, cum in ipso Concilio Chalcedonensi diversae collectiones Canonum productae fuerint. Christophorus quidem Justellus collectis antiquissimis Canonibus una cum Canonibus Concilii Chalcedonensis proprium efformavit codicem cui titulus tributus est „Codex Canonum Ecclesiae universae." Sed hic titulus arbitrarius imo falsus est, si consideretur Ecclesiam occidentalem et imprimis Romanam incoepisse admittere aliquot Canones Ancyranos, Neocaesarienses etc. post saeculum V.; et Canones Concilii Constantinopolitani I. approbati non fuerunt ne sub finem quidem sae-

[1]) C. 6. §. 64. D. XV. (Conc. Rom. a 494.) C. 1. D. XVI. Isid.

[2]) Vide Labbe Tom. IV. Concil. Col. 14. 27. — Vanespen Diss. IV. de pristino Codice Graecorum. Divoti Jus Canonicum Tom. 1. f. 341. Christianus Lupus etc.

culi VI., quemadmodum constat ex Gregorio Magno (lib. 7. ep. 34. ad Eccl. Alexandr.). Ipse etiam Dionysius Exiguus ad finem saeculi V. proprium construxit codicem, translato ex Graeco antiquo codice Canonum, additis insuper quinquaginta Canonibus dictis Apostolicis, quot in veteri codice erant, praeterea Canonibus Chalcedonensibus, viginti et unum Concilii Sardicensis, ac denique centum triginta et octo Canonibus Africanis ex latino textu descriptis; deinde vero evulgavit litteras decretales summorum Pontificum a Syricio usque ad Anastasium, unde divergentia variorum codicum conspicua est ad opinionem de codice Canonum Ecclesiae universae refutandam.

## §. 41. Leges Civiles.

Etiam Imperatores Christiani circa res ecclesiasticas Edicta ediderunt, quae in codicem ecclesiasticum relata sunt. Memorabilis est collectio Edictorum Theodosii II. (438.) quae Edicta pro Occidente per Valentinianum Imperatorem confirmata sunt.[1]) Adeoque prioribus Ecclesiae saeculis Jus ecclesiasticum constituebant Canones dicti Apostolorum, item Conciliorum, decretales vel Epistolae Pontificum, et Edicta Imperatorum, quantum per Ecclesiam acceptata sunt.

## §. 42. Continuatio Historiae.

### A quarto usque octavum Concilium Oecumenicum.

Circa finem saeculi V. collectio Canonum Ecclesiae orientalis complectebatur Canones Apostolorum 85, item Conciliorum Nicaeni I., Ancyrani, Neocaesariensis, Sardicensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani I., Ephesini, et Chalcedonensis, quibus Justinianus Imperator civilem quoque auctoritatem tribuit.[2]) Quae Canonum collectio in certum quemdam systematicum ordinem redigi coepit, et quidem primo per Joannem Presbyterum Antiochenum dein Archi-Episcopum Constantinopolitanum, qui etiam sexaginta octo Canones sancti Basilii adjecit, dividens totum codicem in 50. Titulos.[3]) Accesserunt dein Canones poenitentiales Joannis Jejunatoris Archi-Episcopi Constantinopolitani[4]) Omnes tamen hae collectiones fuerunt privatae, donec Concilium Trullanum Canone suo II. determinasset complexum codicis ecclesiastici, cui posterius accesserunt ipsius

[1]) Walter §. 65.
[2]) C. 45. C. de Episc. (1. 3.) Nov. 6. C. 1. §. 8. Nov. 131. C. 1.
[3]) Prostat apud Justellum Tom. II. a pag. 499.
[4]) Apud Morin. Comment. histor. de disciplina in administratione Sacram. poenit. Paris 1651. et in Pedalion.

Synodi Trullanae Canones 102. et 22. Concilii Nicaeni II. (787.) quod pariter Canones omnes per Concilium Trullanum acceptatos una cum Canonibus Trullanis acceptavit.

## §. 43. Leges Civiles.

Codex Theodosianus per Justinianum Imperatorem reformatus (534.), qui etiam peculiares constitutiones quoad res ecclesiasticas edidit, et quidem Novellas 168. (apud Leunclav Juris Graeco Rom. Tom. II.). Etiam Imperatores sequentes emiserunt edicta circa res ecclesiasticas. Heraclius (641.), Leo Isaurus (741.), Constantinus V. (775.), Nicephorus (811.), Theophilus (842.) ex quibus omnibus edictis Imperatorum ad finem saeculi IX. facta est collectio sub nomine „Basilicalia." — Hae dein constitutiones civiles cum Canonibus in Nomocanonem conflatae sunt, prout jam Joannis Scholastici §. 42. supra adductum opus exhibet, citatis canonibus subjungens correspondentes leges civiles. Photius autem Constantinopolitanus Patriarcha, assumptis etiam subsequis Conciliorum, ac ante se et sub se annis nempe 861- et 878-o Constantinopoli celebratarum Synodorum Canonibus, non item et VIII. Concilii Oecumenici (869.) in quo ipse depositus fuerat, et ideo etiam illud in Synodo 879-o proscripserat; praeterea assumptis Constitutionibus Imperatorum usque ad sua tempora editis, celeberrimum construxit Nomocanonem, quem graeci-non-uniti inter fontes juris ecclesiastici recensent. Nomocanon Photii dividitur in 14. Titulos, singulus Titulus in Capita.[1])

## §. 44. Historia Juris post Photium.

Postquam sub Imperatore Leone, Photius altera vice depositus fuisset, Nomocanon ejus non statim plenam nactus est auctoritatem, sed solum saeculo 10-mo coepit respectari penes usum tamen etiam Nomocanonis Joannis Scholastici, atque legum Civilium circa res ecclesiasticas editarum, quarum collectio „Basilicalia" cum codice Justiniani in judiciis adhibebatur: Leges tamen Justiniani serius Basilicalibus cesserunt; quibus accesserunt compendia Juris Civilis ab Imperatoribus Basilio, et Leone publicata, quae etiam in codicem Canonicum assumpta sunt. Accepit autem codex Ecclesiae orientalis ulteriora incrementa ex Synodalibus decretis Patriarcharum Constantinopolitanorum, sicut etiam e constitutionibus Imperatorum Leonis Philosophi (911.), Constantini Porphirogenitae (961.), Alexii Comneni (1118.), Joannis Comneni (1143.), Isaci Angeli (1185—90.)

[1]) Vide apud Justell. Tom. II. a pag. 813.

## §. 45. Interpretes Codicis Ecclesiae orientalis.

Codicem Canonum Ecclesiae orientalis saeculo XII. interpretandum susceperunt e Graecis, Theodorus Balsamon, qui floruit temporibus Michaelis Comneni Imperatoris ad finem saeculi XII. qua Nomofilax et Chartofilax Ecclesiae Constantinopolitanae, postmodum capta per Venetos 1203. Constantinopoli, Patriarchalem sedem Antiochenam consecutus; qui adhuc Diaconus ex mandato Imperatoris scripsit commentarium in Nomocanonem Photii, omnes Canones tam Apostolicos, quam Synodicos, et S. Patrum. Alter Interpres Canonum extitit Joannes Zonaras, Balsamone tempore prior, qui floruit ad initium saeculi XII. Anno nempe 1118. sub Alexio Comneno Imperatore, Monachus in Monasterio S. Gliceriae. Tertius Interpres Alexius Aristenus, circa annum 1166. tum Diaconus Ecclesiae Constantinopolitanae, construxit hic simul Synopsim Canonum. Horum trium celebratissimorum virorum commentaria exhibet Guilielmus Beveregius, Ecclesiae Anglicanae Presbyter, qui saeculo XVII. edidit codicem Ecclesiae orientalis graece et latine 1672-o sub Titulo: Pandectae Canonum SS. Apostolorum, et Conciliorum ab Ecclesia Graeca receptorum, cum Scholiis supra nominatorum Interpretum; addidit etiam Aristeni Synopsim Epistolarum Canonicarum, atque Matthaei Blastaris Syntagma Alphabeticum, ac proprias in obscuriores Canones adnotationes.

Saeculo XIV-to scripsit Constantinus Harmenopulus, Epitome Juris ecclesiastici in 6. Sectionibus, (apud Leunclav. Jus Graeco Rom. Tom. I. libr. 1.) Plura apud Biener, de Collectionibus Canonum Ecclesiae Graecae.

## §. 46. De Codice Ecclesiae Russicae.

Ecclesia Russica, prima jam aetate sua, cum ritu Ecclesiae Constantinopolitanae codicem quoque Photii adoptavit, et quidem lingua originali, cum primi Russorum Sacerdotes et Episcopi fuerint plerumque nati Graeci; seculo tamen undecimo prostabat etiam Nomocanon aliquod lingua russica[1]), donec a seculo 13-tio plures jam collectiones Canonum et legum ecclesiasticarum lingua russica conscriptae memorantur, qualis est illa, quam anno 1274-to in Synodo Vladimirensi publicavit Cyrillus II. Metropolita Chioviensis, quam acceperat a Sviatislao Principe Bulgarorum.[2]) Alia versio Nomocanonis Graeci procurata esse dicitur a Cypriano Metropolita Moskowiensi 1406-to.[3]) Ac etiam Syntagma Blastaris in slavonicam linguam versum est. His ac-

---

[1]) Biener Collect. Can. Eccles. Graec. p. 51. 52.
[2]) Biener Collect. Can. Eccles. Graec. p. 53—58.
[3]) Ibidem p. 58. et Strahl Gelehrtes Russland. p. 73.

cesserunt etiam constitutiones Principum Russiae, imprimis Joannis III. Wassiljevitsch de anno 1498., et Joannis IV. Wassiljevitsch de anno 1550-mo; atque etiam constitutiones Metropolitarum Russiae partim literis pastoralibus, partim in Synodis editae.[1])Hodie in Russia imprimis tres collectiones sunt in usu, nempe: Manuale Nomocanonis, quod continet extractum e Canonibus Conciliorum et SS. Patrum ad usum Cleri;[2]) dein quam procuravit Patriarcha Russorum Nikon, Moskoviae 1649- et 1650-mo typis procusa, et 1653. omnibus Ecclesiis transmissa sub titulo „Kormczaia Kniga", seu Liber Gubernatoris Navis, seu Ecclesiae; compositus est hic Codex ex antiquioribus collectionibus Graecis, in specie adhibitis pluribus manuscriptis ex classe Aristeni et Zonarae. Dividitur in 70. Capitula, ex quibus 41-num Capitula primam partem Codicis constituunt, nempe Canones Apostolorum, Conciliorum, et Epistolas canonicas complectens; cetera Capitula spectant ad partem secundam Codicis, complectentem basilicalia, seu Constitutiones Imperatorum Graecorum, et plures ecclesiasticas dissertationes. Praemittuntur autem Parti 1-ae plures notitiae historicae Ecclesiam Russorum et Graecorum concernentes, et Nomocanon Photii in XIV. Titulos divisum, atque ad calcem operis Donatio Constantini Magni Silvestro Pontifici facta. Ultima denique collectio similis priori prodiit 1838.[3]) Insuper auctoritate in Russia pollet Syntagma, quod Athenis 1852 do procusum est. Magnae autem auctoritatis est Regulamentum Imperatoris Petri Magni de Anno 1721., quo sublato Patriarchatu, Synodus dirigens introducta est. Denique huc spectat etiam Pars II. Codicis civilis quod Jus matrimoniale complectitur.[4])

## §. 47. Codex Ecclesiae Serbicae, et Bulgaricae.

Serbi, qui in superiori Moesia inter 630-mum et 640-mum proprium Regnum fundarunt, ac mox etiam fidem in Christum amplexi, sicut Russi habebant suas collectiones Canonum lingua propria, a Russis quoque adoptata.[5]) Tardius prodivit Syntagma Blastaris cum Serbica Orthographia; ex quo etiam extractus confectus est sub nomine Zakonnik, cui accessit compendium Codicis Justiniani et constitutiones Regis Duschan, de anno 1349-no. Bulgari autem qui ab anno 680. in Moesia inferiori sedem fixerunt circa annum 865. post suam ad Christum conversionem, versionem collectionis Joannis Scholastici in suam linguam obtinuerunt, tardius 1018. Imperio Byzantino incorporati, alias quoque Graecorum collectiones obtinuerunt.

---

[1]) Strahl Geschichte der Russischen Kirche 1. Th. S. 260.

[2]) Prodiit etiam Leopoli 1646. (Vide Walter Kirchenrecht, editio 12. p. 148. et sequent.)

[3]) Walter, p. 151. Theiner Staatskirche Russlands p. 303—305.

[4]) Biener Coll. Eccl. Graec. p. 6—7.

[5]) Kopitar Wiener Jahrbücher, Band XXIII. C. 229.

## §. 48. Codex Valachorum, et Moldavorum.

Valachi inquit Walter[1]) qui seculo XIII. proprium ac independens regnum formarunt, anno 1652. Canonum collectionem in lingua vernacula conscriptam, ac in Tergoviste typis editam obtinuerunt. Constat haec collectio duabus Partibus. Prima 417 Capitula complectens Manuelis Malaxi Nomocanonem (anno 1561. conscriptum et ex Photii, Balsamonis, Blastaris, et Zonarae operibus excerptum) ex Graeco in vernaculam linguam translatum exhibet. Altera pars, que Nomocanon inscribitur, Canones Apostolorum, Conciliorum, et SS. Patrum continet, ex recensione quam Aristenus in Synopsi Scholiis adornavit. Titulus Codicis „Directorium Legis, vulgo Pravila.“

## §. 49. Complexus Codicis Pravila:

### Pars I.

Directorium Legis.

Glava, seu Caput 1. Judex ne sit primae informationis, nec sine probationibus cuiquam credat.

C. 2. Ut Judex administret justitiam, et non sinat se muneribus, aut quacunque affectione ad partium studium pertrahi.

C. 3. Quid lex, et transgressio legis ? et quod Judex judicare debeat secundum legem.

C. 4. Dum non est lex scripta, respectanda est legitima consuetudo, quae vim legis habet.

C. 5. Quod Patriarcha sit imago Christi, et quod ad eum spectet consecrare Metropolitas.

C. 6. Patriarcham Constantinopolitanum consecrat Metropolita Heracleensis.

C. 7. De Episcopis et Presbyteris ditionis patriarchalis et locorum exemptorum, si non commemorent in sacra Liturgia et aliis functionibus sacris juxta usum nomen Patriarchae, excepto si Patriarcha haereticus esset, a functionibus ordinis sui prohibiti sint.

C. 8. De non admittendo ad Episcopatum vel alium gradum ordinis, contra quem accusatio insinuata est, uspue ad inquisitionem et purgationem accusati.

C. 9. De Simoniaca ordinatione, item interventu auctoritatis Principum aut Magistratuum procurata, atque sacra communione pro pecunia data, ut delinquentes, atque etiam hoc modo ordinati depositi sint et excommunicati.

C. 10. De Clericis, qui perjurium, vel furtum, vel fornica-

[1]) Kirchenrecht, edit XII. p. 152. §. 83.

tionem commiserunt, ut a sacrorum celebratione in perpetuum prohibeantur, sed non simul excommunicentur.

C. 11. Ut fiat consecratio Clerici uxorati in Episcopum cum consensu uxoris, quae si consentiat, fiat Monialis.

C. 12. Quod Episcopum concernat tam spiritualium quam et temporalium Ecclesiae administratio; non licet tamen ei quidpiam abalienare, aut cognatis donare, quibus tantum ut pauperibus ex episcopalibus reditibus succurrat.

C. 13. Ne Episcopus ordinationes faciat extra dioecesim suam, neque alienum Clericum ordinet.

C. 14. Episcopus ne absit ob privata negotia a cathedra sua ultra tres septimanas, excepta necessitate ob curam valetudinis; secus sex mensibus absens a cathedra amoveatur, et loco ejus constituatur alter.

C. 15. Sacerdos uxorem non habens non habitet cum muliere, nisi cum proxima cognata, aut alia, in quam nulla cadit suspicio.

C. 16. In causa privata quilibet potest Episcopum in litem vocare; quoad crimina vero, aut abusum officii, non nisi Christianus probus Episcopum accusare potest.

C. 17. Contra Episcopum, aut Presbyterum, nonnisi irreprehensibiles testes admitti possunt.

C. 18. Ad condemnationem Episcopi requiritur judicium duodecim Episcoporum; ad condemnationem autem Presbyteri sex Episcoporum cum septimo proprio, et ad condemnationem Diaconi duorum Episcoporum cum tertio proprio Episcopo judicium exigitur.

C. 19. Episcopus coram Synodo accusatus, si post trinam ad Synodum evocationem non compareat, deponatur.

C. 20. Lite pendente Episcopus retinet sedem suam, et Clerus cum populo ei obedire tenetur.

C. 21. Qui contra Episcopum unum non probaverit, ei nec quoad reliqua credatur.

C. 22. Ad testimonium contra Episcopum, vel Presbyterum, haeretici et infideles ne admittantur, sed tantum Christiani duo vel tres, in processu autem quinque non inimici.

C. 23. Accusator, testes domesticos, aut cognatos suos producere non potest.

C. 24. Religiosi testes esse prohibentur, nec acceptatur testimonium eorum, utpote qui a mundo segregati sunt.

C. 25. Clericus falsum ferens testimonium deponatur.

C. 26. In causis contra Presbyteros, vel Diaconos, relate ad accusatores et testes, eadem observentur, que in causis contra Episcopos.

C. 27. Episcopus, vel Presbyter, ab officio suspensus, sacram liturgiam celebrare praesumens excommunicetur.

C. 28. A sententia Patriarchae nulla datur appellata.

C. 29. Episcopus depositus potest se via novi purgare coram Synodo.

C. 30. Episcopus depositus, dein insons inventus sedi restituatur.

C. 31. Ut translatio Metropolitarum ex una sede in aliam cum consensu Patriarchae, Episcoporum autem cum consensu Metropolitae instituatur.

C. 32. Episcopi et Clerici, qui Metropolitam, excepto si haereticus sit, non commemorant in sacris, ab officio suspendantur, pertinaces autem deponantur. Si autem Presbyter deliquerit, oportet eum per Episcopum .puniri, qui si e fragilitate, aut inattentione, vel ex insidiis satanae deliquisset, tunc non est multum investigandum de delicto ejus, et obtineat exiguam veniam, si vero ex negligentia deliquit, corrigatur per suum Episcopum.

C. 33. Anathema ne pronuncietur in Christianos, praeterquam in Apostatas, et Monachos statum suum deserentes ; si autem resipiscant, reversi recipiantur.

C. 34. De iis, qui juste, vel injuste excommunicantur ab Episcopo, quod possint appellare ad Metropolitam et Patriarcham, ordine juris servato.

C. 35. Episcopus, qui Presbyterum ab officio suspenderit, vel excommunicaverit Laicum pro lucro, vel insontem injuste puniverit, eandem ipse recipiat poenam.

C. 36. Qui cum excommunicatis communicant, ipsi quoque excommunicati sint.

C. 37. De indiciis in corpore hominis mortui conspicuis; quae indicant eundem cum maledictione vel anathemate obiisse.

C. 38. Presbyteri neminem excommunicent sine consensu Episcopi.

C. 39. Dissolutio membrorum post mortem ejus, qui excommunicatus erat ab Episcopo, signum est aeternae damnationis ejus. Cujus membra autem soluta non sunt, et si post mortem absolverit eum Episcopus ab excommunicatione, quam vivus incurrerat, illico liberatur e potestate satanae anima ejus, et obtinet vitam aeternam, lumen sine vesperis, societatem justorum, et gaudium ineffabile.

C. 40. De eo, cujus cadaver in putredinem non abit etiamsi absolutio ei data sit, tenendum est eum restitutione teneri, ob quod absolutio inefficax est.

C. 41. Qui ab Episcopo sive juste, sive injuste a sacrorum celebratione prohibitus, tamen sacrum celebrare praesumpserit, depositus sit, etiamsi appellasset; cum non expectaverit superioris fori sententiam.

C. 42. De Clericis, vel Monachis contra Episcopum conspirantibus deponendis.

C. 43. Lex Civilis de complicibus delinquentium.

C. 44. De poena eorum qui persuadent perpetrare delictum.

C. 45. De indiciis facti proprii ab alio haud consulti.

C. 46. De poena eorum, qui adjuvant delinquentem.

C. 47. Qui Episcopo maledixerit Clericus, deponatur; Laicus vero Episcopo, Presbytero, vel Diacono maledicens, excommunicetur. Qui autem percusserit Clericum, tribus annis poenitentiam agat, juxta legem autem civilem manus ei amputetur.

C. 48. De iis, qui se opponunt officialibus publicis, qualiter puniendis?

C. 49. De iis, qui offendunt legatos Dominorum.

C. 50. De iis, qui offendunt optimates.

C. 51. Episcopus propter suam dignitatem cum Presbyteris et Diaconis sacra faciat, aut saltem cum uno Presbytero et Diacono, imprimis dum ordinat; cum sine Presbyteris et Diaconis non liceat Episcopo ordinare Presbyterum et Diaconum.

C. 52. De ornamentis sacris Episcoporum, quid indicent?

C. 53. Quid indicat Mantia, quid rivuli, corona seu tonsura capitis? quid lumen? quid item tonsura sacerdotum? (hinc patet tonsuram gestare debere non tantum Latinos verum etiam Graecos.)

C. 54. Quomodo exprimatur nomen Jesu in manu Episcopi benedicentis; et quod Episcopus utraque manu benedicens repraesentet Christum benedicentem Apostolis, dum ascendit in coelum.

C. 55. Episcopus ad Monasterium libere secedens et obedientiam monasticam vovens, Episcopali officio restitui nequit, sacra more Presbyterorum peragit. Si autem coactus, vel ex timore secessisset, officio suo Episcopali restituitur; quod enim per coactionem fit, non consideratur.

C. 56. Quod si de Episcopo, vel Presbytero mala fama vulgetur, non ideo recusent fideles s. Eucharistiam ab iis percipere, donec Synodus rem examinaverit et peccatorem deposuerit. Deus enim etiam per ministerium peccatorum mysteria operatur, et Spiritus Sanctus sanctificat dona proposita in altari, et panis fit corpus Christi, et vinum sanguis Domini juxta verba Salvatoris: sumite et edite, hoc est enim corpus meum, et bibite ex eo omnes, quoniam hic est sanguis meus novi Testamenti, additque ut honorentur sacerdotes propter characterem et ordinis eorum sanctimoniam, etiamsi vitiosi essent.

C. 57. Episcopus de patrimonialibus atque ante Episcopatum acquisitis libere disponit; quae autem in episcopatu acquisivit, Ecclesiae et pauperum sunt; et quae post mortem ejus remanent, oeconomus recipiat successori fine dispensationis tradenda.

C. 58. De aetate ordinandorum: Episcopi 50. annorum, Presbyteri 30., Diaconi 25., Subdiaconi 20., Lectoris 18.

C. 59. Ornatus sacer sacerdotis sit rubri coloris, qui designat cruentum Christi sacrificium.

C. 60. Concelebrantes Presbyteri etiam communicent.

C. 61. Qui ordinari volunt coelibes, prius interrogentur num habeant donum continentiae, et sic ordinentur; secus prius ducant

virginem honestam, et sic promoveantur in Lectores, Subdiaconos, Diaconos, et Presbyteros.

C. 62. Presbyter non reconciliatus adversario suo celebrans, 40. diebus prohibitus sit a sacris; qui autem vomuerit die qua celebravit propter praecendentem ebrietatem, pariter 40. diebus celebrare sacrum prohibeatur, et qui altero die vomuerit non celebrans, 20. diebus.

C. 63. Sacerdos celebraturus ne osculetur mortuum; et post sacrum celebratum ne osculetur sacras imagines.

C. 64. Sacerdos, qui celebraverit s. liturgiam sine antimensio (corporali quod reconditas habet martyrum reliquias) 206. inclinationes (metanias) faciat; qui autem celebraverit in loco non benedicto sine antimensio, sacerdotio privetur. Et qui non habuerit curam Ecclesiae suae ut munda sit, sacerdotio privetur; et si ejus incuria aut inattentione quidpiam in Ecclesia combustum fuerit, uno anno a sacris prohibitus sit.

C. 65. Sacerdos venator aut auceps si neglexerit servitium sacrum, tribus mensibus suspensus sit a sacris; praestigiator autem, et infamator alterius, si non resipuerit, deponatur.

C. 66. Sacerdos non recitans horas canonicas et celebrans peccat, si suppleverit, remittitur peccatum. Extremam unctionem autem unus Presbyter ne administret, sed septem, vel adminus tres.

C. 67. Sacerdotis absque heredibus prolibus defuncti substantia trifariam dividatur, atque una pars cedat in refrigerium animae ejus seu pro sacris liturgiis et eleemosynis, altera pars cedat uxori si nubere nollet, tertia vero Ecclesiae cui servivit, vel Ecclesiae Cathedrali Episcopali, aut Metropolitanae, si spectet ad dioecesim Metropolitanam.

C. 68. Sacerdotes et Laici non possunt judicare suum Episcopum, ipsi autem ab Episcopo judicentur. Nec Diaconus nec fideles possunt judicare Sacerdotem.

C. 69. Presbyter, vel Diaconus non commemorans Episcopum in sacris, eo, quod sciat Episcopum vitiosum esse, usque dum causa Episcopi cognosceretur a Synodo, Sacerdotio privetur.

C 70. Episcopi sunt successores Apostolorum, habentes potestatem ligandi et solvendi, Presbyteri autem 70. discipulorum.

C. 71. Ne Sacerdos, vel Monachus curis et occupationibus secularibus se implicent, nec propter quaestum officium suum negligant, secus non resipiscentes deponantur.

C. 72. Omnes Sacerdotes obligantur die et nocte septem laudes, seu pensum Canonicum absolvere. Sunt autem septem laudes:

1) Offiicium mediae noctis, in memoriam resurrectionis et secundi adventus Domini.

2) Matutinum cum hora prima, in gratiarum actionem, quod post tenebras illuxerit lux Evangelii.

3) Hora tertia, qua Spiritus Sanctus descendit, super Apostolos, qui doctrina sua illuminarunt totum mundum.

4) Hora sexta, qua Christus crucifixus delevit peccatum Adae factum hora sexta.

5) Hora nona, qua Christus mortuus vicit mortem.

6) Vesperae, quoniam ad vesperam inclinante die Christus incarnatus est de Spiritu Sancto.

7) Postvespertinum Officium (completorium) ut nocte vigilemus cum Christo, et requiescamus in spe futurae diei.

Officium autem principale est sacra liturgia, quam si quis sine causa sufficienti semel neglexerit celebrare, tribus mensibus a sacris prohibitus sit (supra C. 65.)

C. 73. Laicum, qui ab uxorato Sacerdote Sacram communionem acceptare recusat, anathemate feriunt SS. Patres.

C. 74. Sacerdos, quem pudet sacram communionem uxori suae porrigere, et tradiderit Eucharistiam alteri, ut eam communicet, deponatur.

C. 75. Lector secundam ducens uxorem maneat in suo gradu ordinis, ad altiorem non promovendus. Sacerdos secundo ducens, deponitur, sed non excommunicatur. Bigamia impedimentum Ordinis. (Confer. inferius Caput 82, et Cap. 124.)

C. 76. Non licet ordinandis ducere nisi virginem et honestam; secus ducens ab ordinibus prohibetur.

C. 77. Si irregularitas ordinati patefiat, ordinatus deponitur.

C. 78. Baptizatus gentilis, si post baptismum irregularitatem non incurrit, ordinatur.

C. 79. Sacerdos sponte confessus delictum ante ordinem per petratum, sacrificium ne offerat.

C. 80. Diaconus fornicatus amovetur a diaconatu, et servit ut Lector.

C. 81. Mulieri lapsae quae peperit, contra Sacerdotem confitenti fides ne adhibeatur, nisi sufficientes et juridicas asserti probationes praestet.

C. 82. Clericus, qui ex ignorantia matrimonio prohibito ante ordines implicitus est, et resciens abstinuit ab uxore, a sacris quidem perpetuo abstineat, honorem tamen clericalem retineat: si autem resciens se prohibito matrimonio implicitum esse, cum prohibita congressus est, deponatur et excommunicetur. Laicus autem in prohibito matrimonio constitutus ad Clerum ne promoveatur.

C. 83. Qui celebrat cum suspenso vel excommunicato, ipse etiam suspensus sit vel excommunicatus.

C. 84. Sacerdos adulterae uxori convivere prohibetur; et si post adulterium sciens ei convixit, deponatur. Laicus autem, cujus uxor adultera est, non potest fieri Clericus; adulterium tamen quinque testium testimonio comprobatum sit. Quod si vero uxori Sacerdotis vis illata est, a Sacerdotio non amovetur et uxori convivere permittitur.

C. 85. Episcopus ne recipiat alienum Clericum sine literis commendatitiis, vel dimissorialibus.

C. 86. Clerici usurarii, si non resipiscant, deponantur.

C. 87. Leges Civiles de fabricatoribus falsae monetae.

C. 88. Qui retinent, vel circulant pecunias falsas.

C. 89. Qui inveniunt thesaurum.

C. 90. Ut Clerici vadimonium assumentes prohibeantur a sacris, excepto si ad redemptionem captivorum.

C. 91. Prohibetur Clericis popinam adire praeter necessitatem in itinere, sicut etiam popinam servare, non autem in arendam dare.

C. 92. A demone obsessi ne fiant Clerici.

C. 93. Non tantum Clericorum filii, sed aliorum etiam si digni sint, recipiantur in Clerum. Sola illegitimitas natalium non prohibet ab Ordinibus.

C. 94. Non corporis sed animae vulnus prohibet a Clericatu, dummodo defectus corporalis non talis sit, ut incapax sit ad Clericales functiones absolvendas; ideo monoculus cum oculo canonico et claudus potest fieri Clericus.

C. 95. Sacerdos, qui illegales nuptias, aut praematuras ante 14-tum annum aetatis pro viro, et 12-mum pro faemina scienter benedixit, deponatur; si autem inscius id fecit, pro arbitrio Episcopi puniatur.

C. 96. Sacerdos balneum sumens prohibetur eo die celebrare, et post sacrum balneare; similiter Laicus communicans prohibetur venae sectionem facere, excepto discrimine vitae.

C. 97. Sacerdos habens fluxum sanguinis e dentibus, prohibetur celebrare.

C. 98. Sacerdos nocturnam pollutionem passus, nisi proveniat ab insidiis satanae, non celebret.

C. 99. Sacerdos celebraturus abstineat ab uxore.

C. 100. Ne Clerici uxores suas pietatis praetextu abigant.

C. 101. Si conjux conjugem deseruerit ob abominationem nuptiarum, anathemati subjiciatur.

C. 102. Mulier sine consensu mariti continentiam vovens et debitum non praestans, peccato incontinentiae mariti gravatur; maritus autem ab imputatione propter incontinentiam immunis est. (hoc tamen tenendum non est).

C. 103. Causas clericorum et monachorum omnes Episcopus judicet, et nonnisi Episcopo admittente judicia secularia adeant, secus per Episcopum canonicae poenae subjiciantur.

C. 104. Clerici lusores si non desistant, deponantur.

C. 105. Quicunque Presbyter alteri dixerit ex ira, ut fiat paganus, longiori tempore prohibeatur a sacris; si autem quis Presbyter blasphemaverit Deum, uno anno privetur officio, et jejunio castigetur. Si vero altera quoque vice id commiserit, in perpetuum deponatur.

C. 106. Leges civiles de injuriatoribus, calumniatoribus et blasphematoribus.

C. 107. Quando sunt blasphemiae parvae, et quando magnae ?

C. 108. Qui dehonestatoria proferunt sed vera, non puniuntur; qui autem probare non possunt, severe puniantur.

C. 109. De actoratu competente ob calumniam.

C. 110. De eo, si quis alteri dixerit mentiris.

C. 111. De remissione blasphemiae.

C. 112. Qui calumniant Principes, aut praepositos, ac viros ecclesiasticos.

C. 113. De infamatione per scripta.

C. 114. Qui in persecutione se paganos simularunt, etiamsi poenitentiam egerint, in Clerum tamen ne suscipiantur.

C. 115. Baptizati et ordinati ab haereticis rebaptizentur et reordinentur. Qui autem ordinati sunt ab Episcopo deposito, pro laicis habeantur.

C. 116. Nemini licet Ecclesiam aut Monasterium aedificare sine consensu Episcopi.

C. 117. Quae Deo donata sunt, puta Monasterio, vel Ecclesiae, ab ea recipi vel abalienari nequeunt.

C. 118. Probandi sunt qui statum monachalem amplecti volunt annis tribus; si quis autem voluerit in agone professionem monachalem elicere, admittatur sine praescripta probatione.

C. 119. Sine Episcopi consensu nemo Monachus fieri potest.

C. 120. Monachi, typus Angelorum.

C. 121. Hieromonachi non exigant in seculo, nec sacra faciant in aliis secularium Ecclesiis, excepto, si salus animarum exposcat, aut Episcopus eos ad sua servitia adhibeat.

C. 122. Monachus officia choralia adimpleat, secus poenitentiae subjiciatur.

C. 123. Monachus vel monialis, si deserto monasterio matrimonium inierit, hoc non pro matrimonio, sed pro adulterio reputetur; et si non dimiserit talis monachus sociam adulterii, excommunicatus sit. Si autem monachus duxerit monialem, et resipuerint, ab invicem soluti, poterit eos Episcopus recipere in monasterium poena adulteriorum (15. annorum) iis in poenitentiam injuncta. Si autem monachus uxorem ducens et conversus nondum fuerit professus, fornicatorum paenitentiae (7. annorum) subjiciatur.

Ex hoc capite Pravilae patet, professionem religiosam esse impedimentum dirimens matrimonii.

C. 124. De iis, qui exuunt vestitum monachalem (a puncto 1—4.), Sacerdos autem et Diaconus, quod si duxerint mortua sua uxore, considerandi sunt tamquam ii qui renunciant statui monachali et faciunt propositum quomodo fiant haeretici; ideo tentandi sunt, utrum crediderint quod habeat potestatem Presbyter et Diaconus ducendi uxorem, et tum qua haeretici puniantur; quod si vero hanc cogitationem non haberent, solum

ita puniantur sicut qui renunciant statui monachali. Et si iterum abegerit uxorem et reversus fuerit ab Ecclesiam, cum mansuetudine et misericordia suscipatur. Si autem id non fecerit sponte, seu non abegerit uxorem, Ecclesia coget illum, et si non obediverit, ad monasterium tota vita recludatur.

Ex hoc Capite Praviliae patet, ordinem esse impedimentum dirimens matrimonii, atque haereticos eos esse qui credunt, Presbyteros et Diaconos posse alteras ducere uxores.

C. 125. De excommunicandis monachis, qui ad seculum pergunt et vitam monasticam deserunt, et si resipuerint iterum ad monasterium recipiendis ita tamen, ut si talis monachus esset Presbyter, a sacris peragendis perpetuo prohibeatur, nisi ipsum rehabilitaverit Patriarcha.

C. 126. Si monialem lenocinium exercuisse constiterit, ea illico expellatur ex Ecclesia Dei.

C. 127. De poena lenonis, ut nudus circumferatur per compita civitatis et virgis cedatur, dein nasus ei abscindatur, e civitate ejiciatur, ac perpetuo infamis sit.

C. 128. Leno non tantum ille habeatur, qui in domo sua intertenet meretrices pro lucro, virgines item et pueros pecunia seducit, verum etiam qui lenocinium tolerat in domo sua, aut propriam uxorem pro pecunia vel quocunque lucro tradit abutendam. Puniuntur poena capitis.

C. 129. Quicunque domum suam in censum lenoni elocaverit, morte puniatur.

C. 130. Parentes, qui filias suas lenonibus tradunt, amittant paternam potestatem et cum cruciatu perimantur.

C. 131. Quod si maritus semel tantum tradidit uxorem suam abutendam, aut servaverit in domo sua adulterum, ut leno puniatur.

B. 132. Mortuo monacho, omnia ejus cedunt monasterio.

C. 133. Non licet parenti denegare partem hereditatis filio monacho.

C. 134. Juxta ordinem institutionis sacerdotium majus est quam monachatus, quoniam operationes Sacerdotii sunt operationes Dei, et quoniam sine sacerdotio nemo fit christianus, nec habet sanctificationem, nec conjungitur Deo.

Majus autem est institutum monachale, quam Sacerdotis secularis ut loquitur divinus Dionysius, non sanctitate sacerdotii, sed vita. Quoniam etiam monachus si fuerit Sacerdos seu hieromonachus, major est Sacerdote seculari, non propter Sacerdotium, quod est opus Dei: verum propter vitam. Sacerdos perpetuo benedicit et sanctificat, propterea etiam divinus Antonius perpetuo inclinat caput suum, sive se inclinat propter altitudinem sacerdotii, et quidem non solum Episcopis se inclinat, verum omnibus sacerdotibus. Ideo quilibet Sacerdos, qui habet hunc excelsum ordinem sacerdotii, in sanctitate et tamquam sanctus

vivat, et imprimis connitatur ut vivat sicut monachi (sine uxore).

Ex hoc igitur Capite Pravilae evidens est, Ecclesiam orientalem non minus ac occidentalem persuasam esse, Sacerdotes debere esse non conjugatos, sed coelibes.

C. 135. Monachus, vel monialis non levent quemquam in sacro baptismate, se ne agant patrinos, neque testes in matrimonio. Nec convenit monacho benedicere nuptias, sub perpetuae prohibitionis a sacerdotio poena.

C. 136. Si in aliqua Ecclesia officium divinum 40. diebus celebratum non fuisset, prius benedicatur, deinde in ea celebretur. Qui autem absque benedictione celebraverit, 40. diebus a sacris prohibitus sit.

C. 137. De septem donis Spiritus Sancti, item septem sacramentis, septem virtutibus, et septem peccatis capitalibus.

C. 138. Ut in Ecclesia nemo sepeliatur, nec mortuus mutetur ad alium locum

C. 139. Ut in Ecclesia epulae non serventur, nec in ambitu Ecclesiae emptiones et venditiones instituantur.

C. 140. Ne pecora in Ecclesiam intromittantur.

C. 141. Sacerdos infantes baptizet.

C. 142. Qui baptizat in tres Patres, et Filios, et Spiritus Sanctos, amittat sacerdotium.

C. 143. Dum quis in baptismo aqua abluitur, facie versus sit ad orientem, quoniam ab oriente lumen venit.

C. 144. Baptizatus nova veste induitur, exuens veterem hominem et induens novum.

C. 145. Baptizatus dum renunciat satanae, capite versus sit ad occidentem, et etiam manibus demissis se satanae renunciare indicet.

C 146. De unctione olei in baptismo, ad roborandum hominem pro pugna adversus diabolum et peccatum.

C. 147. Quod baptizandum sit in nomine sanctissimae Trinitatis.

C. 148. Tonsio capillorum in baptismo, signum receptionis in Ecclesiam.

C 149. Baptizatus accipiat etiam signaculum Spiritus Sancti per chrismatis unctionem, quod est confirmationis sacramentum. Baptizandus autem est infans die 40-mo post nativitatem; si autem necessitas urgeat, etiam ipso momento nativitatis baptizari poterit, imo debet.

C. 150. Cum baptismus ad salutem absolute necessarius sit, in dubio num aliquis baptizatus sit, baptizari debet.

C. 151. Dum in necessitate collatus est baptismus absque exorcismis, si infans mortuus non est, exorcismi suppleri non debent, sed solum quae post baptismum juxta rituale praescripta sunt, absolvantur.

C. 152. Prohibitum est baptizare infantes Turcarum seu

Mahomedanorum, quos ex superstitione parentes Turcae baptizari per Christianos curant, quod taliter in sequelam circumcisionis inflammationem corporis evitabunt. Omnis item communicatio spiritualis cum turcis prohibetur.

C. 153. Laicus in necessitate baptizet, imo etiam pater, si alter non esset; si autem infans superviveret, secundario baptizetur per Sacerdotem. Infantes non baptizati nec in coelum, nec etiam in locum tormentorum eunt, sed in locum lucidum.

C. 154. Nemo sine baptismo Dei visionem consequitur.

C. 155. Sacerdos potest in necessitate propriam prolem baptizare, sed non levare; item nuptias filii benedicere, sed non testem matrimonii agere.

C. 156. Sacerdos baptismi sacramentum jejunus administret, excepto casu necessitatis. In quadragesima baptismus prohibetur, excepto casu necessitatis.

C. 157. Baptismus in Ecclesia fiat, et non in cubili, citra necessitatem; contra agens Sacerdos, punitur pro arbitrio Episcopi. Et si mortuus fuerit infans sine baptismo ob incuriam Sacerdotis, Episcopus eum prohibeat a sacris quamdiu voluerit; si vero ob incuriam parentum, hi tribus annis a sacra communione prohibiti sint.

C. 158. Per liturgias, orationes, et eleemosynas vivorum, quas faciunt pro defunctis, remittuntur eis peccata venialia, non item graviora peccata (mortalia), qui enim in his obierunt, eis occlusum est coelum; nec sacrificia vivorum et bona opera eis opitulari possunt.

C. 159. Prodesse S. Missae sacrificium defunctis in remissionem peccatorum et liberationem eorum a loco tormentorum (purgatorio) exemplis eorum confirmatur, qui post mortem apparuerunt et postularunt pro se missas celebrari. Sed etiam vivis prodesse liturgias, exemplum profertur hominis captivi, qui tempore, quo pro illo sacra liturgia celebrabatur, a vinculis solutus est.

C. 160. Idem illustratur aliis exemplis.

C. 161. A mulieribus, quae nupserunt haereticis et paganis, acceptare oblationes pro celebranda sacra liturgia vetitum est, nisi solum thus, oleum et candelas; neque etiam sacra communione reficiuntur, nisi in articulo mortis, anaphoram autem percipiant.

C. 162. Die 3-tia, 9-na, et 40-ma post mortem fiat commemoratio defuncti, et dentur cibi pauperibus; et quidem die tertio ideo, quoniam animae defunctorum usque tertium diem a separatione a corpore, solutae, in societate Angeli in terra commorantur, ac tertio solum die se coram Deo sistunt, atque usque nonum diem in superioribus coeli oberrant ad videnda habitacula sanctorum; post nonam autem diem usque quadragesimum ostendit eis Angelus paradisum et omnem cruciatum inferni, donec quadragesima die recepta a Deo sententia locum occupat

suum usque ad secundum adventum Domini. Epulae autem funebrales ne fiant hebdomada prima et ultima quadragesimae, et hebdomada post resurrectionem, diebus item dominicis et majoribus festis Secreta autem commemoratio defuncti ad altare, etiam dominica paschatis admittitur.

C. 163. Quod animae justorum cum latrone in paradiso, injustorum autem in inferno constituantur.

C. 164. Si ante consecrationem contingat subverti sacrum calicem, denuo infundatur vinum et continuetur sacra liturgia: si vero post consecrationem, iterari non debet.

C. 165. Laici altare ne intrent; moniales vero tantum mundationis causa ad altare propriae Ecclesiae monasterialis intrare possunt.

C. 166. Conjuges, nisi abstinentes ab invicem sumant S. Eucharistiam, vel anaphoram, et osculentur sacras imagines; secus non praesumant.

C. 167. Si infirmus moriatur sine sacramentis ob incuriam sacerdotis, faciat orationes et sacras liturgias pro anima ejus; domestici autem incurii duobus annis a sacra communione prohibiti sint. Si autem sacerdos vocatus distulit infirmum providere, uno anno a sacris prohibitus sit, et ad illius expensas fiant pro defuncto 24. liturgiae.

C. 168. Nisi quis reconcilietur proximo suo, haud admittatur ad Ecclesiam, nec oblationes ejus acceptentur, eo minus vero ad sacram communionem admittatur.

C. 169. Qui absque indultu sacerdotis finem cultus divini non expectat, sed exit, excommunicetur.

C. 170. Ante sacram communionem tribus diebus, et post sacram communionem uno die abstineant conjuges ab usu matrimonii.

C. 171. Die Sabbati et Domini, et dum celebratur sacra liturgia, abstineant conjuges ex mutuo consensu.

C. 172. De sponsalibus, eamdem obligandi vim habent ut matrimonium, si solemnia, legalia et benedicta sint.

C. 173. Sponsalia legalia inire non possunt 14. annis inferior masculus, et 12. annis inferior puella.

C. 174. Nemo defuncti fratris sui sponsam in matrimonium ducere potest.

C. 175. Ob defectum praescriptae aetatis illegalia sponsalia, nullum inducunt impedimentum quoad matrimonium cum cognatis legalis aetatis illegitimi minorennis sponsi.

C. 176. Secunda sponsalia sunt impedimentum ordinis.

C. 177. Qui rescindunt sponsalia, dona in duplo restituere tenentur.

C. 178. Causae solutionis sponsalium: 1) Ob defectum praescriptae aetatis. 2) Si sit impregnata ab alio. 3) Si sit alterius fidei. 4) Si sponsalia coacta sint. 5) Si alteruter sponsorum vitam monasticam amplectatur. 6) Propter obsessionem a diabolo, quo

refertur frenesis, si nimirum sit antecedens, vel d:e sponsaliorum acciderit; si enim post sponsalia subsequenter contigisset, mulier 5. annis, et vir 3. annis expectet resanationem conjugis, quo tempore evoluto, pars sana matrimonium cum alio inire poterit.

C. 179. De separatione conjugum ex capite adulterii, praescriptiones civiles:

*a*) Maritus et uxor dimittit conjugem in adulterio deprehensum.

*b*) Si maritus abegerit uxorem suam aut alimenta subtraxerit, ob quam causam uxor in adulterium lapsa est, maritus qua causa causati actoratu ad divortium ob adulterium uxoris privatus est; uxor autem adultera contra maritum ad divortium procedere potest.

*c*) Si cum mariti consensu uxor commisit adulterium, non potest solvi ab ea; uxori autem competit actoratus ad divortium.

*d*) Si non dimiserit maritus uxorem adulteram, sed retinet, actoratu ad divortium privatur.

*e*) Si condonaverit maritus uxori adulterium, actoratu ob adulterium se ipsum privavit.

*f*) Si quis ob adulterium dimisit uxorem suam, intertentione ei tenetur usque dum coram judice comprobaverit adulterium. Si vero ipsa uxor exiverit ex domo mariti, intertentione non tenetur.

*g*) Si aufugerit uxor a viro meretrices apud se detinente, jure intertentionem a marito exigendi gaudet.

*h*) Si adulterium fuerit occultum, sive alteruter habuerit amasium, adulterium vero intra octo dies comprobari non poterit, obligantur conjuges in pace convivere.

*i*) Si mulier deseruerit maritum ob concubinatum mariti, sive in propria domo, sive extra propriam domum, et promittente marito emendationem redierit ad eum et cohabitare voluerit, id facere arbitrio ejus relinquitur.

C. 180. De compensatione adulterii: *a*) Si mulier accusata a marito de adulterio comprobet maritum etiam idem commisisse, accusator maritus jure actoratus privatur. *b*) Dum tentaverit maritus separationem ab uxore propter adulterium, uxor autem allegaverit maritum sodomiam commisisse, ob compensationem maritus prohibetur procedere contra uxorem adulteram. *c*) Compensatio etiam fit per haeresim subsequam, ob quam maritus non potest procedere ad separationem conjugis adulterae.

C. 181. Conjux separatur propter sodomiam alterius, sive cum propria conjuge, sive cum alio vel alia, vel per mulierem cum suo sexu, aut etiam instrumentis exercitam, non tamen si propria manu semen expellatur.

C. 182. Potest mulier se separare a viro sine interventu judicis, si vir haereticus fiat, atque uxorem cogat aut alliciat ad suam haeresim. Etsi vero haeresis aequiparetur adulterio, atta-

men dum ob haeresim uxoris separantur conjuges, dotem non amittit prout in casu adulterii.

C. 183. Separantur conjuges propter saevitiem : *a*) quod si armis, vel quocunque instrumento quis conjugi vulnera inflixisset. *b*) Potest mulier aufugere a marito saevo ad declinandum vitae periculum, et si eodem die, quo crudelitatem mariti sustinuit, adierit judicem, separabitur ; si vero distulerit non separabitur. *c*) Saevus maritus insuper pro qualitate criminis poenis afficiatur. *d*) Mulier profuga ob crudelitatem viri, ab hoc intertentione in loco securo provideri debet, nisi haberet profuga parentes vel fratres, aut alios cognatos, qui eam intertenere possint. *e*) Quod si conjux amens evadat, et periculum subversetur occisionis conjugis, haec ab eo separetur. *f*) Dum maritus consuetudinem contraxit ebrietatis et in hoc statu verberandi uxorem, haec ab eo separetur, et intertentione per maritum provideatur. *g*) Ob continuam afflictionem uxoris, etiamsi tantum verbis gravibus et minis, si ad haec ipsa uxor non provocet virum suum, et nisi maritus promitteret emendationem, fiat seperatio. *h*) Ob implacabile odium fiat separatio conjugum: osor autem conjugis est, qui eodem lecto uti conjugem non sinit, qui cibis per uxorem paratis, lotione vestium, aut alia administratione rei domesticae continuo discontentus est. *i*) Separentur etiam conjuges, si maritus indolem iracundam et furiosam induisset ita, ut mulier in periculo etiam vitae constituatur. *k*) Separentur conjuges, si unus alteri insidietur quoquomodo, sive per se, sive per alium. *l*) Quod si maritus confessus quidem fuerit odium suum et crudelitatem erga conjugem exercitam, attamen cum vadimonio promiserit emendationem, separatio ne fiat; si vero ejus indolis fuerit, ut sibi imperare et affectus suos cohibere nequeat, promisso ejus non credatur, et fiat separatio.

C. 184. Saevities probanda est per solos testes, qui non sint familiares vel cognati uxoris, neque infames, quales nullam fidem merentur. Non est autem proba ejulatus, quos audiunt tantum vicini, neque fama, neque etiam signa externa, lacrymae, aut tumores circa oculos, vel alia in parte corporis.

C. 185. Licet marito verberare uxorem si delinquat, non tamen usque ad crudelitatem, neque ex odio, nisi vitae mariti insidiata esset; quo in casu maritus non punitur, etiamsi saevus fuisset in uxorem. Crudelitas vel saevities dicitur, dum maritus instrumento quocunque verberat uxorem usque ad vulnerationem, secus percussio pugno vel manu etiamsi frequentissime fiat, non est causa separationis, dummodo non sine causa exerceatur. Potest autem maritus etiam libertate personali privare suam uxorem, puta ligare, claudere, in duobus solum casibus, nempe adulterii, et si vitae mariti insidietur.

C. 186. 1) Si mulier metuens maritum ne reversa ad illum iterum saevum experiatur, gravibus ex motivis poterit coram judice postulare scriptum promissum mariti cum vadimonio ido-

neorum hominum, quod ipsam amplius laesurus non sit. 2) Separari potest mulier etiam tunc, dum quidem cum marito pacem habet, sed a cognatis mariti eodem domicilio utentibus continuo affligitur et male tractatur. 3) In casu, si maritus pro se nullos statuere potuerit vades ad assecurandam uxorem suam contra laesiones et afflictiones, videat judex num jurato promisso mariti fides dari possit nec ne? 4) Dum separatur uxor ob metum mariti, constituenda est in locum securum ad expensas mariti, donec causa decidatur. 5) Quod si maritus cum juramento adpromisit, se non verberaturum uxorem suam ob commissum adulterium, ipsa autem reversa et recepta per maritum iterum adulterium committat, crudelitas mariti non imputabitur. 6) Non violavit maritus promissum de non saeviendo in uxorem, si eam propter culpam leviter percussisset 7) Obligatur judex metuentem uxorem marito restituere, dummodo assecuratio sufficiens uxori praestetur, et non sit suspecta promissio mariti, quod recte ideo repetat uxorem, ut vindictam suam exsaciare possit. Si autem uxor sponte redierit ad saevum maritum, in ejus arbitrio situm sit.

C. 187. 1) Maritus habet jus abigendi uxorem sine interventu judicis, si uxor in adulterio inveniatur, ad hoc tamen unus tantum testis etiamsi fidedignus non sufficit. Occultum autem adulterium coram judice probari debet. 2) Similiter potest mulier deserere virum in adulterio comprehensum, non vero ob occultum adulterium primo coram judice probandum. 3) Qui mulierem suam abigit absque legitima causa punitur pro arbitrio judicis, et mulier recipit dotem. 4) Quod si separata fuerit mulier a viro sine culpa hujus, cum consensu ejus, maritus intertentione non tenetur; si vero ob culpam mariti, hic uxori suae intertentionem dare obligatur. 5) Mulieri ob crimen in carceres per judicem conjectae, maritus intertentionem dare non obligatur. 6) Separantur conjuges dum unus alterum ad crimen vel haeresim allicit. 7) A marito usurario uxor separari nequit. 8) Si mulier praestigiis usa fuerit ut noceat viro, ab hoc abigi potest. 9) Mulier, quae deseruit maritum sine scitu ejus, potest petere a judice, ut a marito recipiatur; si autem maritus recipere noluerit, intertentionem convenientem dabit, donec uxor extra domum ejus commorata fuerit. 10) Si mulier noluerit obedire judicio ecclesiae, ut ad maritum revertatur, qui eam vocat, aut si ob vitium quoddam mariti deseruit eum, is autem se emendavit, maritus jus habet uxorem suam mediante brachio civili ad se reducendi. 11) Separatur uxor a marito sine interventu judicis, si maritus factus sit publicus haereticus, aut usus fuerit arte ad nocendum uxori, aut si alimenta et vestimenta convenientia subtrahat.

C. 188. De obligatione uxoris sequendi maritum suum: 1) Obligatur mulier sequi maritum suum, si ex causa quacunque rationabili mutet locum domicilii, utpote, ob majorem commodi-

tatem, et cum spe melioris lucri exercendae artis vel opificii, aut ad declinanda majora tributa, aut meliorem provisionem spiritualem, vel opportunitatem educandarum prolium etc. 2) Si maritus aufugiat ex loco ubi perpetravit crimen ne comprehendatur, tenetur uxor sequi maritum ubicunque domicilium fixerit. 3) Maritus vero non tenetur uxorem sequi, quae ob proprium crimen, ne puniatur, aufugit, nisi persecutionem patiatur ob causam justam, in quo casu maritus sequi debet uxorem. 4) Non obligatur uxor sequi maritum, si domicilium mutet ex causa irrationabili et mala, puta: ut furum socius fiat, aut si ideo mutet domicilium ut uxori nocere possit. 5) Si fuerit maritus homo vagabundus de loco in locum migrans, homo malus, qui nullibi toleratur, non tenetur uxor sequi illum in casu, si hanc indolem post matrimonium contraxisset, secus vero, si talis indolis uxori etiam ante matrimonium notus fuisset. 6) Si matrimonium fuisset conditionatum, restrictum ad locum domicilii, postea autem alteruter conjux infirmetur, et necessitate recuperandae valetudinis domicilium mutet, aut per sententiam judicis abigatur, alter conjux eum sequi obligatur.

C. 189. De impedimento cognationis.

C. 190. De consanguineitate, et affinitate, ac cognatione spirituli in genere.

C. 191. Septimus gradus prohibitus.

C. 192. Octavus gradus non prohibitus.

C. 193. De affinitate ex duabus generationibus.

C. 194. De affinitate ex tribus generationibus.

C. 195. Specialiter de cognatione spirituali.

*Nota*: Vide de his Jus matrimoniale.

C. 196. Idem objectum cum exemplis; sic qui ab uno eodemque patrino vel matrina levati sunt in baptismo, non possunt invicem matrimonio jungi, quoniam sunt fratres spirituales; vel maritus levavit in baptismate unum, uxor vero aliam, nec hi possunt matrimonium inire; quoniam maritus et uxor considerantur tamquam unus pater spiritualis, quorum filii spirituales inter se fratres sunt; vel non potest quisquam ducere filiam spiritualem soceri vel socrus suae.

C. 197. Mancipium non ducit dominam suam.

C. 198. In nuptiis non solum considerandum est, quid non prohibeatur, sed etiam quid non conveniat; ideo reprobantur matrimonia, si sponsi aetate nimis distent ab invicem, prout mulier senex et maritus juvenis, ac vicissim.

C. 199. Alia matrimonii impedimenta, in specie impedimentum ob adulterium.

C. 200. Sub eadem tutela constituti usque 25-tum aetatis annum, quo a tutela qua majorennes liberantur, non possunt matrimonio jungi.

C. 201. Explicatio graduum consanguineitatis.

C. 202. In quadragesima ne fiant nuptiae.

C. 203. De nuptiis primis et legalibus.

C. 204. Matrimonium legale ratum, etiamsi consummatum non sit, solvi nequit.

C. 205. Quicunque congressus fuerit cum uxore ante benedictionem, punitur ut fornicator septem annorum prohibitione a sacra communione.

C. 206. Tertiae et quartae nuptiae reprobantur.

C. 207. De prolibus legitimis, et spuriis.

C. 208. Matrimonio illegitimo copulati 15. annis a communione sacramentorum prohibentur; concubinarii etiam, a sacra communione repellantur.

C. 209. Qui matrimonio illegitimo copulati sunt, soluto matrimonio ad alis nuptias transire possunt.

C. 210. Abusus, quod aliqui ad sancta evangelia invicem fraternitatem jurent, damnatur, et pro futuro prohibetur; ac sacerdos qui similibus pactis intervenit, deponendus decernitur, atque nuptias eorum in secundo gradu licitas esse, enunciatur.

C. 211. Leges civiles quoad incestum.

C. 212. De incestu per matrimonium.

C. 213. Antichristus dicitur, qui sine sufficienti causa pro mercede solvit conjugia.

C. 214. Causae, ob quas maritus potest procedere ad divortium ab uxore:

1) Si mulier sciret conspirari contra Principem dominantem et marito non patefaceret.

2) E causa perpetrati per uxorem adulterii, quod tamen ne credatur, nisi quinque testes omni exceptione majores juraverint, se propriis oculis actum adulterii vidisse.

3) Si mulier vitae mariti quocunque modo insidiata fuerit, vel sciens ab aliis strui insidias, marito non revelet.

4) Si contra mariti voluntatem cum viris extraneis compotet, vel balneet.

5) Si contra mariti voluntatem extra domum apud non cognatos maneat.

6) Si prohibente marito ad spectacula accedat.

C. 215. Quod ob adulterium uxor amittat dotem, similiter et vir.

C. 216. Causae, ob quas uxor a marito divortiatur:

1) Si adversus Majestatem Principis vel ipse quid molitus fuerit, vel aliquibus molientibus, ipse conscius, id Principi non patefecerit.

2) Si quocunque modo conjugis vitae insidiatus fuerit, vel irrationabiliter eam verberet, vel tanta sit saevitia, ut uxori trepidanti non possit sufficiens securitas promitti.

3) Si pudicitiae uxoris insidias struens, aliis abutendam permittit.

4) Si maritus, uxore adulterii accusata, rem non probaverit.

5) Si concubinam habeat, sive in domo, sive extra.

C. 217. Ex impotentia post tres annos ab initis nuptiis potest fieri divortium, si pars impotens suam impotentiam confessa fuerit.

C. 218. Maritus potest divortiari ab uxore quam putavit esse virginem et deceptus est, si autem postea quoque cum ea commixtus est, retineat.

C. 219. Solvitur conjugium, si altera pars statum monachalem amplectatur, et pars in saeculo remansa facultatur ad nubendum. (Obstat impedimentum ligaminis.)

C. 220. Si mulier verberaverit maritum, aut occiderit foetum in utero, aut medicamenta adhibuerit ut maritus spem prolis habendae amittat, poterit maritus aliam ducere uxorem.

C. 221. A marito fure, spoliatore locorum sacrorum, separetur uxor.

C, 222. Si alteruter conjugum in captivitatem redactus sit, et non constet eum vivere, solvatur conjugium.

C. 223. A muliere in captivitatem abducta et ibi vi corrupta non separatur maritus.

C. 224. A muliere quam maritus abegit, dein vi corrupta est, non separetur maritus.

C. 225. Mulier frenesi laborans separetur a marito, hic tamen ei intertentionem det sua vita.

C. 226. Ob cognationem spiritualem, quam inter se contraherent conjugati, solvatur conjugium.

C. 227. Si quis fecerit generum suum filium spiritualem, hic separetur a filia ejus, et ducat aliam uxorem.

C. 228. Illegale matrimonium solvatur.

C. 229. Quartae nuptiae dissolvantur.

C. 230. Cum defectu legitimae aetatis contractae nuptiae solvantur.

C. 231. Si maritus contra naturam concubuerit uxori suae, separetur a marito, et 15. annis absque communione sit.

C. 232. Conjux orthodoxus ab haeretico separetur ; si autem haereticus etiam conversus fuerit, simul maneant.

C. 233. Quod si mulier a diabolo esset obsessa, per tres annos curam ejus gerat maritus, postmodum vero non cessante obsessione, deserat eam, et ducat aliam. Si autem maritus obsessus fuerit, tunc uxor, tantum post quinque annos poterit alteri nubere.

C. 234. Conjux epilepticus ante matrimonium, separetur a suo conjuge, post matrimonium hoc morbo correptus nunquam separetur.

C. 235. Si quis deseruerit mulierem et secesserit in locum ubi concubinam tenet, aut non suppeditaverit uxori necessaria vitae, solvatur matrimonium, et uxor nubat alteri.

*Nota*: Ex praemissis patet, quam multiplicibus ex causis solvatur matrimonium apud non unitos orientales contra praeceptum Domini „quod Deus conjunxit", separantes ; hae tamen

praescriptiones legislationis civilis graecae pro Transilvania et partibus Hungariae, vigorem amiserunt per contrariam ex Principis Georgii Rákóczy praescriptione inductam consuetudinem, qui, etsi ipse Calvinista esset, tolerare tamen non potuit, ut vinculum matrimonii subditorum suorum obtutu licentiae a Graecorum civilibus legibus inductae adeo facile solvatur, unde in societatem civilem et familias innumera mala redundarent: ideoque constitutione sua ddto 10. Octobris 1643. (apud Major Hist. Eccl. pag. 74. Nr. 8.) ad Episcopum tunc Transilvaniae et partium hungaricarum adnexarum graeco non-unitum data sequentia intimavit: „Quod personas sacrosancto matrimonii vinculo copulandas tribus adminimum ante copulationem diebus in frequenti Ecclesiae coetu publicabit, ac per quoslibet pastores sibi subjectos ubilibet in quibusvis ipsorum Ecclesiis publicari faciet, ac si nihil vitii, quo copulatio eorum futura impediri posset, de iisdem inaudiatur, copulabit libere juramenti sacramento mediante, ac per alios etiam perinde copulari faciet; quae vero iam sunt invicem copulatae, ambae sancte cohabitent, etsi quae perfide se invicem deseruerint, et utraque earum in hoc regno Transilvaniae vel partibus eidem adnexis vivere comperiatur, nullo pacto nullaque de causa eas divortiet, verum in eo casu, quo alter altero perfide desertor peregre ad exteras et longe distantes oras se contulerit, nec ullus certus de eo rumor audiatur, tandem exacto 4. aut 5. circiter annorum circulo juxta usitatum orthodoxarum (calvinianarum) Ecclesiarum Hungaricarum morem et consuetudinem liberam parti innocenti et desertae dabit, ac dari procurabit nubendi potestatem. (Vide etiam in hoc opere doctrinam Catholicam: Quod matrimonium ratum et consummatum juxta Evangelicam et Catholicam doctrinam ex nulla causa matrimonium subsequente solvi possit, quoniam tunc solveretur id quod Deus prius conjunxerat, id autem Christo ipso enunciante fieri non potest, et sine sacrilegio facere non licet.

C. 236. Si marito peregre proficiscente non constiterit eum vivere, atque uxor alteri nuberet, haec, redeunte primo marito, ad eum redire debet.

C. 237. Qui duas uxores duxerit simul viventes, unam quidem in uno loco, aliam vero in alio loco, matrimonio soluto, puniatur pro arbitrio judicis; similiter et mulier, quae duos simul maritos habuerit, excepto, si decepta fuisset. Item de eo, quod absentis mariti mors testimoniis probanda sit, ut mulier ad nubendum facultari possit; testimonium autem etiam unius sufficit.

C. 238. Qui cum socru ante matrimonium carnaliter commixtus est, prohibeatur ducere filiam ejus; si autem post matrimonium, matrimonium cum filia maneat, sed incestuosi poenitentiae subjiciantur (12. annorum.)

C. 239. Qui separatus est ab uxore ob culpam alterius mulieris, hanc non potest ducere uxorem.

C. 240. Cum complice adulterii, vivente conjuge, prohibetur conjugium.

C. 241. Qui occiderit uxorem in adulterio comprehensam, poterit aliam ducere? si vero occiderit in adulterio non comprehensam, aliam uxorem ducere nequit, et 20. annorum poenitentiae canonicae subjicitur. Si autem ex levi percussione uxoris, ob culpam, contra intentionem evenerit mors uxoris, poterit aliam ducere.

C. 242. De homicidio et vulneratione ad mortem.

C. 243. De poena homicidarum.

C. 244. De poena eorum, qui occidunt patrem, vel matrem.

C. 245. De iis, qui veneno interficiunt et de probatione hujus criminis.

C. 246. Qui ideo occidunt alios ne ab iis occidantur.

C. 247. Qui occidunt in actu furti comprehensos.

C. 248. De ratione cognoscendi vulnera mortifera, et non mortifera.

C. 249. Quando punitur vulnerator alterius, et quando non punitur?

C. 250. De suicidis excommunicatis nulla participatione bonorum spiritualium Ecclesiae dignis, excepto, si in statu amentiae se occidisset, in quo casu juxta Timotheum Alexandrinum poterunt fieri pro eo sacrificia, et commemorationes.

C. 251. De violenta, et cum consensu defloratione virginis, ut si parentes consenserint ducat defloratam in uxorem, secus pecunia compensationem faciat, aut si pauper sit, secundum leges puniatur.

C. 252. De poena defloratorum virginum.

C. 253. De obligatione ejus qui vim intulit virgini, aut dotandi, aut ducendi defloratam.

C. 254. De probatione vis illatae, quae praesumitur dum vicini et transeuntes testantur se audivisse ejulatus, si fuit bonae famae et juret cui vis illata est, se fuisse virginem; quod etiam inspectione obstetricis praesentibus aliis duabus honestis personis instituta ad plenam fidem probatur; domestici autem defloratae pro testibus idoneis acceptari nequeunt.

C. 255. Poena canonica 12. annorum pro iis praescripta, qui 12. annis juniores deflorant, et ut media substantia delinquentis defloratae cedat.

C. 256 Monialis, vel serva, a Domino suo vim passa, si anterior vita honesta fuit, ab imputatione immunes sunt, secus qua meretrices puniendae.

C. 257. Raptor monialis morte puniatur, et substantia ejus tota monasterio cedat.

C. 258. Monialis fornicata sacrilegium committit, et complex morte punitur.

C. 259. Raptores scopo fornicationis, morte puniantur.

C. 260. Raptor meretricis punitur pro arbitrio Iudicis.

C. 261. Vidua anno luctus prohibetur nubere.

C. 262. Vidua si nupserit, nihil hereditatis accipit ex substantia mariti, sed tantum e substantia prolium, si hae morerentur.

C. 263. Si mulier inscio marito sibi procuraverit vestes et monilia, aliaque, maritus ea sibi appropriare potest, et illo mortuo proles hereditant.

C. 264. Vidua si non nupserit, mediam partem substantiae mariti accipit, similiter et viduus e substantia uxoris.

C. 265. De assecuratione allaturae uxoris.

C. 266. De vadimonio uxoris pro marito.

C. 267. Expensae quas facit maritus ad resanandam uxorem non possunt per eum praetendi a socero, sed solum expensae sepulturae, inquantum socer recepit dotem, vel allaturam filiae suae.

C. 238. Allatura uxoris primae habet prioritatem in restitutione.

C. 269. Conventio inter conjuges pro casu mortis ea tantum valet, qua stipulatur successio marito, non item etiam qua uxori.

C. 270. Dona, quae ante matrimonium invicem praestiterunt conjuges, proprietas eorum sunt, nec in computum substantiae postmortualis veniunt.

C. 271. Donum libere factum non potest repraetendi.

C. 272. Substantia conjugum improlium defunctarum in tres partes dividitur, atque una remanso conjugi, secunda parentibus defuncti, tertia pro eleemosynis cedit.

C. 273. Proles sunt heredes substantiae paternae.

C. 274. Ab intestato decedentium improlium conjugum heredes sunt parentes.

C. 275. In successione praecedunt fratres germani uterinos, vel ex alia matre genitos, et hos, ex fratribus germanis nepotes.

C. 276. Successio concernit gradu proximos viventes aequaliter, si essent in eo gradu plures, et in defectu prolium et consanguineorum, ab intestato mortuis succedunt ipsi conjuges.

C. 277. Filia nuptui data imputata allatura et dote nuptiali, participat ex substantia denati parentis.

C. 278. De successione filiorum, qui a vivis parentibus concernentem partem hereditatis obtinuerunt.

C. 279. De successione prolium, qui partem concernentem bonorum paternorum nondum receperunt.

C. 280. De debito mutuo et pignore.

C. 281. De interusurio prohibito.

C. 282. De falcidia compensanda.

C. 283. Proles venerentur suos parentes, hi autem aequaliter dividant substantiam inter proles.

C. 284. De jure exheredationis.

C. 285. De testamentis.

C. 286. De legatis.
C. 287. De tutoribus.
C. 288. De pignore.
C. 289. De sententia Judicis arbitri.
C. 290. De complanatione inter litigantes.
C. 291. De sociis lucri seu negotiationis.
C. 292. De juramento.
C. 293. De obligatione filiorum alendi suos parentes.

C. 294. usque 311. Leges politiales, seu de compensatione damni quod quis sive in agris, sive pecoribus, sive in aliis bonis et proventibus alteri causavit.

C. 312. Dies incipit a 6-ta hora vespertina et computatur usque eamdem horam futurae diei.

C. 313. De Calendis, Nonis et Idibus.

C. 314. De Alphabeto graeco et Grammatica, item de typo Cyrillico.

C. 315. De milliaribus maritimis.

C. 316. De montibus altis et qui sunt illi.

C. 317. Quod Episcopi habeant potestatem relaxandi et moderandi rigorem canonum.

C. 318. Sacerdos exaudiens confessiones absque jurisdictione ab Episcopo impetrata, longo tempore prohibeatur a sacris, cum absolutio ab illo poenitenti impertita nulla sit; in casu tamen necessitatis valide excipit confessiones, seu in discrimine vitae, in quo quisquis sacerdos ad infirmum vocatus non iverit, et mortuus fuerit aeger absque confessione, tribus annis poenitentiae canonicae subjiciatur prohibitus a sacris.

C. 319. De confessario et violatore sigilli sacramentalis, ut puniatur annis tribus prohibitus a sacris, more laicorum autem communicet; juxta leges autem civiles evellatur ei lingua. Quod si confessarius pro absolutione donum acceptaverit, certo tempore a munere confessarii suspendatur. Confessarius autem sit 40. annis adultior.

C. 320. Aeger in agone etiam non jejunus sacram communionem accipiat.

C. 321. Masculi anno aetatis 14-to, femellae autem anno aetatis 12-mo obligantur peccata confiteri, et quod omnes tam Clerici, quam Laici obligentur poenitentiam agere et occulta peccata confiteri.

C. 322. Confesso peccatori opera statisfactionis imponenda sunt.

C. 323. Qui abnegavit Christum libere, tota vita non communicabit, qui autem coacte, post octo annos communicabit.

C. 324. Discretio non est dijudicanda juxta aetatem, sed juxta maturitatem.

C. 325. Poenitenti, bonum opus ex plena animi conversione operanti remittuntur omnia peccata.

C. 326. Homicida justificatur coram Deo pro peccato pro-

pter quod in terra punitus est, non vero propter alia quoque homicidia propter quae punitus non est, (intellige quoad satisfactionem, non autem quoad remissionem delictorum, si vere poenitens obiisset, quo in casu totus homo reconciliatus Deo nonnisi satisfactione temporali tenetur.

C. 327. Loco convenienti sunt audiendae confessiones cum summa mansuetudine et affectu compassionis erga poenitentem exhibendo, et injungenda opera satisfactionis in sensu quidem canonum, sed juxta individualitatem poenitentis.

C. 328. De praestigiatoribus quomodo puniendis? qui arte diabolica nocent, 20. annis excommunicati sint.

C. 329, De onania, fornicatione in specie cum non baptizata. Onaniam committens 40. diebus aridis vescatur, secus uno anno a sacra communione prohibitus sit; fornicationem vero committens septem annis a sacra communione arceatur; Sacerdos haec peccata committens post ordines, in perpetuum deponatur.

C. 330. De poenitentia incestuosorum, cum sorore 20. annis, cum nuru vel socru 11. annis, cum consobrina 10. annis, cum sobrina 9, cum affinissa 11, cum filia spirituali 20, etc.

C. 331. Menstruatae usque dum purgentur ne communicent, nec anaphoram sumant.

C. 332. Sodomiam vel bestialitatem committentes 18. annis a sacra communione prohibiti sint.

C. 333. De variis gradibus incestus et sodomiae, poena civilis mors.

C. 334. Poena civilis eorum, qui bestialitatem committunt: amputatio capitis et combustio corporis una cum animali.

C. 335. Homicidii poena canonica, et quidem voluntarii 20. anni, involuntarii 10. anni, ut arceantur a sacra communione.

C. 336. Siquis in affectu irae alium percusserit ut sequatur mors, Clericus deponitur, Laicus excommunicatur.

C. 337. Spectatores duelli sequente morte, puniuntur ut homicida.

C. 338. De indiciis voluntariae cooperationis ad crimen homicidii.

C. 339. De poena eorum, qui adjuvant ad profugium homicidam ne intercipiatur, vel eum occultant.

C. 340. De iis, qui recipiunt in domos suas fures et latrones.

C. 341. De auctore criminis consilio, vel mandato.

C. 342. De approbatoribus criminum.

C. 343. De furibus et latronibus.

C. 344. Qui effodiunt sepulchra tribus annis ne communicent.

C. 345. Leges civiles de spoliatoribus.

C. 346. De iis, qui obsederint vias sine armis.

C. 347. De Telonio dominali.

C. 348 Qui furatur scopo ut illudat alteri.
C. 349. De probatione latrocinii.
C. 350. Primus actus delicti mitius punitur.
C. 351. Delicta siue insidiis.
C. 352. Delicta cum insidiis.
C. 353. Circumstantiae excusantes reum.
C. 354. Status iracundiae minuit delictum.
C. 355. Ratio habeatur aetatis in puniendo delicto.
C. 356. Juvenilis aetas minuit imputationem.
C. 357. Si tamen parricida sit juvenis, morte puniatur.
C. 358. Status ebrietatis minuit imputationem.
C 359. Amentia tollit imputationem.
C. 360. Signa amentiae.
C. 361. Excusat etiam consuetudo loci.

C. 362. Excusat multitudo idem committentium, principales tamen factores severe puniendi.

C. 363. Excusatur delinquens, si ex jussione ejus qui in eum potestatem habet, patravit crimen.

C. 364. Excusat etiam debilitas naturae, et pusillanimitas.
C. 365. Excusat etiam status somni et soporis.
C. 366. Excusat etiam status inamoratus.

C. 367. Quoad qualitatem poenae, conditionis habeatur ratio, num sit dominus, vel servus, in dignitate constitutus, vel inferioris conditionis.

C. 368. Mitius puniendus, si delinquens societati valde utilis esset.

C. 369. Si quis vitam mutet in melius, vel haereticus fiat catholicus, aut paganus fiat christianus, reflexionem meretur.

C. 370. Surdomutorum per signa confessio ambigua est; si autem per scripturam confiteantur, certa, et ideo juxta leges tractandi.

C. 371. Quod si pater filium, vel filius patrem tradiderit judici, minuitur poena.

C. 372. Perjurium et testimonium falsum ex necessitate, 3. annorum non communicatione, non ex necessitate, 11. annorum poenitentia punitur.

C. 373. Calumniator uno anno non communicet, similiter etiam, qui in ira persistit et reconciliari non vult.

C. 374. De muliere quae foetum in utero occidit, vel media adhibet ne concipiat morte punienda; si autem somno oppressa mater prolem suffocavit, 3. annis ne communicet.

C. 375. Monialis sciens aliam delinquere et non insinuans superiori, ita puniatur sicut quae delictum commisit.

C. 376. De comedentibus sanguinem et suffocatum.

C. 377. Mulier ante tempus purificationis „40. dierum“ efluxum, si in agone constituatur, praemissis precibus purificationis, sacramento Eucharistiae provideatur.

C. 378. De strigis, quod non existant, et peccato quod com-

mittitur, dum comburuntur exuviae defunctorum ex supposito falso quod strigae essent.

C. 379. Si aliquid immundi ceciderit in vas, puteum, vel esculenta, et gustaverit quis ex immundis, 7. diebus ne communicet.

C. 380. De jejunio Nativitatis Domini qualiter observando; abstinendum nempe est a piscibus, sed non a vino; diebus vero sabbati et Domini pisces comedere fas est. Si Epiphania vel Nativitas Domini incidat in diem Mercuri et Veneris, nulla abstinentia est observanda videlicet ab esu carnium, item vino.

C. 381. De Jejunio Quadragesimali: comedimus semel in die arida, et quidem post vespertinum officium hora 3. pomeridiana, vel olera, exceptis diebus sabbati et Domini, quibus abstinendum est tantum a carnibus et piscibus, excepto die Annunciationis B. M. Virginis et D minica Palmarum, quibus solis pisces comedere permissum est. Similiter jejunium observandum est omnibus diebus Mercuri et Veneris per totum annum, excepto, si in hos dies incideret aliquod festum Domini, vel Beatae Mariae Virginis, dum pisces comedere licet; prout etiam in hebdomada paschatis, atque inter Nativitatem et Epiphaniam, quibus abstinentia nec a carnibus observanda. Monachi autem etiam diebus Lunae per totum annum abstinere debent: excusantur infirmi. Si quis autem jejunium non servaverit Clericus, deponatur, Laicus vero, vel Monachus quatuor annis a sacra communione arceatur.

C. 382. Puerperae absolutae sunt a jejunio.

C. 383. Si dies annunciationis in diem Veneris vel sabbati hebdomadae passionis incidat, a piscium esu abstinendum.

C. 384. In jejunio Nativitatis Domini et SS. Apostolorum Petri et Pauli, diebus Luuae, Mercuri et Veneris abstinendum est a piscibus et vino.

C. 385. In jejunio Mensis Augusti seu obdormitionis B. Mariae Virginis, diebus Luuae, Mercuri et Veneris aridis vescimur, reliquis vero diebus coctis cibis, et vino utimur, a piscium esu abstinentes.

C. 386. In die exaltationis sanctae crucis jejunamus abstinentes a carnibus et piscibus etiam die sabbati et Domini, si in hanc diem incideret; vinum tamen bibimus et coctis cibis utimur.

C. 387. Quando constructum est Symbolum fidei.

C. 388. De conciliis oecumenicis, quae sunt: Nicaenum I., Constantinopolitanum I., Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum II., Constantinopolitanum III. cum Quinisexto seu Trullano, Nicaenum II., denique VIII-um Florentinum, cui ex orientalibus solus Marcus Ephesinus non subscripsit.

*Nota*: Si igitur Pravila Florentinum Concilium pro Oecumenico recipit, qui hanc Pravilam acceptarunt, necessario cum Ecclesia Romana in unione et communione esse debent.

C. 389. Quod imagines antiquae non comburendae, sed tumulandae sint.

C. 390. Apprecatio Imperatori christiano, et Episcopo ad multos annos.

C. 391. De ordine sedium Patriarchalium: Romanae, Constantinopolitanae, Alexandrinae, Antiochenae et Jerosolimitanae.

C. 392. De metropolitis, qui habent suffraganeos.

C. 393. De Exarchis et Metropolitis honore praecellentibus.

C. 394. Dignitarii seu officiales aulae Episcoporum: Archimandrita, Protosyncellus, et Syncellus, quorum priores duo Jeromonachi, ultimus Monachus tantum Diaconus est.

C. 395. Tituli Patriarcharum, Romani: Felicissimus, Sanctissimus, adinstar Angelorum in Christo Pater Patrum et Dominator omnium Apostolicarum Ecclesiarum. Constantinopolitani: Sanctissimus Patriarcha oecumenicus. Alexandrini: Sanctissimus Dominus Papa et Patriarcha Alexandriae et totius Aegypti, Pentapoleos, item Lybiae et Aethiopiae. Antiocheni: Sanctissimus Pater Patriarcha magnae civitatis Antiochenae et totius Anatoliae. Jerosolimitani: Sanctissimus Pater Patriarcha Jerosolimitanae urbis et totius Palestinae.

A Capitulo 396. usque 417-um, formulae stilisticae, dum scribit Metropolita alteri Metropolitae, vel Episcopo, vel Principibus etc. Testimonium confessarii adspirantem ad sacros ordines nulla irregularitate irretitum esse. Testimonium Episcopi de collatis ordinibus sacris. Literae Jurisdictionis. Absolutoriae a censuris. Literae super benedicta cruce ad aedificandam Ecclesiam, vel Monasterium. Literae delegationis ad Synodum. Testimoniales super consecratione Episcopi. Literae passuales, item ad faciendas collationes pias, pro redemptione captivorum. Literae super soluto matrimonio ob malitiosam desertionem, ob adulterium, ob impotentiam, ob non comparitionem peregre profecti conjugis, ob obsessionem a daemone, ob id quod maritus absens non mittat alimenta uxori.

## Pars II. Codicis „Pravila“:

### Nomocanon.

Complectitur haec pars Concilia oecumenica, et particularia, item Canones sanctorum Patrum prout Canone II. Concilii Trullani enumerantur, verum synoptice tantum et cum scholiis schismatici Aristeri; huic tamen parti secundae Pravilae substituerunt graeci distinctum codicem Canonum, cui nomen:

### Pidalion.

Significat gubernaculum Navis seu Ecclesiae. Codex hic textum Canonum integrum exhibet cum interpretatione per Synodum Constantinopolitanam schismaticam adprobata; prodiit

Lipsiae 1800. lingua vulgari graeca, et translatus in linguam romanam, seu valachicam; lucem conspexit Jassii in Moldavia 1844-to.

## §. 50. De merito interno juris Canonici Constantinopolitani.

Quoad meritum autem internum juris Canonici Constantinopolitani, egregie disseruit D. Pitra, in recensione operis nuper editi a DD. Rhalli Areopagi praeside, et Potli, Athenis 1822—1856. jussu sanctae Synodi Ecclesiae Hellenicae, quinque volum. In qua recensione critica doctus vir historiam juris graeco-orientalis texuit et praecipuorum auctorum, qui collectiones Canonum ediderunt et commentariis illustrarunt, usque ad novos collectores et editores athenienses, quorum exhibet per volumina partes insertas, atque animadvertit jugem Imperatorum byzantinorum tendentiam ad sibi subjiciendam Ecclesiam, quae magis se patefecit in Imperatore Justiniano, qui dum ex una parte nonnisi Canonum ecclesiasticorum custodem et executorem se gerere profitebatur, ex altera Novellis suis constituebat disciplinam, et vim Canonibus tribuebat. Hic Imperator auctor fuit Joanni Scholastico, ut in unum colligeret leges imperiales et canones pro objecto disciplinam ecclesiasticam habentes. Conflictus identidem inter Imperatores et Patriarchas Constantinopolitanos excitatus est, et quotquot imperialis dignitatis assentatores non exstiterunt, ac libertatis ecclesiasticae noluerunt se praebere proditores, persecutionem passi sunt, vel morte, vel carcere, vel exilio mulctati.

Res ita steterunt donec intrusus Photius anno 883. ut firmaret suum Schisma, et Ecclesiam sub Imperatorum ditione et servitute constitueret, novum juris Canonici syntagma vulgavit, aliudque opus sub profano titulo Nomocanonis edidit, quo significaret eamdem legibus imperialibus et canonibus ecclesiasticis vim inesse. Ac reipsa huic suo Nomocanoni Novellas Imperatoris Justiniani disciplinares inseruit perinde ac si eandem vim haberent. Pedetentim primas legibus imperialibus graeci Canonistae dederunt, ita, ac si tota canonum ecclesiasticorum vis unice ab imperiali auctoritate penderet. Siquidem lex haec immutabilis est, ut quoties Ecclesia aliqua se a legitima substrahit auctoritate, toties sub tyrannicam laicorum Principum dominationem incidat, cujus rei praeter protestantium communiones, quas vocant, ineluctabile documentum est Ecclesia Anglicana, quae effecta est vile mancipium laicae potestatis regis, sive reginae, seu commitiorum.

Hoc vitium inhaeret etiam juri canonico byzantino, ac ita illud inficit, ut merito illud vocaveris potius jus civile quam canonicum, hoc enim ab illo suam mutuat obligandi vim. Cujus rei recens adhuc monumentum est Promptuarium seu Epitome

juris canonici Harmenopuli, quod obtinuit legis vim in Graecia duobus decretis an. 1830. et 1835., atque tribunalibus hellenicis inservire debet adinstar codicis civilis in quaestionibus dirimendis.

Abjecta haec Ecclesiae Graecae servitus effecit, ut vel ipse Protestans Bonefidius pronunciaverit: „Quae omnia si quis diligentius consideret, sane Imperii Constantinopolitani interitum et eversionem admirari desinet,... justo Dei judicio deletum est."[1])

## §. 51. De Canonica Auctoritate, et Approbatione Codicis Canonum Ecclesiae Orientalis.

Codex Canonum Ecclesiae Orientalis canonicam auctoritatem accepit per Canonem II. Concilii Trullani, cujus tenor juxta Decretum Gratiani, Distinctione XVI. C: VII. synoptice sequens est: Placuit huic sanctae Synodo ut a modo confirmata et rata sint Canonum Apostolorum LXXXV. Capitula. Confirmamus et caeteros SS. Patrum Canones et Synodos, idest: Nicaenam, Ancyranam, Neocaesariensem, Gangrensem, Antiochenam, Laodicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, Sardicensem et Carthaginensem. Et opuscula Theophili Alexandrini Episcopi, et Dionysii Alexandrini, et Petri Alexandrini Episcopi et Martyris, Gregorii Thaumaturgi, Neocaesariensis Episcopi, Athanasii Episcopi Alexandrini, Gregorii Nisseni Episcopi, Gregorii Theològi, Amphilochii Iconiensis Episcopi, Timothei Alexandrini Episcopi, Genadii Constantinopolitani Episcopi, Cyrilli Alexandrini Episcopi, Cypriani Carthaginensis Episcopi et Synodum suam. Item concilium Nicaenum II., Oecumenicum VII., Canone I. acceptavit, tam Canones Apostolorum quam et Synodorum oecumenicarum et particularium atque etiam SS. Patrum. His ergo consisteret canonica auctoritas Codicis Canonum Ecclesiae Orientalis; observandum tamen est, Canones Trullanos a sancta sede Apostolica generatim nunquam fuisse approbatos, in specie vero adductum II. Trullanum et ei consonum Canonem I. Concilii VII., qui etiam nunquam approbationem sedis Apostolicae referent. Ceterum s. sedes Apostolica agnoscit non paucos Canones ipsius Concilii Trullani sanam et puram continere disciplinam, et ideo ipsi summi Pontifices Romani, prout Sixtus V. et Benedictus XIV. ad aliquos eorum provocarunt. Generatim quoad Canones Trullanos inquit Anastasius, in Praefatione ad Synodum VII.: „Ergo regulas, quas Graeci a VI-ta Synodo perhibent editas, ita in hac Synodo principalis sedes (Romana) admittit, ut nullatenus ex iis recipiantur, quae prioribus Canonibus, vel decretis sanctorum hujus sedis Romanae Pontificum, aut certe bonis moribus inveniuntur adversae."

Ergo de auctoritate Codicis Ecclesiae Orientalis tenendum

[1]) Conf. Perrone de Matrim. Tom. III. p. 406.

est; sanctam sedem Apostolicam, sine cujus assensu nulla datur in Ecclesia christiana legitima auctoritas, admittere Canones tam Apostolorum quam et Conciliorum ipsorumque sanctorum Patrum prout in Codicibus orientalibus referuntur; dummodo tamen sint authentici, et praesentibus Ecclesiae Orientalis circumstantiis opportuni. Ex hocque generali principio relate ad versiones Codicis Ecclesiae Orientalis in linguam romanicam aut aliam, observandum est, Canones in ipsis recensitos habere in se non posse aliam auctoritatem, quam illam, qua gaudent auctores Graeci, ex quibus excerpti sunt; et posse quidem hos Canones probationem facere disciplinae hactenus in Ecclesia Graeca observatae, quae disciplina eatenus legitima est, quatenus innititur canonibus antiquis ab Ecclesia Catholica aut sancta sede admissis, aut quatenus hucusque observata velut disciplina Ecclesiae Orientalis nihil in se continet quod fini Ecclesiae ejusque fundamentalibus principiis, aut dignitati et utilitati Ecclesiae ejusdem adversetur. Extra dubium autem est legislatricem Ecclesiae et sanctae sedis Apostolicae auctoritatem posse emendare et mutare hanc quoque disciplinam, quotiescunque praesentes circumstantiae diversae omnino ab eis, in quibus antiqui Canones conditi fuerunt, aliquam emendationem exigerent aut mutationem.

## §. 52. Codex Ecclesiae Latinae.

Codex Ecclesiae Latinae, qui vocatur „Corpus Juris Canonici", complectitur in se I. Decretum Gratiani, quod construxit post Schisma Photii circa dimidium saeculi XII. in quo exhibentur etiam Canones plerique Ecclesiae Orientalis. Gratianus enim Decretum suum construxit ex conciliorum tam universalium quam particularium Canonibus, Pontificum Epistolis, Patrum et Doctorum Ecclesiae enunciationibus, sacra scriptura, legibus Imperatorum Romanorum et Regum Francorum, quibus sua quoque addidit; ad hocque usus est collectionibus, imprimis Dionysii Exigui (§. 37.), Isidori, Rheginonis, Bunchardi Vormatiensis, Ivonis, item Aniano Breviario, quod legis Theodosianae nomine ei venit. (Vide de his opera Juris ecclesiastici Latina.) Vocavit Gratianus opus suum: „Concordiam discordantium Canonum", eo quod Auctor contrarietates Canonum in variis collectionibus repertorum tollere sibi proposuerit. Dividitur in tres Partes. Pars 1-a constat ex 101. Distinctionibus, harum singula Canonibus. Primae 20. Distinctiones agunt de Jure naturali et divino in genere, tum de fontibus Juris; reliquae de personis ecclesiasticis earum electione, ordinatione, officiis etc. Pars 2-a continet 36. causas cum quaestionibus, seu casus juris cum congruis legibus ad eorundem resolutionem. Pars 3-a continet 5. Distinctiones, singula dividitur in Canones.

Modus citandi e Parte 1-a; praemittitur litera C. vel syllaba Can. indicans Canonem. cum numero, dein additur litera D.

vel syllaba Dist. denotans Distinctionem cum numero e. g. C. 6. D. 17. vel Can. 6. Dist. 17. E Parte 2-a Canon causa quaestio: e. g. C. 25. C. 2. qu. 6. vel Canon 25. caus. 2. quaest 6. E Parte 3-a sicut ex prima Can. 51. D. 2. sed additur titulus v. g. de consecratione.

II. Praeter-Decretum Gratiani complectitur Corpus Juris Canonici: Decretales Gregorii IX-i, quas jussu Gregorii IX. Pontificis e variis privatis collectionibus congessit S. Raymundus de Pennaforte, divisitque opus in 5. libros, singulum librum in titulos et Capita.

Citatio fit: C. vel Cap. indicans Caput, dein ponitur initiale vocabulum, vel absque hoc numerus, dein Titulus v. g. Cap. I. Tit. XXIII. De officio Archi-Diaconi. Post Decretalium Gregorii IX. libros 5., sequitur in Corpore Juris Canonici Liber sextus Decretalium, Bonifacii VIII. Pontificis, et citatio fit sicut ex Decretalibus Gregorii IX. addito tamen in sexto.

Dein occurrunt Clementinae, seu constitutiones Clementis V. Pontificis in 5. libros, titulos et capitula divisae, atque Extravagantes Joannis XXII. dictae ita ideo, quod in Corpus Juris aliquo tempore redactae non essent, sed extra illud vagarentur, privata solum auctoritate collectae, in XIV. titulos divisae. Dein Extravagantes communes, circa annum 1484. privato studio collectae, quae diversorum Pontificum constitutiones referunt, in V. libros et dein titulos divisae. Citatio fit prout e prioribus Decretalibus, addito in fine Clem. vel Extrav. Joann. vel Extrav. Comm. Post has sequitur Liber septimus Decretalium, Canones nempe et constitutiones Gregorii IX., Bonifacii VIII. et Clementis V. atque Extravagantes subsequentes seculo XVI. privata opera collegit Petrus Mathaei Jurisconsultus Lugdunensis; quae compilatio nunquam a Pontifice aliquo approbata, recentioribus corporis Juris Canonici editionibus subjuncta est. — Ad calcem denique corporis Juris Canonici additae sunt: „Institutiones Lancelloti", prima Juris principia complectens.

## §. 53. De auctoritate corporis Juris Canonici.

Cum nullus Pontificum expressam approbationem omnium eorum quae in Decreto Gratiani complexa sunt ediderit, Gregorius enim XIII. nonnisi emendationem Decreti ratihabuit et nihil ei addi, aut in eo mutari praecepit. Romanisque Typographis decreto de 1. Junii 1580. tamquam opus publicae utilitatis imprimendi facultatem concessit, ea, quae ex Decreto hoc Gratiani citantur reducenda sunt ad fontes, ex quibus citata hausta sunt; imo Decretum ipsum reticeri et fons ipse citari potest. Quod autem adtinet Decretales Gregorii IX., item Librum VI. Decretalium, Clementinas, ac Extravagantes, quae partim originem, partim approbationem pontificiam praeseferunt, vim legis habent,

nisi posteriori decreto pontificio, concordato, vel consuetudine legitima quae probanda est, derogatum iis esset.

## §. 54. Concilium Tridentinum.

Legislationis ecclesiasticae celeberrimum productum est Concilium Tridentinum, ab anno 1545—1563. interrupte celebratum et 25. sessionibus absolutum. Concilium hoc tam fidem Ecclesiae Catholicae contra haereticos imprimis Novatores et Reformatores saeculi XVI. per Canones enunciavit, quam etiam disciplinam ecclesiasticam per decreta de Reformatione in semper contestato Ecclesiae Catholicae sensu instauravit, jusque novissimum Ecclesiae constituit, cujus manutentionem Pius IV., et in dubio interpretationem Sixtus V. Pontifex distinctae congregationi, quae dicitur Interpretum Concilii Tridentini commisit.

## §. 55. Valor corporis Juris Canonici et Concilii Tridentini quoad Graeco-Catholicos.

Dogmata fidei Catholicae et leges morales omnes Christi fideles ad credendum et agendum obligant. Quod vero jus et disciplinam concernit, Corpus Juris Canonici et Concilium Tridentinum, praeter ea, quae decretis summorum Pontificum expresse etiam pro Graeco-Catholicis sive omnibus, sive aliquibus praescripta sunt, pro Graeco-Catholicis fontem Juris subsidiarium constituunt, in quibus Codex Ecclesiae Orientalis non sufficit, et Ritui etiam orientali congrua sunt. Ipsi etiam graeci-non-uniti confitentur se etiam acceptare Synodorum occidentalium quae congruunt. (Vid. §. 23. Nr. 5.) Et libro 11. Basilicalium tit. 1. C. XI., haec leguntur: „De quibus causis nulla scripta lex est, custodiri oportet mores et consuetudinem. Quod si haec defecerint, proxima propositae quaestioni similia sunt sequenda. Si nec haec quidem inveniantur, tunc jus quo urbs Roma utitur servari oportet.

# PARS I.

## JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM.

# SECTIO I.

## JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM INTERNUM.

# CAPUT I.

## DE REGIMINE ECCLESIAE CHRISTIANAE.

### §. 56. Christus Regimen Ecclesiae suae constituit.

Christus voluit Ecclesiam suam superstructam esse immobili fundamento, cui superaedificata, quibuscunque assaltibus resistere valeat, et immota usque ad consummationem seculi perduret. Lucae C. VI. v. 47. et 48. „Omnis, qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit; similis est homini aedificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram; inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere, fundata enim erat super petram". Sic et Christus aedificavit Ecclesiam suam super fundamentum firmum, sive petram; et ideo duratio ejus usque ad finem temporum secura est, quia fundavit eam Christus supra firmam petram; Petra autem erat ipse Christus 1-ae ad Corint. Cap. X. v. 4. collato cum Epistolae ad Epheseos C. 2. v. 20. et 21.: „Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo lapide angulari Jesu Christo, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino." Lapis ergo principalis fundamentalis Ecclesiae est ipse Jesus Christus, qui acquisivit Ecclesiam suam sanguine suo, a qua indivulsus est, cui assistit per spiritum suum sanctum, spiritum veritatis, qui cum ea manet in aeternum.

Cum autem fundator Ecclesiae Jesus Christus consummato opere missionis suae in terra, ascensurus erat ad Patrem, ad cujus dexteram sedens munus Regium, sive collationis gratiarum exequeretur, aliud loco sui in terris reliquit principale funda-

mentum, distinctam a se petram, cui tota compages terrestris suae Ecclesiae inniteretur, et usque ad finem seculi immota perduraret.

## §. 57. Christus Rectorem principalem suae Ecclesiae in terris, reliquit Petrum Principem Apostolorum.

Juxta Evangelium secundum Matheum Cap. 16. v. 15. dixit Jesus Apostolis: „Vos autem, quem me dicitis, v. 16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, v. 17. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. v. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus (petra) et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam." Quorum verborum planus sensus est hic: adusque vocabaris Simon filius Jonae, a modo vero, quia Pater meus coelestis speciali revelatione confessionis meae, vel de me, te distinxit, vocaberis Petrus, sive petra, et super hanc petram, principale et immobile fundamentum, aedificabo Ecclesiam meam, hoc est innixam servabo Ecclesiam meam, ut nec maxima potestas, qualis est portae inferi, praevalere possit adversus Ecclesiam meam. Hunc autem et non alium sensum allatis Christi verbis attribuit tota Ecclesia christiana orthodoxa et catholica; utque taceam confessionem Ecclesiae latinae, quae utique constat, solum confessionem Ecclesiae graecae protulisse sufficiat, quae, qua perpetua Traditio in libris ejusdem ritualibus, qui libri omnium tam praeteritorum, quam et futurorum seculorum totius Ecclesiae christianae inconcussam, et immutabilem fidem exprimunt, deposita est.

## §. 58. Confessio Ecclesiae graecae, Petrum Principem Apostolorum esse fundamentum Ecclesiae constitutum.

Confessio Ecclesiae graecae qua traditio divina in libris ejus Ritualibus et Euchologicis pro testimonio fidei chistianorum omnium seculorum deposita, Petrum constitutum esse petram et fundamentum principale Ecclesiae christianae evidens est ex cultu, sive officio cultus divini pro die 16. Januarii, quo die Ecclesia memoriam recolit vinculorum Apostoli Petri, atque in Hymno (Svetilna) haec canit: „Post mutationem nominis vocavit (Christus) te Petrum, qua petram fortem et fundamentum Ecclesiae." Item eodem die: „Petra Christus, fidei petram principem discipulorum illustri ornat gloria." Frustra igitur Hellias Meniata in libro quem Lapis offendiculi, sive Expositionem originis et

causae dissidii Ecclesiarum inscripsit[1]) ad infirmandam hanc propriae Ecclesiae confessionem adducit S. Augustinum, qui Sermone LXXVI. in Evangelium Matthaei Cap. XIII. ait: „Super hanc petram, quam cognovisti dicens, tu es Christus, aedificabo Ecclesiam meam, super me, idest ipsum filium Dei vivi, super me aedificabo te, non me super te.“ Confessio namque Ecclesiae graecae loco adducto, manifeste distinguit Petram Christum, a fidei petra principe discipulorum, qui juxta confessionem Graecae Ecclesiae ideo accepit a Christo nomen novum sive Petri, ut sit petra fortis et fundamentum Ecclesiae. Porro frustra idem Hellias Meniata allegat textum S. Pauli ad Ephesios: „Superaedificati super fundamentum Apostolorum“, si enim Apostoli sunt fundamenta, certe principale fundamentum Petrus est, quia princeps est Apostolorum, seu fundamentorum, cui omnes lapides fundamentales tamquam immobili saxo petrae innituntur, propterea illi soli nomen Petri dedit, ideo etiam S. Cyprianus: „super illum unum Petrum aedificavit Ecclesiam suam“; sive ille unus est principalis petra, cui innixi sunt ceteri Apostoli qua lapides fundamentales, qui primi a Christo doctrinam acceperunt, et hoc sensu S. Joannes in Apocalypsi Cap. XXI. vidit coelestem Jerusalem fundatam super duodecim fundamenta, super quibus nomina erant scripta duodecim Apostolorum, principatu tamen soli Petro competente, et ipso lapide angulari Jesu Christo Ecclesiae adsistente, quo sensu S. Augustinus in loco perperam adhibito, ipsum quoque Petrum cum tota terrestri Ecclesia Christo superstructum esse dicere potuit. Ceterum Augustinus germanam verborum Christi interpretationem non excludit; unde enarratione in Psalmum 69. inquit: „Petrus, qui paulo ante Christum confessus erat Filium Dei, et in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia.“ Et Serm. XV. de Sanctis: „Petrum itaque fundamentum Ecclesiae Dominus nominavit . . . supra quod ecclesiastici altitudo consurgit.“ Item Psalmo contra Donatistas: „Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede . . . ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.“ Utitur ergo quandoque S. Doctor et alia interpretatione, vel defectu notitiae linguae Syriacae, ut multi contendunt, vel potius ad indicandam firmitatis originem, quam consecutus est Petrus, eo ferme sensu, quo S. Leo Magnus (Serm. 3. de assumpt. ad Pontif.) exponens Christi verba — Tu es Petrus — sic Dei Filium loquentem inducit — Cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis . . . tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.

---

[1]) Editio Vratislaviae 1752.

## §. 59. Argumentum 2-dum ex Sacris Scripturis pro Regimine Ecclesiae a Christo Petro collato.

Eodem Capite 16. v. 19 o Evangelii secundum Matthaeum procedit Christus in Sermone ad Petrum: „Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in coelis.“ Ex usu autem loquendi orientali, qui tenet claves domus, habet potestatem in domo, est domus Rector; quam regendi potestatem amplius, adhuc exprimit Christus per potestatem ligandi et solvendi, idest praecipiendi et prohibendi, absolvendi reum, et puniendi Petro distincte a reliquis Apostolis datam, et quidem potestatem ab illa potestate ligandi et solvendi, quam Christus post resurrectionem omnibus Apostolis in communi dedit, distinctam, soli Petro competentem. Ideo etiam Petrum peculiariter totius gregis sui Pastorem constituit apud Joannem C. XXI. v. 15—17. tribus vicibus dicendo ei: „Pasce Agnos meos, pasce Oves meas.“ Imo ipsorum Apostolorum quoque Praepositum et confirmatorem constituit dicendo: „Ego oravi pro te Petre! ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“ Quod ipsum unanimis confitetur Orientalis Graeca Ecclesia in officio cultus divini ad 29-am Junii, qua die etiamsi et Apostoli Pauli Ecclesia laudes celebret, Petrum tamen tamquam Primatem et summum Apostolorum veneratur, atque repetitis vicibus profitetur: quod Apostolum hunc Aeternus constituerit Praepositum, et Protochronium; quod Christus divinae suae Ecclesiae gubernacula praeprimis ei commiserit, potestatemque ligandi et solvendi dederit; quod ei tamquam glorioso Apostolorum Antistiti post suam resurrectionem imprimis apparuerit; quod denique in praemium ter manifestati amoris dilectum suum Gregem ei concrediderit[1]), imprimis autem eodem die ad laudes sequentia canuntur: „Tu Petre secundum dignitatem petra vocatus es, dum fidem Ecclesiae immobilem Dominus confirmavit, et te superiorem Pastorem ovium suarum fidelium constituit, ideo et aperire portas coeli tibi concredidit, ut aperires omnibus, qui veniunt cum fide.“

Cum autem Graeci-disuniti adhibito licet omni conatu Primatum Beato Petro Apostolo contra expressum sacrarum scripturarum et Ecclesiae universae sensum abjudicandi eo solum scopo, ut tanto magis consequentiam Primatus Romanorum Pontificum abnegarent, et suum peccatum scissionis, a principe apostolica sede justificarent, in probando defecerint; et nec Cypriano dicenti: „super illum unum (Petrum) aedificat Christus Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas, neque Chry-

---

[1]) Vide Levicki Sermo Pastoralis ad Clerum Galliciae Leopoli 1841. item Menea pro Mense Junio edita Moscoviae 1705. p. 233. et sequentibus.

sostomo asserenti: „Post perniciosum illum casum (sive abnegationem) Petrum ad pristinum evexit honorem, primatumque universae tradidit Ecclesiae; sed nec propriae quoque confessioni, quam cum tota Ecclesia emittunt in oratione absolutionis defuncti his verbis: „Domine Jesu Christe DEUS noster, qui super Principem discipulorum et Apostolorum tuorum Petrum aedificasti Ecclesiam tuam", resistere valentes, prosequuntur et dicunt[1]); Non est necesse ut accuratius perquiramus, qualis inter ceteros Apostolos erat Petrus. Esto fuerit ille ejusmodi, qualem ajunt Latini fuisse, imo etiam major: quid id ad Papam, quod indi commodum ad Romanum redundat Episcopum? Petrus nempe solus erat Vicarius Christi, et quanta Christus, donec ageret in terris, inter Apostolos praeditus fuit potestate, tantam Petrus, posteaquam ille sublimis raptus esset, inter eosdem obtinuit. Quid inde colligitur? ut scilicet etiam Papa, qui Petro successit, simili modo eandem inter alios Praesules habeat potestatem? Non sane, respondent disuniti; Catholici autem orthodoxi orientales respondent: „Ita sane".

## §. 60. Primatus Regiminis Ecclesiae a Christo Petro collatus, perpetuus est in Ecclesia, eisque Romanus Pontifex heres est.

Beato Petro Apostolo collatum a Christo Domino munus supremi universalis totius dominici gregis Pastoris, Doctoris, et Rectoris in Ecclesia usque ad consummationem saeculi perdurare debet, et administrationem ejus successores Beati Petri Principis Apostolorum Pontifices Romani inalienabiliter tenent, seu quemadmodum enunciavit sacrosanctum Concilium Florentinum: „Definimus sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universam Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse." Nam 1) Omnibus in confesso est, Christum in Petro, super quem unum (juxta Cyprianum) aedificavit Ecclesiam suam relinquere voluisse fundamentum firmum et immobile Ecclesiae suae et quidem non solum pro tempore, quo Petrus viveret, sed pro toto tempore durationis Ecclesiae, usque ad consummationem saeculi, secus, si cum Petro, immobilis petra et fundamentum cessare debuisset, amoto fundamento corruere debuisset etiam superaedificatum, seu tota Ecclesia.

2) Non minus omnes confitentur, Christum unitatem Eccle-

---

[1]) Hellias Meniata Lapis offendiculi. pag. 131. Nr. 9.

siae in Petro, ejusque munere universalis Ecclesiae Doctoris, et principalis Gubernatoris conservari voluisse, juxta Cyprianum dicentem: „Exordium ab unitate proficiscitur, et Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et una cathedra monstretur". Et S. Hieronymum: „propterea unus inter duodecim constituitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio." Atqui unitas Ecclesiae, perpetua atque essentialis est Ecclesiae nota, juxta Symbolum: „Credo in unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam"; ergo, ut Ecclesia semper una sit, etiam Primatus, tamquam conditio sine qua non, perpetuus esse debet. Ideo ubi Petrus, ibi semper erit et Christi Ecclesia, cujus criterium Princeps Apostolorum in successoribus suis semper vivens est et erit usque ad consummationem saeculi. Propterea S. Cyprianus: Qui cathedram Petri, supra quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.[1])

## §. 61. Petri Principis Apostolorum in cathedra et munere successor est Romanus Pontifex.

Romanos Pontifices solos tenere cathedram Primatus Petri, eosque solos esse Petri in munere summi Ecclesiae Pastoris successores, nullus diffitetur, nisi qui totam historiam ignorare vult. Nec ullus alter Patriarcha, vel Episcopus, nec Antiochenus, cujus tamen sedem Petrus primus tenuit, Petri cathedram et munus sibi arrogare praesumpsit, quam Romanus Pontifex, quem solum universalis Christi Ecclesia muneris Primatus a Christo Petro collati successorem, et heredem agnovit. Ideo SS. Patres Romanum Pontificem appellant: petram Ecclesiae principalem, Romanam Ecclesiam: Ecclesiarum omnium matrem, et ex qua unitas sacerdotalis exorta est; Ecclesiam potentiorem, cum qua necesse est convenire omnes, qui sunt undique fideles; Petri cathedram, contra quam nunquam praevaliturae sunt superbae inferni portae; ex qua profluxit quidquid in Episcopis auctoritatis est; ex cujus firmitate firmitas pendet Episcoporum et Episcopatus. „Haec, aliaque sexcenta ejusmodi patrum effata, ait Perrone[2]), quibus Romanam Sedem, seu Romanum Pontificem: Unitatis centrum, unitatis originem, sedem apostolicam per eminentiam appellant; firmamentum a DEO fixum et immobile, Episcopum Episcoporum, Patrem Patrum etc. apertissime evincunt, agnitum semper, constanterque fuisse, primatum Petri in Romanis Pontificibus ejus successoribus perseverantem, adeo ut monumentorum omnigenorum copia veluti obruamur."

Verum non solum verbo et doctrina, sed etiam facto agnovit Ecclesia successionem Romani Pontificis in Jurisdictione Primatiali Petri. Ab exordio namque Ecclesiae deprehendimus mu-

[1]) Vid. Natal. Alex. Hist. saeculi 13. et 14. dissert. 12.
[2]) Perrone Theolog. Dog. De locis Theolog. p. 282.

neris Primatus Ecclesiae per Romanos Pontifices exerciti facta, sive cum errores, haeresesque damnarunt, sive cum disciplinam universalem sanxerunt; sive cum exortas controversias ubique gentium diremerunt; sive cum Episcopos lônge dissitos, tum in Oriente, tum in Occidente obedire detrectantes minis perterruerunt, aut etiam deposuerunt, sive dum alios id genus auctoritatis actus exercuerunt, quibus referta est ecclesiastica trium priorum saeculorum historia.[1]) Ita se gesserunt Pontifices Romani in Schismate Donatistarum, in Schismate Alexandrino, et Antiocheno; ita in haeresibus, quae exortae sunt vel a primis Ecclesiae saeculis: Gnosticorum, Pauli Samosateni, Theodoti Coriarii etc. Dionysius Alexandrinus cum in suspicionem haeresis venisset, apud Dionysium Romanum accusatus est. Id ipsum contigit, cum enatae sunt haereses: Ariana, Macedoniana, Nestoriana, Eutychiana etc. Nullum unquam alicujus momenti negotium agitatum est, quod illico delatum non fuerit ad Romanum Pontificem, uti testis locupletissima est universa historia ecclesiastica. S. Basilius ep. LXIX., ad Athanasium: „Nobis autem inquit, operae pretium esse visum est ad Episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat, et consilium daret. . . . Ipse hoc negotium suo marte aggrediatur.“ Et in Epistola LXX. ad Damasum, opem ejus implorat in difficillimis circumstantiis, eumque excitat ad exemplum praedecessorum suorum.

## §. 62. Confessio Ecclesiae Graecae quoad Successionem Romani Pontificis in Primatu Petri.

Ecclesia Orientalis, sive Graeca confitetur Beatum Petrum, stabilem muneris sui sedem Romam fixisse. Die 16. Januarii in memoriam vinculorum ejus canens: „Romam non deserendo ad nos venisti per honorata vincula tua, qui prae ceteris Apostolis primam sedem tenuisti.“

In Directorio, seu codice Juris Ecclesiae Graecae, quo Graeci-non-uniti hodiedum utuntur, in Praefatione ad Canones Apostolorum haec leguntur: Scripti fuerunt hi Canones sanctorum Apostolorum per Clementem Magnum Martyrem, qui erat successor Magni Petri, qui fuit Episcopus Romae tertius post Doctorem Petrum, cujus Linus accepit Cathedram. Hujus S. Clementis memoriam recolit Ecclesia Graeca die 25. Novembris, atque in officio pro hac die in Meneis eadem Ecclesia Graeca sequentia praedicat: quod S. Clemens fuerit discipulus Primi Apostolorum, et in hujus, seu Petri petra semetipsum tamquam honorabilem petram aedificaverit; quod ab occidente tamquam sol radians illuxerit, sua doctrina terram illustraverit, et orientales partes attigerit; quod per omnes fines terrae divina praecepta

---

[1]) Apud Perrone de Locis Theolog. pag. 281. Nr 573. Nota 4.

praedicaverit; quod tamquam aurora solis universo orbi doctrina sua praeluxerit; quod divinas leges omnibus explanaverit; omnemque disciplinam ecclesiasticam perfecerit; quod ceu discipulus Petri et sectator, etiam sedis ejus successor vere evaserit; quod demum Ecclesia, praecepta ab eo promulgata tamquam praeclarum suum ornamentum spectet, et in ipso glorietur.[1])

Memoriam autem S. Sylvestri Pontificis Romani recolit Ecclesia Graeca die 2-a Januarii, atque de eo sequentia praedicat: quod thronum primi Apostolorum exornaverit, quod tamquam divinus (a Deo constitutus) consecratorum patrum (Episcoporum) Antistes sanctam doctrinam firmaverit, et haereticorum impia ora obstruxerit.[2]) Et in Cantico (Icos) canit Ecclesia Graeca: „Sedem Principis Apostolorum ditando, servum DEI te exhibuisti Sylvester!"

S. Leonis Romani Pontificis autem memoriam celebrans Ecclesia Graeca die 18. Februarii, sequentia epitheta ei adscribit: Caput orthodoxae Ecclesiae Christi; Oculus fidei et firmum fundamentum; Senior summi Collegii (Episcoporum); Regula doctrinae certa; sedis primariae Petri possessor: columna orthodoxae Christi Ecclesiae; omnium haeresum debellator; Petri successor, ejus Primatu dotatus, et fervente zelo praeditus.[3])

Sancti autem Martini Pontificis saec. VII. memoriam faciens Ecclesia Graeca, die 14. Aprilis, in cultu ejus sequentia exprimit: quod S. Martinus divinam sedem Petri exornaverit, et in ipsius Petri petra immobilem Ecclesiam conservaverit.

Denique S. Gregorii Papae I., qui saeculo VI. sedem Petri illustravit, Ecclesia Graeca in Meneis ad 12-am Martii sequentem in modum memoriam recolit: DEUS vocavit te, ut sis summus Episcopus ejus Ecclesiae, et successor Petri Principis Apostolorum. Ideo S. Petrus Chrysologus in epist. ad Eutich. „Hortamur te, inquit, Frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt obedienter attendas, qua beatus Petrus, qui in propria sede vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem."

Sanctus autem Theodorus studita, cujus memoriam recolit Ecclesia Graeca die 11. Novembris, in cujus cultu eum celebrat, qua orthodoxae veritatis defensorem, columnam et arcem orthodoxae fidei, qui doctrina sua omnes illuminavit, et impia haereticorum dogmata repressit; hic, inquam, tantus et sanctus Doctor Ecclesiae Graecae, scribens ad Leonem III. ineunte saeculo IX., quem Patrem Patrum, et Papam Apostolicum nominat, in exordio Epistolae haec exprimit: „Quandoquidem Petro Magno Christus Deus post claves regni coelorum, pastoralis etiam principatus contulit dignitatem; ad Petrum utique, vel ejus succes-

---

[1]) Menea Moscoviae edit. pag. 303.
[2]) Menea Moscoviae edit. pro Mense Januario pag. 17. et sequent.
[3]) Menea pro Mense Februario, Levicki serm. pastoralis p. 4.

sorem, quidquid in Ecclesia Catholica per eos innovatur, qui aberrant a veritate, necesse est referri. Quod nos quoque humiles, et minimi a sanctis olim Patribus edocti, postquam in Ecclesia nostra novitas quaedam nuper exorta est, per simplices literas nostras ad supremae Beatitudinis tuae Angelum de ea referre nos debere arbitrati sumus." In ulteriori autem contextu ejusdem Epistolae suae, eundem Pontificem: divinissimum omnium capitum caput; Archipastorem Ecclesiae, quae sub coelo est; divino pastorali Principatu insignitum, diversis vicibus appellat.[1])

Idem autem S. Doctor Ecclesiae Graecae adversus Iconomachos opem exposcens in sua ad Paschalem Romanum Pontificem scripta Epistola, Pontificem appellat: Apostolicum Caput, a DEO praepositum Pastorem ovium Christi, janitorem regni coelorum, petram fidei, supra quam aedificata est Catholica Ecclesia, Petrum, utpote Petri sedem exornantem et gubernantem.

Denique idem S. Doctor Ecclesiae Graecae ad fratres propter Christum dispersos, nec non in carceribus et exiliis detentos scribens, hortatur eos, ut haereticorum communionem fugiant, atque Ecclesiae Catholicae et universali consentiant, „haec enim Constantinopolitana, inquit, Ecclesia segmentum est haereticum, cui solemne est ab aliis frequenter abscindi."[2])

Ecclesia proinde Orientalis Graeca, primitivae traditioni suae, quae in propriis euchologicis et ritualibus sacris libris pro omni tempore deposita est, conformiter profitetur id, quod Patres orientis pariter ac occidentis in Synodo Florentina, synodaliter quoque enunciarunt, videlicet: Romanum Pontificem successorem Principis Apostolorum Petri, et heredem potestatis eius in universam Christi Ecclesiam a Christo obtentae esse, petram fidei immobilem, et fundamentum Ecclesiae perpetuum, sine quo nullum Concilium oecumenicum celebratum est, et sine quo nec leges pro universa Christi Ecclesia obligantes ferri possunt; proinde supremum esse Legislatorem, et Judicem omnium Pastorum, et Christifidelium, quemadmodum Synodus Sardicensis Canone 3-o indicavit: „Quod si aliquis Episcoporum per Episcopos provinciae condemnatus confideret innocentiae suae, et revideri cuperet causam suam: honoremus ait Concilium, memoriam Apostoli Petri, et scribatur Julio Episcopo Romano, qui judicet causam." Et reipsa historia teste, quemadmodum Pontifices Romani, Sanctos Episcopos Athanasium, Chrysostomum, et Ignatium injuste persecutos sedibus suis restitui curarunt, ita reos Episcopos apostolica potestate sua per virtutem clavium a Petro hereditatarum, sedibus suis amoverunt; de quo confessionem facit Ecclesia Graeca in Menea edita Moskoviae 1795. ad

---

[1]) S. Theodor. Studit. Epist. graece et latine Parisiis 1696. Libro 1-o Epistola 33. et seq.

[2]) Earundem Epistolar. Libro II. Epistola 8. pag. 380.

diem 8-am Aprilis, in laudes S. Papae Coelestini in Synaxario diei, „Quod impiam haeresim Nestorii perstrinxerit, et hunc in DEIPARAM virginem blasphemantem Patriarcham Constantinopolitanum deponi jusserit.“ Similiter in laudes Agapeti Papae, „quod Antimum Patriarcham Constantinopolitanum haeresi Eutychiana infectum sede patriarchali privaverit, et in locum ejus Mennam Patriarcham constituerit.“

## §. 63. Confessio Constantini Magni, primi Imperatoris Christiani,

### quem Ecclesia Graeca Sanctum et Apostolis aequiparandum habet, de Successione Romani Pontificis in Primatu Petri a Christo instituto.

Etiamsi Edictum sequens Constantini juxta communem opinionem saltem ita, prout in Graecis Codicibus prostat, falsum et suppositum sit; illud tamen notitiae causa, et quoniam Graeci illud acceptarunt, qua documentum partis contrariae pro Primatu Romanorum Pontificum in munere per Christum Petro collato successorum inserimus.[1])

De Confessione Constantini Magni, primi Imperatoris Christiani, quoad Primatum Romanorum Pontificum, seu successionem in munere S. Petro Apostolorum Principi, seu Edicto occasione translatae sedis Imperatoriae Constantinopolim, Matthaeus Blastares, in suo Syntagmate Alphabetico, quod Beveregius in Synodico suo Tomo II. luci publicae tradidit, pagina 117. ad Literam E. haec profert: „Sed dum in hac parte sermonis sum, num Constantini Magni Edictum silentio praeteribo? et quomodo inscitiae reprehensionem non incurram, cum aeque absurdum existimo, quae non decet enarrare, et pulchra silentio dare; illo enim (Edicto), nec religiosius quidquam videat aliquis, nec quod publice ut credo, publicari dignius sit.“ Subjungit dein ipsum Edictum Confessionis Constantini Magni, synoptice tamen; quod hic loci per extensum excerptum e Nomocanone Photii Tomo II-o Bibliothaecae Juris Canonici Veteris, pag. 919. Tit. VIII. hunc in modum sonat[2]):

### Edictum Constantini Magni.

Cum omnibus satrapis nostris, cum universo senatu, cum praefectis, denique cum omni populo potestati Romanae Majestatis subdito, conveniens esse judicavimus, ut quemadmodum S.

---

[1]) Vide Biener de collectionibus Canonum Eccl. Gr. §. 14.

[2]) Hoc Edictum Const. Magn. ad Calcem etiam Comm. Directorii in sua integritate adjectum est. Vide Joannovits Principia Juris ecclesiastici Ecclesiae orthodoxae Orient. Neoplantae Tom. 1. pag. 28.

Petrus ex persona Filii DEI (Ecclesiae Caput) est in terris; ita etiam Episcopi, qui successores sunt Principis Apostolorum, primariam in terris potestatem habeant; (et quidem) amplius quam nostrae Gloriae Imperatoria Majestas habeat. Atque id quidem concessum est a nobis, Augustaque nostra conjuge: ac volumus, ut ipse Princeps Apostolorum, ejusque successores, ex ipsius persona primi apud DEUM Patres sint, atque defensores. Et quemadmodum Imperatoriae nostrae Majestatis potestas colitur et honoratur: ita sancimus, ut et sancta Romanorum Ecclesia colatur, et honoretur: atque supra quam Imperatoria nostra Majestas, terrenumque solium, sancta sedes sancti Petri laudibus cumuletur, atque exaltetur. Ac data jam ipsi potestate, majestatisque dignitate, confirmato deinde judicio sancimus: ut primariam illam habeat potestatem, atque Caput sit quatuor soliorum, Alexandrini videlicet, Antiocheni, Jerosolymitani, et Constantinopolitani: ac vero breviter omnium Ecclesiarum universi terrarum orbis. Ut etiam qui sanctae Romanorum Ecclesiae Episcopus futurus est, gloriosus esse debeat, et supra omnes totius mundi Sacerdotes excelsus. Ut postremo, si quid ad cultum DEI, christianamque fidem instaurandam, ac constabiliendam pertineat, id ab ipso dijudicetur. Aequum enim est, ut illic sacra lex originem et initium sumat, ubi sacrosanctus legislator Servator noster Jesus Christus beatum Apostolum Petrum sedem obtinere jussit, crucis afflictionem sustinuit, beataeque mortis calicem bibit: et ubi ille etiam imitator magistri atque Domini sui factus est. Ut item illic inclinent gentes capita sua, propter confessionem nominis Christi, ubi illarum Doctor beatus Apostolus Paulus extenso propter Christum collo Martyrii coronam accepit: ut insuper usque ad finem mundi illae doctorem quaerant, ubi sanctorum ejus reliquiae quiescunt. Ad extremum vero, ut quo loco superbo illi Regi servivimus, eodem supini ac in terram expansi coelestis Regis et Dei et Servatoris nostri Jesu Christi officiis deserviamus. Tradimus itaque ipsis sanctis Apostolis, beatis Dominis meis Petro et Paulo, ac post illos beato Sylvestro patri nostro, magno Episcopo, et Catholico Papae urbis Romae, omnibusque successoribus ejus, qui ab hodierno die usque ad finem mundi in solio beati Petri praesidebunt, Imperatorium nostrum palatium Lateranense, quod superat atque vincit totius mundi palatia: praeterea etiam diadema, sive coronam capitis nostri, tum lorum quoque et humerale, quod Imperatoriae Majestatis collum cingit: simul etiam purpuream chlamydem, et tunicam coccineam, omniaque Imperatoria indumenta, nec non Imperatoriorum jumentorum insignia: Similiter etiam Imperatoria sceptra, omnia signa, banta, reliquaque Imperatoriae Majestatis ornamenta, et potentiae nostrae gloriam. Insuper sancimus, ut viri religiosissimi, Clerici multorum ordinum, qui eidem sanctae Romanae Ecclesiae deserviunt, ornentur, et habeant illam sublimitatem et magnificentiam, qua ornatus est magnus noster Senatus, Pa-

tricii nempe, et Consules, et reliquae dignitates. Et quemadmodum Imperialis exercitus ornatus est, ita sancimus: ut et sanctae Romanae Ecclesiae Clerus ornetur. Ad haec, quomodo Imperatoria potestas multis officiis exornatur, cubiculariis, ostiariis, et excubitoribus, sic etiam sanctam Romanorum Ecclesiam exornari volumus. At vero ut Episcopalis splendor in omnibus praeluceat, etiam hoc sancimus, ut clerici sanctae Romanorum Ecclesiae caballos candidis linteis ornatos equitent. Et quemadmodum Senatus noster calceamenta sive sandalia ex linteis candida gestat, ita etiam illi; — ut eodem modo coelestia, quo terrestria ad laudem DEI spectent. Supra omnia in honorem et gloriam ipsius Domini, et Servatoris nostri Jesu Christi, ipsi sanctissimo Patri nostro Sylvestro Episcopo, et Papae urbis Romae, omnibusque successoribus ejus beatis Episcopis, in eadem magna, atque Apostolica Ecclesia potestatem damus et concedimus, ut siquis ex Senatu, suapte sponte, et lubente voluntate Clericus fieri, numeroque sanctorum clericorum numerari velit, nullus omnino illi impedimento esse audeat. Sancivimus ad haec, ut et ipse pius Pater noster Sylvester, magnus Episcopus, et omnes Episcopi successores ejus, gestarent diadema, sive coronam ex puro auro, et inaestimabilibus margaritis, quam ex Capite nostro ipsi tradidimus, gestarent autem in Capitibus suis ad laudem DEI, et in honorem sancti Principis Apostolorum. Verum ipse beatissimus Papa Sylvester super coronam, sive papalethram, quam ad gloriam DEI et sancti Petri habebat, nolebat portare coronam meam, vel margaritarum plenam. Nos vero propterea, quod sanctus Sylvester auream coronam respuit, sancto illius capiti radiantissimum lorum, sacrosanctam resurrectionem denotans, nostris manibus imposuimus; et arrepto adorationis, timorisque sancti Petri ergo, equi ipsius freno, statoris officium fecimus, sancientes, ut omnes successores ejus, ad imitationem Imperatoriae Majestatis loro utantur in processionibus. At vero id ideo, ut ne dignitas Episcopalis contemnatur. Quin etiam ampliore, quam Imperatoria nostra terrena Majestas, potentiae quoque splendore adornetur: ecce palatium nostrum ut praediximus, et urbem Romam nec non universae Italiae occidentaliumque Regionum Praefecturas, loca, atque castra, praedicto beatissimo Episcopo et patri nostro Sylvestro Papae tradimus, et ipsi ejusque successoribus, Imperatoriam imperandi auctoritatem, et potestatem permittimus, atque eam, per hanc divinam jussionem, et pragmaticam constitutionem firmam permanere sancimus, virisque sanctae Romanorum Ecclesiae in aeternum concedimus. Quorsum etiam utile fore consideravimus, si Imperatoriam nostram Majestatem ejusque potentiam in Orientales regiones transferremus, et in Byzantico agro, loco commodo, sub nomine nostro civitatem erigeremus, atque ibi nostram Majestatem collocaremus. Quandoquidem, ubi primarium Sacerdotium, christianaeque religionis caput coelitus est constitutum, ut ibidem ter-

renus Princeps dominatum habeat, haud justum fuerit. Qua de causa hoc Imperatoriae nostrae Majestatis contextu, propriis manibus, in venerandas sancti Apostoli et Principis Petri reliquias prostrato ac reposito, haec nos omnia illaesa conservaturos illic juravimus, et successoribus nostris Imperatoribus, in commentariis nostris eadem servanda tradidimus. Patri itaque nostro, sancto et catholico Episcopo, et Papae, atque per ipsum omnibus successoribus ejus Episcopis, annuente Domino nostro et Servatore Jesu Christo, omnia ante scripta recte in aeternum conservanda tradidimus.[1])

Addit autem Scholium: Quia autem secunda Synodus dedit Archi-Episcopo Constantinopolitano omnia Papae Romani privilegia, conati sunt nonnulli Patriarchae, uti ille Cerulas et dominus Michael, et alii eadem sibi privilegia arrogare, sed eis non recte cessit etc. (Nomocanon Photii ibidem.)

## §. 64. Conclusio ex praecedentibus.

Qui igitur nec beatum Apostolum Petrum, principem potestatem in universum Christi gregem, eamque distinctam ab ea, quae in communi collegio Apostolorum data est potestas ligandi et solvendi accepisse, nec Petri successorem Romanum Pontificem in munere summi Pastoris gregis totius Christiani, et potestate per claves regni coelorum acceptas obtenta, esse, recognoscunt, communi traditioni et confessioni totius Orientalis Ecclesiae contradicunt, nomen orthodoxiae quae Ecclesiae, sed non illis competit, usurpant, et alieni sunt a sancta matre Ecclesia Catholica, cujus criterium Petrus est in suis successoribus Romanis Pontificibus semper vivens usque ad finem seculorum. „Ubi Petrus, ibi est Christi Ecclesia".[2]) Per Petrum, et tantum cum Petro est Ecclesia Christi vera, una, sancta, catholica, et apostolica; sine Petro namque Ecclesia in Principe Apostolorum deficeret, ergo non haberet integrum Apostolatum, (qui secus per secessionem Judae, àut plurium ei similium nihil detrimenti aut defectus pateretur). Unde consequenter advertit Petrus de Marca Archi-Episcopus Parisiensis (opere suo de Concordia Sacerdotii et Imperii, pag. 127): „Penes illas Ecclesias non esse indubitata Spiritus Sancti praesidia in dirimendis de fide controversiis, quae alienae sunt a communione Petri. Propterea sequitur, plurium Ecclesiarum infaustam scissionem, quae lugendo schismate vel impia haeresi corpus Ecclesiae universalis dividit, non impedire, quin illae, quae supersunt, conjunctae cum petra (cathedra Petri) corpus universum repraesentent, et absque suspicione erroris fidem tueri decretis una cum Petri cathedra firmiter et infallibiliter possint, cum Ecclesia supra Petrum aedi-

[1]) Vide etiam apud Gratian D. P. I. Dist. 96. C. XIV.
[2]) S. Ambrosius.

ficata promissionibus Christi nitatur ad vincendas portas inferni." Recte proinde dicit S. Cyprianus: „qui Cathedram Petri, supra quem fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse non confidat." Atque idem S. Cyprianus in libro de Unitate Ecclesiae porro dicit: „Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulterae conjungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec perveniet ad Christi praemia, qui reliquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest DEUM Patrem, qui Eclesiam non habet Matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra Arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit. Monet Dominus et dicit: „Qui non est mecum, adversus me est, et qui non mecum colligit, spargit." „Qui pacem Christi et concordiam rumpit, adversus Christum facit; qui alibi praeter Eclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit." Et superius idem S. Cyprianus Nr. 4: „Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus maxime nos Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum, atque indivisum probemus."

Utinam ergo haec sancti Cypriani verba cordi sumerent universi Christiani orbis Episcopi, atque ad restituendam Ecclesiarum concordiam unitis viribus cooperarentur, quo fieret, ut etiam ligamen inter Christianos populos et Principes fortius esset, omnesque Christiani unam constituerent, prout destinationem habent, Christianam familiam; tunc beati essent Principes ut fratres, atque populi ipsis subjecti, et glorificaretur usque ad fines terrae, et impleretur vaticinium Jesu: „erit unus Pastor et unum Ovile"; qui etiam dixit: „Vae illi per quem venire potuit Regnum DEI et non venit."

Regnum DEI autem juxta S. Paulum Apostolum est concordia, pax et charitas in Spiritu Sancto; qui ergo Regnum DEI promovere vult, ad unitatem et concordiam Ecclesiae pro viribus conferat; hinc recognoscat auctoritatem et potestatem a DEO in Ecclesia ad unitatem ejus conservandam constitutam, quemadmodum semper agnovit Ecclesia Orientalis, et Patres nostri; quam et ipsi eruditissimi Protestantes recognoscunt. Pro exemplo serviat Leibnitzius, ob eruditionem et profunditatem ingenii suo aevo celeberrimus, in omnique poene scientiarum genere solide versatissimus, totius Germaniae decus, qui in suo Systemate Theologiae pag. 298. confitetur: „Pertinent autem ad Pastorum Ecclesiae Hierarchiam non tantum Sacerdotium, et ejus praeparatorii gradus, sed et Episcopatus, et ipse Primatus maximi Pontificis, quae omnia divini juris esse, credendum est." Et an non et Ecclesia antiqui foederis summum habuit Pontificem? imo quotcunque societates, sive religiosae, sive etiam civiles ab exordio mundi coaluerunt, unum in apice semper habuerunt. Quem ordinem etiam in Ecclesia conspicimus, Presbyteris praepositus est Proto-Presbyter, his Episcopus, Episcopis Metropolita, his Patriarcha, et horum Apex summus Pontifex.

Non oggerant ergo dominatum summi Pontificis Romani,

potestatem enim quam exercet, qua universam Christi Ecclesiam regit, ab ipso DEO habet; atque potestas illa non dominatus sed ministerium est. Verum potius damnent eos, qui vere dominatum quaerunt, independentiam ab Ecclesia et capite ejus, et similes volunt fieri Altissimo; quod opus Angelorum lapsorum est, qui primi Schisma fecerunt in coelo, et eorum asseclae Schisma faciunt in terra.

## §. 65. Apostoli, quorum successores sunt Episcopi, sunt regiminis Ecclesiae Petro et successoribus Romanis Pontificibus collati consortes.

Etiamsi Christus Beatum Petrum, et successores ejus petram, seu fundamentum firmum et perpetuum Ecclesiae suae, supremumque totius dominici gregis, sive Ecclesiae Pastorem constituerit; praeter illum tamen adhuc undecim Apostolos vocavit, et his quoque munus Evangelium praedicandi, potestatem ligandi et solvendi, ac sacra Mysteria administrandi contulit, atque ad hoc munus exequendum Spiritum Sanctum, spiritum veritatis, qui maneat cum ipsis in aeternum, sive etiam cum successoribus Apostolorum Episcopis, dedit, per huncque Spiritum Sanctum iisdem se usque ad consummationem saeculi adfuturum promisit; Matthaei C. 18. v. 18: „Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Et Joannis Capite 20. v. 21: Dixit ergo eis (Apostolis) iterum Jesus: Pax vobis, sicut misit me Pater, et ego mitto vos, v. 22. et 23. Haec cum dixisset, insuflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt." Et S. Paulus in Actis Apostolorum Cap. XX. v. 28: „Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo." Hinc in Concilio Carthaginensi anno 255. dicunt congregati Episcopi: „Apostolos, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes."[1]) Et in alia Synodo: „Manifestata est, inquiunt Episcopi, Domini nostri Jesu Christi sententia Apostolos suos mittentis, et ipsis solis potestatem sibi a Patre datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam DEI gubernantes".[2]) Item S. Hieronymus: „Apud nos inquit, Apostolorum locum Episcopi tenent: et Episcopi omnes successores Apostolorum sunt",[3]) quod et Concilium Tridentinum expressit Sessione XXIII.

[1]) Apud Hard. Tom. 1-o Concil. pag. 178.
[2]) Apud S. Augus. C. 7. de Bapt. contr. Donat. C. 43.
[3]) Epistola 53. et 85.

c. 4. de ordinatione.[1]) Episcopis igitur qua successores Apostolorum immediate a Christo obtentam potestatem universam Ecclesiam regendi, sicut Apostoli cum Petro, ita Episcopi cum Petri successore summo Ecclesiae pastore Romano Pontifice conjuncti collegialiter considerati, idest collective, sive in Synodo congregati, sive non congregati cum summo Ecclesiae capite communicative exercent. Et hoc sensu sumenda sunt etiam verba sancti Cypriani in Libro de unitate Ecclesiae: „Nemo fraternitatem fallat, Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur", et S. Basilius Epistola 77. Romano Pontifici scribit: „Non potestis nobis dicere, qui in eodem vobiscum corpore (collegio) constituti sumus, non estis nobis necessarii," Episcopi tamen dici non possunt successores Apostolorum, nisi quatenus Petro, idest sedi apostolicae uniti sunt; vera enim apostolica successio non datur extra Ecclesiae unitatem.

## §. 66. Episcopi in regimine Dioecesium Romano Pontifici subordinatam, et ad limites Dioecesium restrictam potestatem exercent.

Jam aevo Apostolorum, cuilibet Episcopo certum assignatum fuisse gregem colligitur ex Epistolae 1-ae Petri c. 5. v. 2.: „Pascite, qui in vobis est, (seu commissum vobis) gregem DEI." S. Paulus ad Titum C. 1. v. 5.: „Ideo reliqui te Cretae." S. Joannes in Apocalypsi II. 1. 8. 12. 18. commemorat Angelos Ecclesiarum, sive Episcopos Ecclesiarum Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae. Et Synodus Antiochena anno 341. statuit: „Ut secundum antiquam a patribus regulam constitutam Episcopi ea tantum agant, quae ad suam Dioecesim pertinent, possessionesque subjectas." Cum autem Christus totum suum gregem Petro pascendum concrediderit, dicendo: pasce oves meas, pasce agnos meos, manifestum est, omnium singularium fidelium, et particularium gregum, quos singuli Episcopi regunt supremum Pastorem simul esse Petri successorem Romanum Pontificem; ut adeo nihil evidentius sit, quam Romanum Pontificem in singulas Dioeceses, et relate ad singulos fideles, ordinariam atque primam habere jurisdictionem, ac Episcopos salvis universalis Pastoris, Doctoris, Rectoris, Legislatoris et Judicis Pontificis Romani juribus, jurisdictionem suam Episcopalem per consecrationem et acceptum Spiritum Sanctum acceptam in suis gregibus ordinarie exercere, seu Pontificem et Episcopos potestatem a Deo accepisse regendi Ecclesiam; Pontificem quidem Romanum eam accepisse in tota sua plenitudine et universalitate super omnem Christi gregem, et cum praerogativa independentiae et summae superio-

---

[1]) Confer. Natal. Alex. Hist. Eccl. Dissert. XII. et XIII. in saec. XV. et XVI. Tom. 9. pag. 623.

ritatis; Episcopos vero accepisse, ut illam exerceant in tota sua universalitate junctim cum capite Romano Pontifice in concilio generali; in propria autem Dioecesi coarctatam quoad plenitudinem et quoad subditos, semper tamen servata perpetua unione cum supremo Ecclesiae capite Romano Pontifice atque ab eo dependentia. Et sic solum possibile est, quod S. Cyprianus dixit: „Etsi pastores multi, grex tamen unus est“; quia omnes pastores in apice suo summo Pontifice et pastore desinunt. Secus, quomodo Imperium unum, si plures corregentes ab invicem independentes gubernaverint? Dices forte, summum synedrium Synodus Oecumenica conservabit unitatem Regiminis in Ecclesia, sed Christus hanc Regiminis formam aut modum nullibi praescripsit, et hic modus nec idoneus, nec etiam possibilis est; namque hoc posito collegium Episcoporum perpetuo in Synodo congregatum esse deberet, ut causas in suprema instantia decidat; quis dein particulares Dioeceses gubernabit? Sed nec ita facile est Synodum Oecumenicam congregare sicut prioribus saeculis, dum tota fere Ecclesia uno vasto Imperio Romano complectebatur. Nunc Religio Christi nullos limites Imperiorum noscit, dedit enim DEUS Ecclesiae suae Gentes hereditatem, et possessionem terminos terrae. Quis igitur ex suprema specula superintendet omnibus Episcopis terrae, num illi Canones Conciliorum Oecumenicorum exequantur, et incorruptam atque definitam fidem praedicent, et praedicare curent, num illi non dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo sint? atque num grex Domini per illos, et subordinatos pastores debite pascatur? nisi ille, qui in suprema ab ipso Christo constitutus est specula, qui et in, et extra Concilium unitatem Ecclesiae repraesentat, et unitatem regiminis Ecclesiae in se concentratam custodit. Tolle tantum summum Pastorem, et non amplius habebis gregem, sed plures greges. Tolle Pontificem, et sustulisti unitatem, sustulisti Ecclesiam, et habebis Ecclesias dissolutas, Christo indignas. Propterea Christus non hominibus commisit Regiminis suae Ecclesiae constitutionem, sed eam sibi reservavit, et auctoritatem ipse constituit in terra perpetuam, sui loco Vicarium reliquit, per quem ipse summus lapis angularis perpetuo suam Ecclesiam regit, cui subesse debet, et obedire quisque, qui Christi esse vult. Propterea unus inter duodecim constituitur, ut Capite constituto, Schismatis tollatur occasio, dicit S. Hieronymus. Exordium ab unitate incipit et Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et una Cathedra monstretur, inquit S. Cyprianus. Ideo, Philippus Presbyter Apostolicae Sedis Romanae Legatus coram Synodi Oecumenicae Ephesinae Patribus tuto enunciare potuit: „Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum, quod Sanctus Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps, et Caput, fideique columna, et Ecclesiae catholicae fundamentum a Domino nostro Jesu Christo salvatore humani generis et Redemptore, claves Regni accepit, solvendique, ac ligandi potestas ei

data est; qui ad hoc usque tempus vivit semper in suis successoribus et judicium exercet.[1])

# CAPUT II.

## DE JURIBUS ROMANI PONTIFICIS ECCLESIAE UNIVERSALIS PRIMATIS.

### §. 67. De Juribus Romani Pontificis generatim.

Romano Pontifici qua successori Principis Apostolorum, cui totus Christi Grex, seu Ecclesia qua supremo et ordinario Pastori concredita est, et qui potestatem ligandi et solvendi in terris pro toto grege Petro datam hereditavit, omnia competunt jura, quae huic ejus muneri divinitus concredito correlata sunt. Adeoque, cum Romanus Pontifex sit principalis Doctor, Rector, Legislator, et Judex supremus, ex his ejus muneribus jura quoque ejusdem derivanda sunt.

### §. 68. Romani Pontificis qua supremi Ecclesiae Doctoris jura.

Romanus Pontifex, qua supremus Doctor, sive Magister fidei, habet jus ad ea media, quibus pura Christi Doctrina ab omnibus doceatur, toti mundo annuncietur, et incorrupta conservetur; hinc jus pro tota Ecclesia verum sensum religionis doctrinae Jesu enunciandi, idque sive in Concilio, sive extra Concilium, atque haereticas sententias damnandi. „Ego oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu conversus confirma fratres tuos," dixit Christus. Quod jus neque singulis Episcopis, neque omnibus simul sumptis sine Petri successore competit. Magisterium namque Ecclesiae collegium Episcoporum cum Petro tantum, et per Petrum in suis successoribus Romanis Pontificibus semper viventem, qui fundamentum inconcussum, et petra fidei in Ecclesia est, constituit. Quare in Concilio Hierosolymitano Petrus primus omnium loquitur, ac suprema sua auctoritate quaestionem dirimit; nec quisquam alter, jus hoc Petri, ejusque successorum proprium, ut nomine Ecclesiae doctrinam nondum definitam pronunciaret, et in genere nomine totius Ecclesiae loqueretur, unquam sibi arrogare praesumpsit, nec universitas quidem Episcoporum, antequam eorum sententia fidei per Petri successorem confirmaretur, illi enim soli dictum est a Christo: „Et tu confirma fratres tuos." Atque haec inerrantia cum munere supremi Ecclesiae Doctoris Petro collato conjuncta, derivanda est ex merito distinctae orationis Christi ad Patrem, ut esset Petrus fir-

[1]) Concil. Ephes. Actione 3.

mus in fide, petra fidei, ait enim Jesus: „Ego oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua", seu ut sis firmus in fide, ut possis confirmare in fide fratres tuos. Quod jus Romani Pontificis semper credidit Ecclesia Orientalis, et recognovit. S. Cyrillus Alexandrinus scribit (in Thesauris L. 1 C. 21.) „Nos debemus, qua membra adhaerere Capiti Patriarchae Romano, et Apostolicae Sedi, a quo debemus quaerere quid credamus, quid sentiamus, et quid observemus, quia ille solum potest docere, admonere, confirmare, et ligare." S. Theodorus Studites autem in Epistola ad Paschalem Pontificem, haec scribit: „Audi Apostolicum Caput a DEO electe Pastor ovium Christi, qui claudis Regnum coelorum, petra fidei, supra quam aedificata est apostolica Ecclesia, quia tu es Petrus, qui exornas sedem Petri et gubernas; tibi dixit Christus DEUS noster, et tu conversus confirma fratres tuos." Idem ipse autem Theodorus Studites sanctus Graecorum doctor, ad Michaelem Graecorum Imperatorem: „Quod si ambigis ait, Imperator! de aliqua veritate, vel non credis, interpretationem veritatis expetas; manda a Roma veteri expeti doctrinam, sicut ab initio a Patribus nostris factum esse traditione accepimus, sive id, quod Roma vetus, o Sectator Christi Imperator! inter omnes Ecclesias DEI, principalem et excelsum locum tenet, cujus prímam sedem Petrus tenuit." Ideo et Sergius Episcopus Cypri, (Epistola ad Theodorum) Pontificem appellat „profanarum haereseon depositorem, Principem, et Doctorem orthodoxae et immaculatae fidei." Sed universalis totius Ecclesiae hac de re fides ex eo dimetienda est, quod Oecumenicitatem nulli Synodo, quae sine Pontifice ín objecto fidei celebrata fuisset, adscripserit. In ipso recentissimo Codice Graecorum Pidalion 1800. Lipsiae, cum approbatione Synodi Constantinopolitanae edito, in Prolegomenis ad 1-am Synodum Nicaenam Nota 1. haec habentur: „Synodus II a et V-a ab initio non fuerunt oecumenicae, quia Papa nec in persona, nec per legatos interfuit; sed oecumenicae evaserunt per subsequam accessionem et subscriptionem Papae Damasi, et Vigilii." Et ut Graeci oecumenicitatem suis Synodis Orientalibus vindicent, in qualibet Synodo exprimunt praesidium Romani Pontificis, sic Nilus Metropolita Rhodii in Enarratione sua Synoptica de sanctis Oecumenicis Synodis.[1])

## Prima Synodus.

Sancta et Oecumenica prima Synodus Nicaeae congregata, trecentorum octodecim Patrum piorum, imperante Magno Imperatore Constantino adversus dementem Arium. Praerant Synodo Sylvester Romae.

---

[1]) Vid. Bibliotheca Juris veteris Canonici a Voello et Justello Parisiis 1662.

### Secunda Synodus.

Sancta et Oecumenica secunda Synodus Constantinopoli habita est, imperante Theodosio Magno a centum et quinquaginta Episcopis adversus Macedonium Sancti Spiritus hostem, Constantinopolis Patriarcham. Praeerant Synodo Damasus Romae etc.[1])

### Tertia Synodus.

Sancta et Oecumenica tertia Synodus Ephesi habita est, imperante Theodosio juniore, congregata e ducentis sanctis Patribus adversus Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum. Huic praeerat Coelestinus Romae.

### Quarta Synodus.

Sancta et Oecumenica quarta Synodus Chalcedone habita est, imperante Marciano, congregata a sexcentis triginta sanctis patribus, adversus Dioscorum Patriarcham Alexandrinum. Huic praeerat Leo Romae.

### Quinta Synodus.

Sancta et Oecumenica quinta Synodus habita est Constantinopoli imperante Justiniano, congregata a centum sexaginta sanctis Patribus adversus insanientem Origenem. Praeerat Synodo Vigilius Papa Romae.

### Sexta Synodus.

Sancta et Oecumenica sexta Synodus habita est imperante Constantino Pogonato, congregata a centum sexaginta sanctis Patribus. Cui praeerat Agatho Romae.

### Septima Synodus.

Sancta et Oecumenica septima Synodus Nicaeae secundo ha-

---

[1]) Observa autem 1) Commemoratus Schismaticus Scriptor dicit Nicaeno primo Concilio praesedisse Sylvestrum Papam, et sic aliis septem oecumenicis Conciliis alios Pontifices praesedisse asserit. Accuratius autem dicere debuisset, praesedit Sylvester Romanus Pontifex per Legatos et Vicarios, Hosium nempe Cordubensem Episcopum, Vitum et Vincentium Romanae Ecclesiae Presbyteros. (Vide Mansi Coll. omn. Concil. Chr. Lupus in Can. Níc. Cap. 3.) 2) Quoad praesidentiam Damasi secundo Concilio Oecumenico observare licet, quod quamvis non desint documenta, quae Damasum Romanum Pontificem per legatos praefuisse ostendere videantur (qua de re consul. Baron. ad ann. 381. et Chr. Lupus diss. de Synodo Constantinop. prim. c. 1.) constat tamen memoratum Concilium per subsequentem Damasi confirmationem quoad ea, quae fidem respiciunt, inter oecumenica fuisse adnumeratum. 3) Subsequis etiam in Conciliis oecumenicis cum praevio assensu Romanorum Pontificum congregatis, Romanorum Pontificum praesidium per Legatos, confessum est. Vide Bellarmin. Ballerini etc.

bita est, imperante Constantino et ejus matre Irene, congregata a sexcentis sexaginta tribus sanctis Patribus. Praeerat huic Adrianus Papa Romae.

Octava Synodus.

Sancta et octava Oecumenica Synodus trecentorum octuaginta sanctorum Patrum. Aderant Joannes Papa Romae etc.

## §. 69. Conclusio ex praecedenti confessione Ecclesiae Graecae, de Magisterio Petri et successorum ejus.

Quodsi igitur Ecclesia Orientalis, avitae suae fidei orthodoxae conformiter Petrum, ejusque successorem Romanum Pontificem petram fidei, et fundamentum super quod aedificata est catholica Ecclesia, semper credidit; et ideo nec portas inferni adversus eam praevalituras in aeternum, quia Ecclesia fundata est super hanc fidei petram,' Petrumque et successores ejus speciali oratione Christi obtinuisse donum inerrantiae in fide, ut confirmarent fratres suos; qua inconsequentia, imo temeritate praesumunt Ecclesiae sub Magisterio Petri constitutae errores circa fidem adscribere? certe, si caput Ecclesiae in fide errare posset, tunc valde imperfectam Ecclesiam Christus fundasset; error enim Capitis circa fidem in totum corpus Ecclesiae dimanaret, quod absonum est, et sapientiae fundatoris Ecclesiae DEI adversum. Et tamen Ecclesia Constantinopolitana non veretur Catholicae Christi Ecclesiae oggerere eam errare, cum docet: Spiritum Sanctum a Patre filioque procedere[1]) huncque errorem dogmaticum, principalem scissionis Ecclesiarum causam fuisse; quin recogitet, hujus doctrinae S. Paulum Apostolum et Evangelium auctorem esse. S. Paulus in Epistola ad Galatas Cap. 4. v. 6.: „Misit DEUS. ait, Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater!" et ipsa Ecclesia Orientalis confitetur Spiritum Sanctum ita esse Spiritum Filii, sicut est Patris, in Ritu defunctorum sic orationem concludendo: „Quia tu es resurrectio et vita, et requies defuncti servi tui Christe DEUS noster, et tibi gloriam exaltamus, cum eo, qui est sine principio Patre tuo, et vivificante Spiritu Sancto tuo nunc et in saecula saeculorum. Amen." Ergo Spiritus Sanctus est Spiritus Filii sicut et Patris, quem Filius misit a Patre procedentem, Joan. C. 16. v. 7., atque quem Pater etiam misit Spiritum Filii sui, proinde ab hoc quoque procedentem, non tamen duobus, sed uno principio; quo respectu dixit Christus: „Ego et Pater unum sumus, omnia quae habet Pater mea sunt, propterea dixi: quia de meo accipiet, et annunciabit vobis;" sive, habet Pater Spiritum Sanctum, sed

[1]) Vide Procopovits Tractatus de Processione Spiritus Sancti. Gothae. 1772.

eundem habeo et ego Filius; porro habet Pater procedere Spiritum Sanctum a se, et ego habeo procedere Spiritum Sanctum a me, quia omnia quae habet Pater, mea sunt, propterea dixi: quia de meo accipiet Spiritus Sanctus, et annunciabit vobis; quem et ipse Filius insuflavit, et dedit discipulis suis dicens: Accipite Spiritum Sanctum. Profecto, Ecclesiam Orientalem Catholicam semper credidisse processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque, testis est S. Hormisdas, qui anno adhuc 521. scripta ad Imperatorem Justinum Epistola scribit: „Notum est, quia proprium est Filii, ut ex Patre Patri nasceretur aequalis; proprium Spiritus Sancti ut de Patre et Filio procederet, sub una substantia Deitatis."[1]) Et S. Synodus Ephesina approbavit Epistolam Synodicam S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, in qua S. Cyrillus haec habet: „Nam etsi Spiritus in propria persona subsistat, eatenus in se ipso consideretur, quatenus Spiritus est, et non Filius, sed tamen non est alienus ab eo, Spiritus enim veritatis nominatur, et Christus est veritas, et proinde quoque ab illo, atque a DEO Patre procedit".[2]) Ex hoc sufficienter patet, Constantinopolitanae Ecclesiae, quam S. Theodorus Studites, segmentum haereticum esse dixit, cui solemne est, ab aliis Ecclesiis frequenter abscindi, id quoque proprium esse, ut in Spiritum Sanctum erret; quemadmodum etiam primus Constantinopolitanus Haeresiarcha, Patriarcha Macedonius, juxta Nilum Metropolitam Rhodii, Spiritus Sancti hostis erat. Quodsi autem Constantinopolitanos objectionis hujus circa fidem Catholicae Ecclesiae de Spiritus Sancti processione pudet, et nonnisi prout recentissimus Codex Canonum Constantinopolitanus Pidalion, ultimis seriebus Notae 2 dae ad Can. II. Concilii sexti nonnisi additionem particulae Filioque symbolo factam oggerunt, atque hanc ipsam primam sicut et ultimam scissionis Ecclesiarum causam esse dicunt, meminerint: Synodum Ephesinam, et Constantinopolitanam IV. prohibuisse, et prohibere tantum potuisse, ne privata auctoritate per Ecclesiam universam stabilito Symbolo aliquid addatur; sed Ecclesiam se ipsam nec prohibuisse, nec etiam prohibere potuisse, ne ipsa qua Magistra et Legislatrix pro confirmatione fidei Christianae, quae necessariae essent fidei definitiones Symbolo insereret, quemadmodum additamentum particulae Filioque ad Symbolum, per eamdem ipsam totius Ecclesiae Magistram in Concilio Oecumonico Lateranensi IV. factum est. Quod jus haec Synodus Oecumenica perinde habuit, quemadmodum Synodus Constantinopolitana 1-a quae addidit Symbolo verba; qui a Patre procedit, et reliqua.

Sed dicunt Constantinopolitani, tamen saltem Honorius Pontifex haereticus fuit. Profecto, Concilia priora Oecumenica modo contra alium. Constantinopolitanum Haeresiarcham Patriarcham

[1]) Ep. LXXIX. apud Labb. Tom. IV. Col. 1553.
[2]) Apud Labb. Tom. III. Col. 406. §. 10.

celebrata sunt; ut adeo juxta illud: solatium est miseris socios habuisse dolorum, etiam in sede Principis Apostolorum aliquem saltem unum Haeresiarcham quaererent, sed frustra; in Cathedra enim Petri infallibilis semper fidei petra perpetuam sibi sedem fixit, quae in fide nec erravit, nec errare poterit unquam. Honorius Pontifex Catholicam veritatem enunciavit, dum scripsit: „Utrasque naturas (in uno Christo unitate naturali copulatas) cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, et Divinam quidem, quae DEI sunt operantem, et humanam, quae carnis sunt exequentem.“ Ideo nec Concilium VI. Honorium Pontificem ut haereticum condemnavit, sed prout Imperator Constantinus Pogonatus, qui eidem Synodo interfuit, dicit: qua haereseos confirmatorem, qui etiam sui ipsius exstitit oppugnator, idest, contra propriam expressam Catholicam fidem. Et Leo II. ad Episcopos Hispaniae sic de Honorio scribit: „Qui flammam haeretici dogmatis non exstinxit, sed negligentia confovit.“ Quod si igitur propter cunctationem, quam in supprimenda haeresi Monothelitarum, qui teste historia non sibi constabant, sed suas enunciationes variabant, Honorius manifestavit, tanto minus factum hoc, aut indulgentia erga haereticos, Honorium ipsum haereticum fuisse probat, quod Ecclesiae inerrantia solum quoad fidem, quam rectam habuisse Honorium nemo dubitat, non autem quoad judicium de motivis subjectivae actionis cujusdam individui quae non patent, juxta illud: de internis non judicat Praetor, competat.[1]) Nullus proinde Romanorum Pontificum unquam edidit Definitionem in rebus fidei et morum veritati adversam. Ergo non potest subrui fundamentum, quod posuit Christus, et cui superaedificavit Ecclesiam suam, contra quam eo minus quaesitae argutiae Constantinopolitanorum valebunt, dum nec portae inferi unquam praevalere poterunt adversus eam. Firma ergo stat in Ecclesia, in sede Petri fidei auctoritas, cui siquis se submittere recusat, in Ecclesia non est, dicente S. Cypriano: „Siquis Cathedram Petri, supra quem aedificata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse non confidat.“ Haecque auctoritas a DEO constituta tanta est, ut nullius, nec totius mundi crisi obnoxia sit. Qui igitur Ecclesiae Romanae fidem crisi suae subjicere volunt, divinam auctoritatem Ecclesiae in Magisterio Petri datam subruere conantur; et qualem dein ipsi substituent auctoritatem? profecto nisi humanam propriam, quae adeo parum quemlibet obligat ad credendum, sicut olim vana Philosophorum ethnicorum commenta, et tunc iterum ad paganismum reditus planus esset. In tanta proinde corruptione humana, exultet omnis anima bonae voluntatis, si auctoritatem humana superiorem designare liceat, cui quisque semet submittere, et juxta S. Paulum Apostolum: captivare intellectum in obsequium

[1]) Consule hac de re Bellarmin. de Rom. Pontif. Orsi de irreformabili Rom. Pontificis judicio. Perrone de dotibus Primat. Rom. Pontif. Prop. 3.

fidei teneatur. Hac enim auctoritate subruta, subrueretur omnis auctoritas.

## §. 70. Jura Romani Pontificis, qua universae Ecclesiae Rectoris.

Jura Romani Pontificis qua universalis Ecclesiae Rectoris sunt:

1) Jus constituendi gregi Pastores sive Episcopos, eos confirmandi, et canonice instituendi. Jus quidem denominationis Episcoporum Imperantibus Catholicis de jure Patronatus competit, vigore tamen privilegii Apostolici. Vide Concordati Austriaci Artic. XIX.

2) Jus Episcopos propter bonum Ecclesiae ad alias sedes transferendi, vel eorum abdicationem acceptandi, et Coadjutores constituendi.

3) Jus poscendi ab omnibus Episcopis relationes et informationes da statu totius Ecclesiae, eorumque sensum in objectis doctrinam, mores, atque disciplinam ecclesiasticam concernentibus explorandi.

4) Jus unitati fidei, puritati morum, et integritati disciplinae invigilandi, et eam manutenendi.

5) Jus Concilia generalia congregandi, iis praesidendi et ea confirmandi.

6) Jus Canonum ecclesiasticorum, sive legum ecclesiasticarum executioni intendendi, et eam procurandi.

7) Jus Legatos ad provincias ecclesiasticas vel Dioeceses mittendi, suaeque potestatis Vicarios constituendi.

8) Jus Libros perniciosos proscribendi, et lectionem eorum prohibendi.

9) Jus novas sedes Episcopales erigendi, erectas Dioeceses dividendi, aut uniendi.

10) Jus beneficia ecclesiastica dividendi, uniendi aut pensionibus onerandi.

11) Jus consensus ad abalienationem bonorum ecclesiasticorum.

12) Jus rectae administrationi bonorum ecclesiasticorum inspiciendi.

13) Jus proprietatem Ecclesiae tuendi.

14) Ad ecclesiasticae, et civilis potestatis in mutua correlatione limites defigendos, cum Principibus regnantibus pacta, sive concordata ineundi.

15) Jus ordines religiosos introducendi, et abolendi.

## §. 71. Jura Romani Pontificis qua supremi in Ecclesia Legislatoris.

Jura Romani Pontificis qua Legislatoris sunt:

1) Jus leges universales, sive in, et cum Concilio, sive extra Concilium generale ferendi. Aut leges synodales confirmandi.

2) Jus Synodorum provincialium statuta examinandi, approbandi, aut mutandi.

3) Jus a legibus ecclesiasticis universalibus dispensandi.

4) Jus cultum sacrum universalem instituendi, et regulandi.

5) Jus Jejunia universalia ordinandi.

6) Jus universales festos dies statuendi.

## §. 72. Jura Romani Pontificis qua supremi in Ecclesia Judicis.

Jura Romani Pontificis qua supremi Judicis sunt:

1) Jus devolutionis supremum, Episcopos devios ab officio, ad officium revocandi, eosdem judicandi et deponendi.

2) Jus causas ecclesiasticas poenales, et matrimoniales in suprema instantia revidendi, et judicandi.

3) Jus protectionis ab inferioribus judicibus injuste damnatorum, aut damnificatorum.

4) Jus reservationis majorum causarum, et graviorum casuum conscientiae.

5) Jus beatificationis.

6) Jus indulgentias pro tota Ecclesia conferendi.

7) Jus a votis dispensandi.

8) Jus judices pro se delegandi.

*Nota*: Canonistae disputantes, aut distinguentes inter jura Romani Pontificis, vel Primatus essentialia, accidentalia, accessoria, et controversa, sibi ipsis controversias faciunt, oleum et operam perdunt; totum namque, quod ad bonum Ecclesiae per Romanum Pontificem qua universalem Pastorem fit, essentialiter ex conceptu muneris ejusdem promanat; verum quidem est, quod Romanus Pontifex plura aliis exequenda committere possit, prout olim plura, quae nunc Romanus Pontifex solus exercet jura, a Synodis Oecumenicis, provincialibus, aut a Metropolitis exercita fuerunt, ipsis Pontificibus aut tacite, aut expresse consentientibus; quin ideo asseri possit Romano Pontifici qua universi gregis proprio et primo Pastori, jus ad omnia illa suo muneri correlata jura non competiisse; cum et ipsa Historia testis sit: in casibus, dum sive Synodi Episcoporum, sive Metropolitae permissis sibi juribus abusi sunt, aut eadem exequi neglexerunt, devolutioni ad Sedem Apostolicam, sive Romanum Pontificem,

locum fuisse, et effective ad Ecclesiae Primatem devolutas exstitisse. Romanus enim Pontifex vi plenitudinis, qua ipsi concessa fuit potestas regendi universalem Christi Ecclesiam, habet jus faciendi id omne, quod est necessarium ad rectum ejusdem Ecclesiae regimen juxta circumstantias temporis et loci, in quibus ipsa versatur, et ad conservandas proprietates illas seu dotes unitatis, sanctitatis, catholicitatis, et apostolicitatis, quae Ecclesiae Christi essentiam constituunt. Quod si distinguuntur et enumerantur peculiaria Romani Pontificis jura, id ideo fit, ut explicetur plenitudo potestatis prout illa ab ipso exercetur seculorum decursu; sed non ideo fit, ut determinentur ea, quae Pontifex facere aut non facere valet; uno enim tempore potest esse essentiale ipsius jus (quia Ecclesiae fini necessarium) id quod alio tempore est tantummodo accidentale, quodque exerceri potest etiam ab Episcopis. Vide Schulte System des Allg. Kirchenrechts §. 21. 22. pag. 78—198.

## §. 73. Supremam Jurisdictionem Romani Pontificis agnoverunt etiam Imperatores Christiani.

Justinianus Imperator ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum[1]) scribit: „Nec enim patimur, ut quidquam eorum, quae ad Ecclesiae statum spectant, non ad ejusdem Beatitudinem referatur, cum ea, (Romanus Pontifex) Caput sit omnium sanctissimorum DEI Sacerdotum. Et addit „in omnibus servavimus statum unitatis sanctissimarum Ecclesiarum cum sanctissimo Papa veteris Romae, ad quem similia horum perscripsimus."

Theodosius Imperator Nectarii ordinationem per summum Pontificem confirmari postulavit,[2]) de quo Bonifacius primus ad Episcopos orientales sic scripsit: „Clementissimae recordationis Princeps Theodosius, Nectarii ordinationem propterea, quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis a latere suo aulicis cum Episcopis, formatam huic a sede Romana dirigi depoposcit, quae ejus Sacerdotium roboraret, atque subjungit: „Haec sententia Canonum a vetustate duravit, et nunc usque Christo nostro favente perdurat. — Nemo unquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit."

Valentinianus III. Imperator autem, constitutione, quae adjuncta est Codici Theodosiano: „Cum igitur inquit, sedis Apostolicae Primatum sancti Petri meritum, qui Princeps est sacerdotalis coronae, et Romanae dignitas civitatis, S. etiam Synodi firmaverit auctoritas, perenni sanctione decernimus, ne quid

---

[1]) Cod. Just. Libr. 1. T. 1. Leg. 7.

[2]) Epistola Bonifacii I. ad Episcopos Macedoniae, Achaiae et Thessaliae apud Harduin Tom. II. Concil. Coll. 11. 26.

tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum contra consuetudinem veterèm liceat sine viri venerabilis Papae urbis aeternae auctoritate tentare, sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, aut sanxerit Apostolicae sedis auctoritas."

Sed liceat hic loci tamquam monumentum praesentis aevi adducere etiam verba Apostolici Regis Austriae Imperatoris, Francisci Josephi I. Articulo Concordati sui cum sede Apostolica initi II-o expressa: „Cum Romanus Pontifex Primatum tam honoris, quam jurisdictionis in universam, qua latepatet Ecclesiam jure Divino obtineat, Episcoporum, Cleri et populi mutua cum sancta sede communicatio in rebus spiritualibus et negotiis ecclesiasticis prorsus libera erit."

# CAPUT III.

## DE SENATU, ET CURIIS ROMANI PONTIFICIS ECCLESIAE PRIMATIS.

### §. 74. De Cardinalibus, eorum Origine.

Romano Pontifici universae Ecclesiae Primati adsistunt Cardinales, ex Presbyterio urbis Romae, seu Presbyteris, qui Curati Ecclesiarum urbis Romae iis Ecclesiis adscripti; incardinati erant, unde nomen Cardinalis. Cardinales Ordine plerumque Episcopatus insigniti supremum senatum Pontificis ad gubernandam universalem Ecclesiam constituunt, et collegium Cardinalium nominatur.

### §. 75. Cardinalium numerus et creatio.

Collegium Cardinalium hodie Episcopis sex, Presbyteris quinquaginta, et Diaconis quatuordecim constat. Creantur et promoventur Cardinales per solum Pontificem; jus tamen pro dignitate cardinalitia commendandi tum Imperatori Austriae; tum Regibus Galliae, Hispaniae, Siciliae, Lusitaniae, et Sardiniae usus et observantia firmat.[1])

### §. 76. Jura Cardinalium Sede Pontificia plena.

Sede plena, seu vivente Pontifice, Cardinales sequentia exercent jura: 1) Senatum Pontificis constituunt. 2) In variis congregationibus, et tribunalibus consiliarios Pontificis agunt; aut officio Praesidis funguntur. 3) Munus legatorum, et protectorum Nationum obeunt, ad procuranda negotia Regnorum, et Principum secularium.

---

[1]) Vide Schenkl Jus Eccl. Tom. 1. pag. 389.

## §. 77. Jura Cardinalium Sede vacante.

Cardinales sede Pontificis vacante habent jus eligendi Pontificem excluso reliquo Clero per suffragia secreta, et quidem votis absolute majoribus duabus tertiis. Jurisdictionis autem Primatis Ecclesiae participes non fiunt.

## §. 78. Cardinalium Privilegia.

Cardinalium privilegia specialia sunt: 1) quod etsi nonnisi Presbyteri, aut Diaconi essent, in titulis suis jurisdictionem habent quasi Episcopalem, ordinesque minores modo sint Presbyteri, personis ejusdem Ecclesiae servitio addictis conferant. 2) Ad Synodos generales vocandi, in iis voto decisivo gaudent. 3) Cardinalium Judex est solus Pontifex.

## §. 79. Insignia Cardinalium.

Cardinalium Insignia sunt: 1) Proedria, qua aliis Episcopis praecellunt. 2) Vestis cum galero purpurea. 3) Titulus Eminentissimi. 4) Locus dignitatis civilis, quatenus hereditariis Principibus aequiparantur.

## §. 80. Curia Romana.

Curiam Romanam, quae ante seculum XII. nomine Ecclesiae Romanae veniebat, constituunt Consistoria summi Pontificis, item Tribunalia, Dicasteria, et Congregationes.

## §. 81. Consistorium Cardinalium.

Consistorium Cardinalium sub praesidio summi Pontificis est vel secretum, idest ordinarium, ad quod soli cardinales admittuntur; vel publicum et extraordinarium, quod singulares ob causas praesentibus praeter Cardinales Praelatis, Principibus, aut horum Legatis, et Magistratibus solemniter celebratur. In Consistorio secreto tractantur creatio Cardinalium; Nominatio Legatorum a latere; Electio Patriarcharum et Archi-Episcoporum etiam titularium; item Episcoporum, translationes eorum, et depositiones, ac concessio Pallii etc. Ad publicum autem Consistorium spectant: impositio pilei cardinalitii; receptio Legatorum Principum. Canonizatio etc.

## §. 82. De Cancellaria Romana, et Dataria.

Cancellaria Romana, cui regulas praescripsit Joannes XXII. conficit, scribit, et expedit literas apostolicas, Bullas scriptura Gothica, cum sigillo plumbi; et Brevia, sive resolutiones Ponti-

ficis in causis minoribus. Dicasterium autem est Dataria, quae est Dicasterium Pontificis, per quod summus Pontifex gratias extra Consistorium concedit, etiam pro foro externo valituras, uti sunt: dispensatio aetatis, matrimoniorum, irregularitatum, a votis, juramento; et collationes beneficiorum minorum.

## §. 83. Tribunalia Pontificis.

Tribunalia Pontificis sunt: 1) Poenitentiaria, quae est Tribunal concessionum, et dispensationum pro foro conscientiae. 2) Rota Romana, quae est supremum Tribunal judiciarium, ad causas litigiosas tractandas institutum. 3) Signatura justitiae, est Tribunal decidens, utrum causa aliqua appellari possit, dum id e jure scripto non satis determinari potest. 4) Signatura gratiae, in hac tractantur causae, quae ex gratia Pontificis dependent, sicut est, ut a causa non appellabili appellata concedatur.

## §. 84. De Congregationibus.

In Ecclesia Romana existunt variae Congregationes, utpote:

1) S. C. Romae et Universalis Inquisitionis seu sancti Officii, sub praesidio Pontificis, cujus membra sunt Cardinales 15, Secretarius Cardinalis, 31. Consultores, 5. Qualificatores. Congregatio haec prima est, quoniam momentosae ejus decisiones ab ipso Pontifice sanctionem obtinent. Competentia hujus Congregationis extenditur ad omnia delicta contra fidem, qualia sunt: Haeresis, sortilegium, divinatio, magia, astrologia judiciaria — Blasphemia — Transgressiones praeceptorum Ecclesiae — Apostasia ab ordine vel a statu Regularium — certa delicta carnis — abusus sacramenti baptismatis, eucharistiae et sacrificii missae, sacramenti poenitentiae, matrimonii, et ad personas, quae secundum juris principia ob haeresim puniendae sunt.

2) Congregatio Indicis Librorum prohibitorum, instituta a Pio V. et organizata a Sixto V. constitutione „Immensa", Benedicto XIV. constitutione „Sollicita ac provida", sub praesidio Cardinalis Praefecti constans e 12. Cardinalibus, pluribusque Consultoribus et Relatoribus. Congregatio haec libros perniciosos Indici librorum prohibitorum infert, ideo etiam nomen fert Congregationis Indicis, atque etiam facultatem dat prohibitos libros legendi. Decreta ejus quemlibet obligant.

3) S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, instituta a Pio IV. Constitutione quae incipit „Alias nos", amplius constituta a Sixto V. Constitutione „Immensa aeterni Dei", scopus hujus Congregationis est superintendere, ut executio decretorum Concilii Tridentini de Reformatione manuteneatur, atque obortis dubiis circa sensum Concilii quaestiones juris decidere. Constat sub praesidio unius Cardinalis Praefecti, ex 40. Cardinalibus membris, uno Praelato Secretario, et Subsecretario,

pluribus Praelatis qua Adjunctis et Supplentibus. Ex hac desumitur particularis congregatio super statu Ecclesiarum, quae revidet relationes Episcoporum de statu Dioecesium, et supervisitatione, introducta a Benedicto XIV. Constitutione „Decet.“ Item alia Congregatio particularis, super revisione Synodorum Provincialium, a Sixto V. instituta. Denique Congregatio particularis super residentia Episcoporum, ab Urbano VIII., amplius autem constituta a Benedicto XIV. Constitutione „Ad universae.“

4) S. Congregatio super Negotiis Episcoporum et Regularium, instituta a Sixto V. Constitutione „Immensa“, quae superinspicit universali administrationi Episcoporum et exemptorum Praelatorum, item correlationi Ordinum Religiosorum ad eos et inter se, atque disciplinae religiosae seu monachali. Ad hanc congregationem negotia contentiosa non spectant, excepto si judicium Episcopi saevitiem spiraret, quo in casu interposita per afflictum appellata, continuationem processus sistendi potestatem habet. Ad ejus sphaeram spectant omnia gravamina contra administrationem Episcoporum ; in casibus necessitatis iis Vicarios substituit, atque judicat de delictis Praelatorum quae ad S. Inquisitionem non spectant.

5) Congregatio Jurisdictionis et Immunitatis Ecclesiasticae, instituta ab Urbano VIII., ad defensionem et conservationem immunitatis ecclesiasticae locorum, personarum et rerum.

6) Congregatio Rituum, instituta a Sixto V. ad invigilandum cultui sacro, ac tollenda dubia quae circa eum emergerent, decidendasque controversias circa Ritum; ad quam spectant etiam controversiae et lites circa praecedentiam, et processus ad beatificationem.

7) Congregatio Indulgentiarum et S. Reliquiarum, instituta a Clemente IX. Constitutione „In ipsis Pontificatus“ ad concedendas Indulgentias, et examen authenticarum Reliquiarum.

8) Congregatio de Propaganda Fide, et S. Congregatio pro corrigendis libris Ecclesiae Orientalis, inchoata a Gregorio XIII. continuata et emendata a Clemente VIII. et perfecta a Gregorio XV. Constitutione „Inscrutabili“, qua cum conjunctum est Collegium Urbanum, pro Missionariis ad propagandam fidem; habet Typographiam omnibus fere linguis. Congregatio haec recentissime pro negotiis Ecclesiae Orientalis per Constitutionem Pii IX.: „Romani Pontifices“ distincta Sectione aucta est.[1])

## §. 85. Officiales Curiae Romanae.

Comitatum Pontificis constituunt Dignitarii, et qui in aula Pontificis officium aliquod vel revera vel saltem ejus titulum gerunt. Praeter Cardinales, e quibus unus est Secretarius status pro negotiis status Pontificii externis, cui subsunt qua organa

[1]) Vide in fine Operis Constitutionem Pii IX.

Nuncii Apostolici apud aulas Principum constituti; Secretarius pro negotiis status internis, Pro-Datarius, Secretarius Memorialium, Praefectus sacri palatii seu Major Domus, Magister Camerae, Magister sacri palatii (seu Theologus Papae), Auditor (seu Jurista Pontificius), praeter item Archi-Episcopos et Episcopos solio Pontificio assistentes, quales etiam extra statum Pontificium nominantur, sicut etiam Praelati domestici suae Sanctitatis Pontificis, atque honorarii quidem nominantur per Breve, et gaudent privilegio induendi rochettum, et mantelettum coloris violacei[1]); varii Camerarii secreti ad honores, cum habitu coloris violacei. Proto-Notarii, ad perquirenda et connotanda acta Martyrum adque alia graviora negotia adpliciti. Hodie dividuntur in participantes, ideo sic appellati quoniam praeter proprios reditus a sede Apostolica, participant emolumenta ex expeditione literarum apostolicarum influentia, qui sunt numero septem a jurisdictione Episcoporum exempti, Romae constituunt collegium, quod statuta pro se condere, quovis anno quatuor Doctores Theologiae vel Juris utriusque aut Canonici creare, et unum Protonotarium titularem, non tamen inconsulto Pontifice, nominare potest; habent jus in itinere altaris portatilis, item, si Presbyteri sint, mitrae et aliorum pontificalium, etiam in Ecclesiis cathedralibus, praesente tamen Episcopo hujus consensu indigent; praeter hos autem sunt Protonotarii apostolici supernumerarii, dicti ad instar participantium, qui habent quidem dignitatem praelatitiam et hinc etiam jus insignium praelatitiorum; quia tamen in omnibus Episcoporum Ordinariorum jurisdictioni subsunt, absque horum consensu pontificalibus uti nequeunt. Sunt etiam Protonotarii honorarii, seu titulares, qui debent ab Episcopis commendari, atque ad eorum nominationem documentis edocendum est: eos esse de nobili vel honesta familiae conditione, annorum saltem 25, de statu clericali, Doctores Theologiae vel Juris, morum honestorum, et annuos proventus saltem bis centum scutatorum habere. Jura eorum sunt: *a*) Possunt conficere acta de causis beatificationis et canonizationis servorum Dei. *b*) Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium, in Judices synodales, in Commissarios apostolicos, et Judices a summo Pontifice adsiscendos pro causis ecclesiasticis et beneficiariis. Item apud ipsos professionem fidei recte emittunt, qui ex officio ad eandem adstringuntur. Protonotarii titulares etiamsi non Praelati, tamen uti possunt habitu praelatitio, videlicet veste talari et palliolo, nuncupato mantelletto, sed nigri coloris, non vero violacei, in publicis supplicationibus et Ecclesiae aliis functionibus etiam rochetto subtus palliolum. Habitu praelatitio induti praeferendi sunt etiam Canonicis singularibus, non vero in collegium coeuntibus, nec etiam Abbatibus et Vicariis generalibus. Si Canonici sint in Choro, ut Canonici induti sunt, et in com-

[1]) Vide Porubszky §. 192.

petente canonicali stallo sedent. Si non sint Canonici, collare violaceum non competit. Sacrum operantes a simplicibus sacerdotibus minime differunt. Protonotarii titulares, qui aliis juribus uti ausi fuerint, si ab Ordinario tamquam sedis apostolicae delegato semel vel bis admoniti non paruerint, eo ipso delato honore se privatos sciant. Praeter hos adhuc sunt etiam Capellani secreti pontificii, Capellani honorarii, Capellani communes etc.

# CAPUT IV.

## DE EPISCOPIS.

### §. 86. Prolegomena.

Principi Apostolorum qua totius Ecclesiae fundamento principali, et Capiti, in officio et potestate successisse Romanum Pontificem superius §. 61-mo demonstratum est; sicut etiam reliquorum Apostolorum successores esse Episcopos, qui munus Apostolorum in Ecclesia continuant §. 65-to expositum est. S. Clemens, in Epistola ad Corinthios in hanc rem sic scribit: „Apostoli nostri cognoverunt, per Dominum nostrum Jesum Christum, quod futura esset contentio de nomine Episcopatus, ob eam ergo causam accepta perfecta praécognitione constituerunt Episcopos, et deinceps successionis regulam tradiderunt, ut cum illi decederent, ministerium eorum ac munus alii probati exciperent.“

### §. 87. Primas Sedes Episcoporum Apostoli ipsi defixerunt.

Quoad primas sedes Episcoporum ab Apostolis ipsis institutas, Tertullianus[1]) scribit: „Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerint auctorem, et antecessorem.“

Petrus Magnus Christi Apostolus in omnibus fere civitatibus Capadociae, Phrygiae, Macedoniae, Graeciae, Epyri, Siciliae, Italiae, Galliae, Hispaniae extremitatum Episcopos ordinavit. Etenim Jacobus ejus favore Hierosolymorum thronum tenuit; deinde Evodium Antiochiae ordinavit, Tharsi Urbanum, Epaphroditum Lyciae, Sygellum Ephae, Smirnae Apellem, Philippis Olympum, Thessalonicae Jasonem, Sylam Corinthi, Partis Herodianum, Thauriaminii Magnum, Alexandriae Marcum, amplius autem in Niceae Thraciae partibus similem apparavit ordinem,

[1]) De praescript. haeres. Cap. 32.

et eundem factnum iri successoribus commendavit.[1]) Ideo S. Petrus Epislola 1-a Cap. V. v. 2. ait Episcopis: „Pascite qui in vobis est, idest qui vobis creditus est per me, gregem DEI."

Similiter S. Paulus in Epistola ad Titum Cap. I. v. 5.: „Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi."

Ita et S. Joannes Apostolus in Asia Episcopos constituit, teste Tertulliano Libr. 4. contra Marcionem: „Ordo Episcoporum inquit, ad originem recensendus, in Joannem stabit auctorem." Dubium proinde nullum est e dispositione Apostolorum Episcopos distinctis suis sedibus affixos fuisse, et Angeli Ecclesiarum, quibus praeerant quasi Angeli Custodes habebantur; atque sensim Jurisdictio eorum ad certos limites Paroecias, serius Dioeceses compellatas restricta est. Sic Canone 35. Apostolorum: „Episcopus ne audeat extra suos fines facere ordinationes in urbibus et pagis sibi non subjectis." Canon II. Concilii II.: „Episcopi ultra Dioecesim in Ecclesias ultra suos terminos ne accedant, nec Ecclesias confundant."

## §. 88. Inter Sedes Episcopales eminent Sedes Patriarchales, quarum Episcopi Patriarchae compellati sunt.

Sedes Patriarchales omnium Episcopalium sedium, post Romanam sedem Principis Apostolorum, principes fuerunt, utpote Alexandrina, et Antiochena, in quibus Archi-Pater, sive Princeps-Pater Apostolus Petrus resedit; de his S. Gregorius Magnus Libro 6-o Epist. 37. et Libr. 5. Epistola 60. ait: „Veteres Patriarchae tres in una eademque Apostolica sedent Cathedra, et praesident, qui Petri sedi omnes successere; Ecclesiaeque suae, quam unam in unitate fidei fundavit Christus, dedit et Caput unum, quod tribus praecipuis, trium regiarum urbium praesideret coetibus, ita ut tres istae sedes unitatis vinculo necterentur indivisibili, Ecclesiasque caeteras cum Capite strictissime necterent, quod Caput divinitus institutum est, ut sit totius vertex unitatis." Idem autem etiam Innocentius primus enunciat Epistola 18. ad Alexandrum Antiochenum scribens: „Animadvertimus, non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apostoli sedes esse monstratur."

Sed S. Chrysostomus, etiam erectionem sedis Episcopalis Hierosolymitanae S. Petro adscribit, qui Jacobum Episcopum Hierosolymis reliquit, et constituit; (Euseb. Hist. Eccl. Libr. 2. Cap. 1.) ideo etiam haec sedes patriarchalis, idest princeps habebatur in memoriam erectionis per Principem Apostolorum Pe-

[1]) V. Binterim Tom. 1. parte 2. 433. Hugo Etherian. Confer. Dr. Moellin Molkenbuhr Dis 15. de Serie primorum Episcoporum in Cath. Romana, Antiochena, Alexandrina et Hierosolymitana.

trum. Et reipsa S. Patres omnes principalitatem harum sedium a fundatione per sanctum Petrum Principem Apostolorum, non autem a praerogativa quadam civili repetunt.[1]) Quae dein instituta Imperii Romani nova divisione, Regionum Metropoles evaserunt, et jurisdictionem in totius Regionis Episcopatus, qui dioecesim unam Regionis constituebant patriarchalem, obtinuerunt.

## §. 89. De nomine Patriarcharum.

Nomen Patriarchae originis Graecae, Principem Patrum denotat; in veteri Testamento habebant capita tribuum, quae populum israeliticum constituebant. Eversis autem Hierosolymis nomen hoc traxerunt Praesides Synedrii. Apud Christianos primi Montanistae haeretici hoc nomen usurparunt; nec ante saeculum V. in Ecclesia Christiana invaluit. Quum vero Patres Synodi Chalcedonensis, Leonem primum Pontificem totius Ecclesiae Patriarcham salutassent[2]): vocis hujus usus in Ecclesia ita invaluit, ut illi Praesules de regula Patriarchae dicerentur, qui non tantum pluribus Episcopis, verum etiam integris nationibus tamquam Patres spirituales praeerant. Dum autem Patres Concilii Chalcedonensis Romanum Pontificem universalem totius Ecclesiae Patriarcham salutarunt,[3]) manifestum est: Patres ejusdem Concilii summum Pontificem omnium totius Ecclesiae Christianae Patrum Patrem, sive omnium Episcoporum principem seu apicem agnovisse; ut adeo, nomen Patriarchae aliis Episcopis non eo quo Principi omnium Episcoporum sensu tributum est, sed eo solum, quod inter Episcopos suae Dioecesis Princeps esset, prout testimonium perhibet Theodosius junior Imperator ad Valentinianum et Placidum sic scribens: „Si videtur vestrae reverentiae, sanctissimi Patriarchae uniuscujusve Dioeceseos eligentes unum aut secundum propriae cujusque Dioeceseos.“ Quodsi jam Patriarchae Constantinopolitani praeeunte Joanne Jejunatore titulum Patriarchae oecumenici sive universalis, sine jure principatus in tota Christi Ecclesia, quod jus soli successori Principis Apostolorum Romano Pontifici proprium est, sibi arrogant, ridiculam rem faciunt, et fastum suum produnt, quem ipsi summo Pontifici Romano perperam appingunt, qui digne sedet in Cathedra Principis Apostolorum Petri, prout praeter jam adducta testimonia Tarasius Patriarcha ipse Constantinopolitanus scribens Adriano Papae[4]) confitetur verbis: „Cum Divinus Petrus Apostolus, cujus Cathedram sortita est Sanctitas vestra.“

---

[1]) Vid. Binterim Tom. 3. pag. 186.

[2]) Tom. II. Concil. Harduin. Col. 257. et 321. Sanctissimo et universali Archi-Episcopo et Patriarahae magnae Romae.

[3]) Act. 2. Col. 286.

[4]) Apud Bevereg. Tom. II. pag. 184.

## §. 90. Numerus Patriarcharum.

Historica veritate constat, usque ad dimidium saeculi II. et initium saeculi III. nullum adparere vestigium, quod inter Apostolos eorumque successores Episcopos, excepto eorum Principe, seu Coriphaeo Petro, facta fuerit distinctio. Verum Canone Apostolorum XXXIV. praescribente: Episcopos cujusque gentis nosse oportet eum, qui in eis est primus, et existimare eum ut caput, orti sunt in Ecclesia Archi-Episcopi, ex quibus illi, qui in principalibus sedibus a SS. Apostolorum Principe Petro fundatis, quales erant, ut supra §. 88. Alexandrina, Antiochena, et Hierosolymitana post sedem omnium principalem Romanam, constituebantur, Patriarcharum nomine insigniti erant, Romano Pontifici Papae nomine singulari adscripto.

## §. 91. De Ordine Sedium Patriarchalium.

Post Romanam S. Petri cathedram, sedes Alexandrina praelata est eo etiam, quod civilis auctoritas urbis Alexandrinae inter omnes urbes et praefecturas Romani Imperii post Romam secunda fuerit. Ad cujus Dioecesim spectabat Aegyptus, Lybia, Pentapolis, et Thebais.

Post alexandrinam, in ordine honorabatur sedes Antiochena, cujus Dioecesis se extendebat per Orientem stricte sic dictum; nimirum, quousque sub Constantino Magno post novam Imperii Romani divisionem, praefectura civilis Orientis se extendebat.

Antiochenam autem, in ordine excepit Hierosolymitana, juxta Canonem VII. Concilii Nicaeni I-mi, cum Dioecesi Palaestinae.

Constantinopolitanam vero sedem his omnibus praetulit Can. III. Concilii Constantinopolitani I. cujus tenor est: „Constantinopolitanus Episcopus habeat prioris honoris partes post Romanum Episcopum, eo quod sit ipsa nova Roma.“ Ex quo Canone falsa esset argumentatio sequens: Episcopus Romanus ideo habuit in Ecclesia principatum, quia Roma fuit urbs princeps totius Imperii, sedes Imperatorum: ergo convenit, ut Episcopus urbis Constantinopoleos ad quam translata est sedes Imperatoris, eandem habeat praerogativam, sive principatum. Namque Episcopus Romanus tunc etiam principatum in Ecclesia tenuit, dum urbs Roma quae nomen Christianum per tria saecula persequebatur, nullam pro Christianis politicam praeeminentiam habuit, et tunc dixit S. Cyprianus: qui Cathedram Petri, supra quem fundata est Christi Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse non confidat. Verum his omnibus non obstantibus, Constantinopolitani, qui orthodoxiam suam recte in eo sitam esse volunt, quod a Capite Ecclesiae ac fundamento, Cathedra Petri desciverint, et hoc ipso juxta S. Cyprianum extra Ecclesiam se constitue-

rint, titulo fundationis sedis Constantinopolitanae per Andream Apostolum, quem ipso S. Petro priorem habere videntur, successorem Patriarcham Constantinopolitanum per eminentiam oecumenicum Patriarcham venerantur, et plane Romano Pontifice e prima sede dejecto, Constantinopolitanum Patriarcham ejus loco in apicem collocarunt, prout novissima editio Codicis Canonum Graeci Pidalion 1800. Lipsiae procurata, in Prolegomenis ad quamlibet Synodum perhibet; sic in Prolegomenis ad Concilium Nicaenum I. scribunt: Principales autem viri in hac Synodo erant Alexander Constantinopoleos, dein Locumtenentes Sylvestri Papae. In Concilio IV. dicunt: Praesidentes erant, Anatolius Constantinopoleos, dein Legati S. Leonis Romani etc. sed et antiquior editio Codicis Ecclesiae Orientalis „Directorium," de anno 1652. ad Canonem 36. Concilii Trullani, quo Canone decernitur: ut thronus Constantinopolitanus aequalia privilegia cum antiquae Romae throno obtineat, et in ecclesiasticis ut ille rebus magnifiat, ut qui sit secundus post illum. Postque magnae Alexandrinorum Civitatis numeretur thronus, deinde Antiochiae, et post eum Hierosolymitanae Civitatis, in Scholio, contra expressam literam hujus Canonis, quod thronus Constantinopolitanus sit post Romanum secundus, subjungit provocando ad Canonem III. Concilii Constantinopolitani I. et XXVIII. Concilii Chalcedonensis: „Constantinopolitanus Episcopus non consideretur secundus post Romanum, sed solum ratione temporis, cum Roma antiquior urbs sit Imperatoria"; idque adstruitur contra Decretum Justiniani, Novella 131., in qua Cap. 1. declarat Imperator: ut vicem legum obtineant ecclesiasticae Regulae, quae a sanctis quatuor Conciliis expositae sunt, nimirum: Nicaeno, Constantinopolitano, Ephesino et Chalcedonensi; atque hinc (Cap. 2-do) decernimus: secundum earumdem Synodorum definitiones, sanctissimum senioris Romae Papam primum esse omnium Sacerdotum. Beatissimum autem Archi-Episcopum Constantinopoleos novae Romae, secundum habere locum, post Sanctam Apostolicam senioris Romae sedem.

Cumque taliter observarent Constantinopolitani, nec continuam Ecclesiae traditionem, neque etiam Synodorum decreta suae ambitioni suffragari, ad auctoritatem S. Andreae Apostoli confugerunt, et hoc titulo superoritatem ac prioritatem sedi Constantinopolitanae vindicare conati sunt; uti patet ex epistola Leonis Archi-Episcopi Bulgariae. „Ad eos, qui dicunt Romam esse primum Thronum"[1]); in qua in hanc rem haec leguntur: „Porro si Roma propter summum Apostolum principatum quaerit, Byzantium propter Andream primum vocatum, et fratrem natu primum, primas habebit. Ipse enim annis non paucis Byzantii Episcopatum susceperat, antequam frater ejus Romae Episcopus esset."

---

[1]) Vid. Alexii Aristin. Epist. Canon. Synopsis Apud Beverog. Tom. II.

Sed nec in hoc sibi Constantinopolitani constant, et observant, in hoc parum esse argumenti Primatum Romani Pontificis eludendi; hinc relicta Constantinopoli, pergunt Antiochiam, ibidem praesidium erroris quaesituri. Idem nempe Leo Archi-Episcopus Bulgariae in eadem Epistola contra eos, qui dicunt Romam esse primum Thronum, hoc est contra totam Catholicam Ecclesiam, contra continuam sanctorum Patrum doctrinam, et ipsas Synodos, quae omnes sedem Romanam in apice constituunt, inquit: „Si Roma, quod Principem Episcopum suscepit, prima sit, Antiochia potius primas habebit; Petrus enim Apostolus in Antiochia Episcopatum gessit, antequam in Roma."

Verum nec Antiochiae conquiescunt, sed Hierosolymas confugiunt, desertoque tam throno Constantinopolitano, quam Antiocheno, dicunt praeeunte eodem Leone Archi-Episcopo Bulgariae, in eadem Epistola et quidem Canonica: „Rursus, si a personarum qualitate thronis primas tenere datur, quomodo prae omnibus manifesto Hierusalem principatum non habebit? Ipse enim Petri, omniumque nostrum communis creator et Dominus, primus et magnus Pontifex, omnis vitae fons, et ordinis Sacerdotalis, illic natus est, et conversabatur, et se se propter mundi salutem libens obtulit." Hinc orthodoxa Confessio Part. I-a qu. 84.: „Inter particulares Ecclesias illa mater reliquarum dicatur, quae prima omnium praesentia Christi ornata fuit. — Est itaque haud dubie mater et princeps Ecclesiarum omnium Ecclesia Hierosolymitana, quoniam ex illa in omnes orbis terminus diffundi coepit Evangelium; quamvis postea Imperatores, primos dignitatis gradus antiquae, novaeque Romae tribuerint, ob majestatem Imperii, quae iis locis domicilium habebat."

Verum Constantinopolitani nec Hierosolymis securum pedem fixerunt; namque secundum Leonem Archi-Episcopum Bulgariae, illa urbs habenda est prima, ubi Christus natus est; cum per errorem dicat Christum Hierosolymis natum fuisse, cujus nativitatis locus Bethlehem fuit, et in sacris scripturis ideo etiam extollitur, Matth. C. II. v. 6.: „Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel." Quod autem Hierosolyma in qua perfecta est salus mundi, sit omnibus Chriatianis pretiosissima, dubium non patitur; hoc tamen non obstante, Hierosolymitanae Ecclesiae Episcopo nec per sanctos Patres, nec per Synodos specialia jura, aut supra omnes orbis Episcopos honoris praerogativa tributa est; quoniam Ecclesia, quae Principem Apostolorum, quem Christus sibi in terris Vicarium et Caput Ecclesiae reliquit, non ignoravit unquam, hujus successorem non Hierosolymis, sed Romae recognovit, ac propterea etiam Imperatores ejus, non propter urbem, Principatum in tota Ecclesia agnoverunt, prout citata eorum edicta clare docent. Quodsi Leo Archi-Episcopus Bulgariae et illi assentientes Constantinopolitani, secundum Epistolam Canonicam supra citatam, auctoritatem

Pontificis Romani a pagano Imperatore Aureliano, qui litis decisionem in causa Episcopi Pauli Samosateni Antiocheni, ad Romanum Episcopum relegavit, repetunt, nihil aliud ostendunt, quam ipsos paganos, pro auctoritate et potestate Romani Pontificis, quam de caetero orthodoxa fides Christinianorum omnium saeculorum comprobavit, testimonium ferre. Dum autem orthodoxa Confessio Ecclesiae Orientalis Parte 1-ma quaest. 85. declarat: „Docemur solum Christum Ecclesiae suae Caput esse. Tametsi vero Antistites in Ecclesiis, queis praesunt, capita eorum dicuntur; sic illud tamen accipiendum, quod ipsi Vicarii Christi in uaq uisque provincia, et particularia quaedam Capita sint." Universam Ecclesiam visibili Capite et centro unitatis visibili privat, et manifeste cum Acatholicis communem doctrinam tradit, et haec confessio haeterodoxa est; hincque provide fecerunt Imperatores civiles, dum tales Ecclesias, quae divinitus sibi praefixum commune caput et regimen non recognoscunt, suo Imperio divinitus in civitatem constituto subjecerunt; cum per civilem potestatem supplendum sit id, quod divinitus constitutum esse negatur; ne tales dissolutae Ecclesiae in finem ipsius civitatis impingant. Nemo autem crediderit Christianos Principes sine discrimine, conscios non esse, distinctam esse Ecclesiam a societate civili; prioris finem esse spiritualem, aeternum, civitatis autem esse securitatis temporalem; atque utramque societatem a DEO ipso institutam esse, quae penes invicem et ad mutuum adjutorium, assecutionem proprii finis mediis propriis operatur; ac proinde, quamlibet societatem proprio suo regimine et qnidem a DEO constituto gubernari debere. Neque Imperatores ipsi, formam regiminis Ecclesiae Aristocraticam, cujus analogon in tota natura a DEO creata non datur, e divina institutione recognoscere possunt; qualis regiminis forma, ubi in ipsa civili societate introducta erat, non diu perstitit, sed in Monarchicam desinere debuit. Ut igitur Ecclesia, quae divinitus sibi constitutum supremum Rectorem non agnoscit, regatur, et non dissolvatur, Imperatores ipsi regimen talis Ecclesiae in sua persona concentrare, et per Synodos dirigentes a se constitutas, easdem separatim gubernare coguntur. Ex hinc autem simul luce meridiana clarius est: solam Ecclesiam Romano-Catholicam, quae divinitus sibi constitutum caput, et rectorem universalem veneratur, indolem et constitutionem ad universalitatem idest catholicitatem habere; cujus regiminis jurisdictio nullis particularibus regnorum limitibus restringitur, sed ad totum latepatentem orbem terrarum, juxta divinam ejus institutionem extenditur. „Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.[1]" Haec est appromissio DEI Ecclesiae facta.

[1]) Psalm. II. 8.

## §. 92. Status praesens Sedium Patriarchalium Orientis.

Imperio Graecorum (juxta commune Directorium slavicum pag. 4. et sequentibus) in multas partes, propter multitudinem peccatorum dissipato, et in potestatem paganorum (Turcarum) redacto[1]) Constantinopolitano Patriarchae subjecti manserunt 150. incirca Episcopi, inter quos sunt 25. Metropolitani, quorum plerique suffraganeis carent. Provinciae, in quas jurisdictionem exercet, sunt: Asia minor, Insulae maris Aegaei, et Thracia.

Cultum ei deferunt etiam Russia, quae Magno Basilide imperante proprium obtinuit Patriarcham, nunc autem a Synodo Petropoli residente, independenter gubernatur; dein Graecia, quae pariter a Synodo Athaenis residente regitur. Bulgaria, quae proprium ac independentem Patriarcham, qui olim in utraque Dacia jurisdictionem habebat, obtinuit Ternoviae residentem. Valachia et Moldavia, quorum Metropolitae qua Exarchae, a jurisdictione Patriarchae Constantinopolitani exempti, propria potestate independenter Ecclesias suarum provinciarum regunt. Serbia, et Serborum provincia ecclesiastica in Imperio Austriae, quae tamen proprium Patriarcham cum titulo „Ipekiensis" habet. Denique aliqui Episcopi non uniti in Austriae Imperio, nempe Transilvaniensis, cum residentia originarie in oppido Rasinari, nunc Cibinii, Bucovinensis, et Dalmatinus, nulli Metropolitae aut Patriarchae subjecti.

Alexandrinus Patriarcha disunitus Graecus, sedem habet nunc in Cairo, et jurisdictionem exercet in varias Africae et Arabiae provincias.

Antiochenus disunitus Patriarcha residet Damasci, et praeest Provinciis: Syriae, Mesopotamiae et Caramantiae.

Hierosolymitanus denique Patriarcha graeci ritus disunitus, Palaestinis, et finitimis Arabiae Ecclesiis praeest.

## §. 93. Graeci Ritus Catholici in Unione cum Ecclesia Romana constituti.

1) Patriarcha Melchitarum, Antiochenus. Melchitae, sive regalistae dicti graeci-catholici, quia Catholicam fidem per Marcianum Imperatorem edictis inculcatam servarunt, in oppositione ad disunitos et haereticos Graecos, Eutychianos et Jacobitas.

De hoc Patriarcha Catholico Melchitarum Graecorum ait Benedictus XIV. Pontifex, in Bulla, (vide Bullarium Tomo II. pag. 21. in Appendice): Praeest Cyrillus noster genti Melchitarum, quae hodie Catholicos ingenti numero complectitur, quae-

[1]) Jus Ecclesiasticum Joannovits. Pag. 62.

que decem Episcopis, qui ipsum tamquam legitimum Patriarcham venerantur, et colunt, provide gubernantur.

2) Patriarcha Maronitarum, cum titulo etiam Antiocheni, quem Benedictus XIV. datis 26. Martii 1743. Literis: „Apostolica Praedecessorum" etc. sic commemorat: Patriarcha Antiochiae, ac totius nationis Maronitarum, sedem habet in monte Libano, in Coenobio, quod Connubiense dicitur. Sub quo sunt Archi-Episcopi et Episcopi juxta statutum in Synodo 3-a Septembris 1736. conditum, sequentes: 1. Aleppi. 2. Tripolis cum Janiel, Arca Balanea, Aradum, Orthosiadre, Gabalo, Laodicea. 3. Bybli et Botri, cum jurisdictione etiam in Dioeceses Acurae, Dairolomari et Regionis Bisarajae. 4. Helipolis, cum jurisdictione etiam in Dioeceses Phatuchae, Guta et Gazir. 5. Damasci. 6. Cyri, cum Regione Chesroe usque ad pontem Beryti. 7. Beryti, cujus jurisdictio extenditur usque ad pontem fluvii Cadi, seu Tamiris. 8. Tyri et Sydonis usque ad sanctam Civitatem Hierusalem.

3) Graeco Catholicis adnumerantur etiam Graeci et Albanenses, qui in Italia et adjacentibus Insulis degunt, qui grassante jamdudum in Oriente barbarorum immanitate, ex Graecia, Epiro, Albania, aliisque Asiae Regionibus ad Italiam, eique adjacentes Insulas, tamquam ad fidei et tranquillitatis portum confugientes, ibidem sedes, et domicilium collocarunt; et tam ipsi, quam eorum posteri Graecorum mores, instituta, ritus et consuetudines a Graecis progenitoribus sibi traditas, studiose observant. Quibus ut praesto sint Ministri, a quibus juxta proprium ritum sacramenta percipiant, Clemens VIII. Pontifex anno 1595. constituit Romae habendum esse Episcopum Graecum Catholicum. Clemens vero XII. anno 1735. ut Italo-Graecorum in utraque Sicilia commorantium commodis consuleret, alterum ejusdem ritus Graeci Episcopum in Seminario Corsino a se in Calabria erecto, propter Graecorum hujusmodi ordinationes manere jussit. Quorum laudatissimum institutum confirmavit et innovavit Benedictus XIV. Constitutione: „Etsi Pastoralis" Tom. I. Bullarii pag. 167.[1])

4) Graeco-Catholici in Monarchia Austriaca. Metropolita Graeco-Catholicorum in Galicia Leopoliensis, cum suffraganeo Episcopo Prsemisliensi; item Ruthenorum Episcopi in Hungaria Munkatsiensis, et Eperjesiensis, ac in Slavonia Crisiensis.

5) Provincia ecclesiastica Graeco-Catholicorum Romanorum Alba-Juliensis, sub Metropolita Alba-Juliensi, Dioecesano Fogarasiensi, cum Magnovaradinensi, Lugosiensi, et Szamos-Ujvariensi Episcopis suffraganeis. In Imperio Austriaco sunt supra quatuor milliones Graeco-Catholici, Ruthenae et Romanicae nationis.

---

[1]) Vid. Antoine Pars II. de Sacris Ritibus pag. 36.

## §. 94. De Juribus Patriarcharum.

Patriarcharum jura olim ampla erant; nempe: 1) Omnes ditionis suae Metropolitas confirmandi et consecrandi. 2) Synodos convocandi et iis praesidendi. 3) In Metropolitas et eorum suffraganeos censura animadvertendi. 4) Graviora suae ditionis negotia decidendi. 5) Appellationes a Metropolitis et Synodis provincialibus admittendi. 6) Unitati fidei et disciplinae integritati per suum Patriarchatum invigilandi, eam tuendi et vindicandi.

## §. 95. Exarchae, Primates, Archi-Episcopi et Metropolitae.

Exarchae sunt Archi-Episcopi regionum, qui jurisdictionem quasi patriarchalem exercent. Primates autem sunt primi Archi-Episcopi Regionum. Archi-Episcopi sunt primi inter Episcopos alicujus provinciae, qui ipsis suffraganei sunt. Metropolitae denique, qui titulum urbis Metropolis habent, quorum aliqui Suffraganeos non habent, pro exemplo, Metropolita Armenorum Catholicorum Leopoliensis.

## §. 96. De juribus Archi-Episcoporum Metropolitanorum in genere.

Quae jura competant Archi-Episcopis Metropolitanis, Canon XXXIV. Apostolorum indicat sequentibus: „Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportet eum, qui in eis primus est et existimare eum ut caput; et nihil facere, quod sit magni momenti praeter ejus sententiam, illa autem sola facere unumquemque quae ad suam parochiam pertinent, et pagos, qui ei subsunt; sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat. Sic enim erit concordia et glorificabitur Deus" etc.

Quem Canonem sanctorum Apostolorum Zonaras sic interpretatur: „Quemadmodum corpora, dum caput sanam vim suam minime conservat, male moventur, aut omnino sunt inutilia sic etiam corpus Ecclesiae, si non qui ei praeest, et ordine certo munus implet capitis, in suo conservetur honore, intemperanter et incondite commovebitur. Propterea praesens Canon, Primos cujusvis provinciae Episcopos, Metropolitanos videlicet Archi-Episcopos, aliorum per eam provinciam Episcoporum caput existimari jubet; ac sine illis agere nihil, quod Ecclesiae statum communem respiciat; cujusmodi sunt: Dogmaticae quaestiones; super errantibus communibus dispositiones, Pontificum constitutiones, et quae sunt ejusmodi. De istis autem ad eum convenientes consultare, et quod omnibus optimum videatur determinare; unumquemque vero Episcopum, prout ipsi visum fuerit,

Ecclesiae propriae; subditorumque sibi locorum peculialiter administrationem gerere. Sed nec primo quidem Episcopo Metropolitano concedit, ut honore abutens hunc mutet in dominium, et uni sibi potestatem arroget; modoque dictorum vel similium quid agat, sine communi consacerdotum Episcoporum sententia, vult enim Episcopos consentire charitatisque vinculo colligari: et exemplum esse Clero sibi subjecto, populoque dilectionis et concordiae."[1])

## §. 97. Jura Metropolitanorum Archi-Episcoporum specialia.

Ex priori §-o adducto Canone SS. Apostolorum deducuntur sequentia jura Metropolitarum: 1) Episcopos provinciae in Synodum congregandi ad objecta communia totius provinciae ecclesiasticae, fidei nempe, morum, et disciplinae tractanda et decidenda. 2) Episcopos suffraganearum Dioecesium ab Episcopis provinciae electos, cui tamen electioni Metropolita interesse non debet[2]) confirmandi et consecrandi, accedente tamen assensu Patriarchae, qui est Metropolita Metropolitanorum; quosuper Innocentius Pontifex ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum sequentia scribit[3]): „Itaque arbitramur Frater charissime, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et ceteros non sine permissu et conscientia tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos literis datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu. Quorum enim tua te maxime exspectat cura, praecipue tuum debent mereri judicium." 3) Ab Episcoporum sententia appellationes recipere, juxta Concilii Carthaginensis Canonem XXXI. 4) Ad jura Metropolitarum referunt aliqui etiam jus Episcopos suae provinciae officii incurios ad officium revocare, sed hoc jus summi Pontificis est, qui Episcoporum ordinarius judex est. Praeter haec non competit Metropolitis jurisdictio in suffraganeas Dioeceses. Canone 2-o Concilii II.: „Metropolita suam dirigat Archi-Dioecesim, nec limites ejus excedat." Imo si contingat eum sacra celebrare in regionibus subalterni illius Episcopi, haec pro dispositione hujus fieri oportet; in sacris autem oblationibus neutiquam nomen Metropolitae, nisi in propria Archi-Dioecesi, sed Patriarchae aut summi Pontificis commemorandum (Com. Direct. Cap. 59. f. 599.[4]), sede vero Episcopali vacante in sacris Metropolita commemorandus.

---

[1]) Vide Bevereg. Tom I. pag. 23.
[2]) Vide Balsamon ad Can. XIII. Concilii Carthag. Bevereg. Tom. I. pag. 828. A.
[3]) Petrus de Marca pag. 12.
[4]) Vid. Joannovits Tom. 1. pag. 80.

# CAPUT V.
## DE CONCILIIS.

### §. 98. Conciliorum notio et divisio.

Concilium, graece Synodus, est congregatio Episcopatus ad definiendam fidem, et leges ecclesiasticas condendas. Concilia sunt vel generalia oecumenica, in quibus totus Episcopatus repraesentatus est; vel provincialia, alias particularia, localia, ad quae provinciae alicujus ecclesiasticae Episcopi, sive Metropolita cum suffraganeis Episcopis congregantur. Item Dioecesana, dum Episcopi cum dioecesanis sacerdotibus congregatis consilia ineunt.

### §. 99. De Conciliis Oecumenicis seu generalibus, eorum Characteribus.

Codex Canonum Ecclesiae Constantinopolitanae novissimus in Prolegomenis ad Concilium primum Nicaenum, juxta Dositheum hujus Ecclesiae doctorem, quatuor characteres Concilii oecumenici assignat.[1])

1) Convocationem per Imperatorem, quae tamen nota, etiam in particulari Synodo obtigit, prout in Synodo Sardicensi, quae convocata est per Constantium et Constantem Imperatores.

2) Ut Synodus sit congregata in objecto fidei, seu ad definiendum dogma; sed haec quoque nota obtigit in particularibus Synodis; ita Synodus Carthaginensis congregata fuit contra Pelagium.

3) Nota Concilii oecumenici est, ut Dogmata et Canones in Synodo statuti concordent sacrae Scripturae, et anteriorum Synodorum oecumenicarum definitionibus; quae nota perinde et particularibus Synodis propria esse debet.

4-ta denique nota, eaque Concilii oecumenici propria est; acceptatio universalis definitionum dogmaticarum et decretorum, per omnes totius orbis Christiano-Catholici Patriarchas et Episcopos, qui aut personaliter in Synodo praesentes sint, vel per legatos, vel vero etiam absentes scripto cosensu accedant.

Atque talem Synodum oecumenicam, quae has quatuor, imprimis autem ultimam notam characteristicam habet, dicunt Graeci, esse Ecclesiam Catholicam, in quam illi, secundum Symbolum credunt. Nam huic solum Ecclesiae, idest Synodo oecumenicae promisit Christus Redemptor mundi spiritum consolatorem, spiritum veritatis, qui maneat cum ea in aeternum, apud Joannem Cap. 14. v. 16. Qui Spiritus Sanctus docebit hanc

---

[1]) Dosith. Dodicabiblon pag. 1018.

Ecclesiam omnia. Joannis 14. v. 26. Cum hac Ecclesia solum, seu cum Concilio oecumenico est Christus perpetuo omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Matth. C. 28. v. 20. Atque haec solum Ecclesia, quam repraesentat Synodus oecumenica est juxta S. Paulum 1-ae ad Timot. C. 3. v. 15. Ecclesia DEI vivi, columna et firmamentum veritatis.

## §. 100. Continuatio, de Auctoritate Conciliorum oecumenicorum juxta sensum Ecclesiae Graecae.

In iisdem prolegomenis ad Concilium Nicaenum I. dicunt porro Graeci: Unicum judicem controversiarum fidei esse Concilium oecumenicum, ac simul supremum Judicium et Tribunal in causis ecclesiasticis, a quo solo nulla datur appellata. Hinc concludunt: Jus et potestatem quam habet Monarcha in politicis, eandem habet Synodus oecumenica in Ecclesia. (Dositheus in Dodica Biblon. pag. 309. et 384.)

Ergo progrediuntur Graeci: Non sacra Scriptura est supremus judex controversiarum fidei, prout Luthero-Calviniani adstruunt, sed Synodus oecumenica; sacra enim Scriptura in multis locis obscura est, et quilibet haereticus depravando scripturae sensum eamdem ad suam haeresim applicuit. Ideo, necessarius est infallibilis Interpretator, qui est sola Synodus oecumenica, juxta S. Augustinum, qui dicit: „Non crederem quatuor Evangeliis, nisi Ecclesiae Catholicae me convinceret auctoritas.“ Ideo nemini licet contradicere, aut obsequium denegare Synodo oecumenicae, qui Catholicus nominari et esse vult. Quoniam et Papa anathemate ferit illos, qui non obediunt Conciliis oecumenicis, et ipsi Synodo. Qui Ecclesiam non audierit, dicit Christus Matth. 18. v. 17., sit tibi sicut ethnicus et publicanus, idest ab Ecclesia expulsus.

## §. 101. Graecorum Sententia de numero Synodorum oecumenicarum.

Porro dicunt Graeci in prolegomenis ad Concilium Nicaenum I.: „Convenit et id adjicere, quod in veritate septem sint tantum Synodi oecumenicae, quoniam illis solis Notae omnes characteristicae Concilii oecumenici adscribi possunt, et quia omnis necessaria scientia in iisdem definita est. Ideo omnes quaestiones, quae ex Definitis et Decretis per easdem septem Synodos emergerent, facile solvi possunt. Sunt autem illae septem Synodi oecumenicae: Nicaena I., Constantinapolitana I., Ephesina, Chalcedonensis, Constantinopolitana II. et III., et Nicaena II.“

## §. 102. Examen Sententiae Graecorum quoad Concilia oecumenica.

Primo et ante omnia suboritur quaestio: Utrum Concilia oecumenica sint absolute necessarium, et unicum gubernandi Ec-

clesiam Christianam Institutum? Ad quam quaestionem sequens responsum sufficiat: Nullum dubium est, in Concilio oecumenico repraesentari Ecclesiam docentem per Christum institutam, Magisterium illud Petro-Apostolicum, cui Christus, qui Ecclesiam sibi acquisivit sanguine suo mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, doctrinam suam docendam, et regimen Ecclesiae suae, penes propriam per Spiritum suum Sanctum, spiritum veritatis assistentiam, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ei adfuturam concredidit: sed erraret quis, et rem absurdam propugnaret, qui adstrueret, idem ipsum Ecclesiae Magisterium Petro-Apostolicum nonnisi in Concilio oecumenico congregatum, potestatem a Christo sibi datam tam docendi, quam regendi Ecclesiam exercere posse; aut vero solum Ecclesiae congregatae, non vero etiam dispersae, eandem Christi per Spiritum Sanctum assistentiam adesse; aut vero Christum ad talem modum gubernationis Ecclesiae, suam assistentiam ligasset, qui non semper in potestate Ecclesiae est, et plurium saeculorum decursu observari, idest Concilium oecumenicum congregari non potuit. Juxta hanc sententiam Graecorum: „Synodum oecumenicam esse solum Ecclesiam Catholicam,“ in quam Graeci juxta Symbolum credunt, tribus primis Christianae fidei saeculis usque ad Concilium primum oecumenicum nempe Nicaenum, Ecclesia Catholica non exstitisset, quae non a Spiritu Sancto Apostolis quinquagesimo post resurrectionem Christi die infuso, sed a Concilio Nicaeno primo initium existentiae suae cepisset. Juxta eam Graecorum sententiam usque ad Concilium oecumenicum I. seu Nicaenum, Ecclesia non habuisset Magisterium, non Judicem controversiarum fidei, non supremum Tribunal in causis ecclesiasticis a quo non datur appellata; aut saltem Magisterium Ecclesiae per tria saecula non docuit, veram fidem contra haereticorum commenta non enunciavit, et causas ecclesiasticas non cognovit et judicavit; quod historicae veritati et sapientiae divinae Christi, Ecclesiae fundatoris repugnat. Certe Christus non dixit Apostolis suis et successoribus, sedete in Concilio, sed ite in universum mundum et praedicate Evangelium omni creaturae, et ecce Ego vobiscum sum non tantum quando congregati eritis in Concilio oecumenico, sed semper, omnibus diebus, etiamsi non fueritis congregati usque ad consummationem saeculi.

Historia autem, inde ab ascensione Jesu Christi in coelos Magisterium Ecclesiae Catholicae a se institutum exhibet Petrum et successores ejus, per quos Ecclesia Christi-Catholica est. Sic Actorum Apostolorum C. 1. v. 15.: In diebus illis exurgens Petrus, (Christo in Regimine Ecclesiae succedens) in medio fratrum dixit ad eos: ut loco Judae proditoris eligerent Apostolum, et elegerunt Matthiam. Accepto autem Spiritu Sancto die decimo post ascensionem Domini, Actuum Apostolorum Cap. II. v. 14: Stans Petrus cum undecim levavit vocem suam, et locutus est eis: et eodem Capite v. 37: Audita praedicatione Petri, in-

terrogavit multitudo audientium Apostolos, quid faciemus viri fratres? Petrus vero pro toto Apostolorum Coetu v. 38. respondit: Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti, et juxta v. 41. baptizati sunt illo die ad praedicationem Petri circa tria millia. Sed et primus inter Apostolos Petrus praedicationem suam miraculo roboravit. Actorum C. III. v. 6.: Petrus autem dixit claudo ex nativitate: In nomine Jesu Christi Nazareni dico tibi surge et ambula, et apprehensa manu elevavit claudum, et protinus exiliens stetit et ambulabat. Eodem Capite v. 12.: Videns autem Petrus respondit ad populum. Capit. IV. v. 8. coram Synedrio constitutis Apostolis: Repletus Petrus Spiritu Sancto, dixit ad eos: „Principes populi et seniores audite." Ecce Magistrum Ecclesiae Petrum. Sed videamus et primum et supremum in Ecclesia Judicem Petrum, Actuum Apostolorum Cap. V., ubi legitur: Anania, et Saphira ejus uxor vendiderunt agrum pro pauperibus, et fraudaverunt de pretio agri, partem tantum adferentes ad Apostolos, v. 5. dixit Petrus: Anania, cur mentitus es Spiritui Sancto? et confestim cecidit Anania et mortuus est. Et v. 9. Saphirae uxori ejus dixit Petrus: cur tentasti Spiritum Sanctum? et confestim cecidit mulier ad pedes Petri, et exspiravit. Capite autem V. v. 15., exponebant infirmos suos, ut veniente Petro eos saltem umbra illius obumbraret, et sanarentur. Et Capite XV. in Synodo cum Apostolis, se ipsum etiam in Synodo Principem Magistrum exhibuit Petrus: et judicem controversiarum. v. 7.: Surgens Petrus dixit ad Apostolos congregatos: „Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere; et v. 10.: Nunc ergo; quid tentatis Deum, imponere volentes jugum (circumcisionis et observantiae legis Moysis) cum v. 11. non per circumcisionem et legem Moysis sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus hominem salvari."

Sed et successores Principis apostolorum Petri Pontifices Romani criterium Catholicae Christi Ecclesiae ante Synodos oecumenicas pluribus saeculis in se ipsis tamquam Ecclesiae fundamentis exhibuerunt. Sic saeculo I. exortis in Ecclesia Corinthiorum dissensionibus, quamvis S. Joannes Apostolus Ephesi vivus et vicinus esset; tamen eas S. Clemens Romanus Petri successor composuit. Saeculo II. haereticus Marcion excommunicatus ad successorem Petri qua supremum judicem Romam appellavit. Eodem saeculo II. S. Policarpus Episcopus Smirnensis, ad componendam causam quoad tempus celebrandi Paschatis Romam profectus, et sententiam Aniceti Petri successoris expetiit; cujus successor Victor, auditis Episcopis eos, qui ab observantia Ecclesiae Romanae quoad celebrationem Paschatis contrariam exercuerunt consuetudinem, damnavit. Saeculo III. in causa Baptismi ab haereticis collati Stephanus Petri successor Romanus Pontifex contra Synodum Africanam causam decidit. Eodem sae-

culo III. Cornelius Pontifex Romanus, qua successor Petri, in causa lapsorum, decretum Concilii Carthaginensis suprema auctoritate confirmavit. Eodem saeculo III. Dionysius Pontifex doctrinam Dionysii Alexandrini velut erroneam improbavit. Atque Fabianus Pontifex Romanus sententiam Synodi Alexandrinae condemnationis et depositionis Origenis suprema sua auctoritate et judicio confirmavit. Eodemque saeculo III. plane ipse paganus Imperator Aurelianus decisionem litis in causa haeretici Pauli Samosateni ad Romanum Pontificem relegavit.

Ecce ergo Ecclesiam Catholicam ante Concilium oecumenicum. Ecce Magisterium et Regimen Ecclesiae extra Concilium oecumenicum. Ergo Ecclesia Catholica non est solum Concilium oecumenicum prout Constantinopolitani adstruunt. Sed Ecclesia Christi Catholica est semper omnibus diebus usque ad consummationem saeculi Magisterio ejus et supremo regimine ad solum Concilium oecumenicum haud restricto, per quod ipsum Magisterium Petri, petram fidei supra quem aedificata est Catholica Ecclesia, omne Concilium et cum ejus auctoritate oecumenicum seu universale esse potest, ac sine illo Concilium oecumenicum dari non potest. Ideo et S. Cyprianus adhortabatur eos, qui Romam se conferebant, ut agnoscant in Cornelio Pontifice Romano radicem Ecclesiae Catholicae, et S. Basilius affirmabat, se ad Episcopum Romanum scripsisse, ut causam expenderet, et suum decretum interponeret. Ideo, et S. Hieronymus ad Pontificem Romanum Damasum scripsit: „Ego Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communione consocior; super hanc petram aedificatam esse Ecclesiam scio.“

## §. 103. Ulterius examen Sententiae Graecorum Constantinopolitanorum de notis Synodi oecumenicae, et numero Synodorum oecumenicarum.

Constantinopolitani Graeci asserunt: primam notam characteristicam Synodi oecumenicae esse, ut convocetur per Imperatorem; qua nota admissa, jam amplius Synodus oecumenica servari non posset, et juxta sententiam Graecorum, cum Ecclesia Catholica sit sola Synodus oecumenica, ipsa Ecclesia Catholica, supremus Judex controversiarum fidei, et supremum Tribunal, quod in suprema instantia absque ulteriori appellata in causis ecclesiasticis judicium ferat, cessare deberet, posteaquam talis Imperator Christianus, qui Synodum oecumenicam congregare posset, non amplius existit. Ita Graeci ex sola oppositione auctoritati per DEUM in Ecclesia constitutae, quam Patres eorum et mundi Doctores in Cathedra Petri venerabantur, totam Ecclesiae vitam abscindunt.

Quibus ad angustias redacti Graeci non dubitant adstruere; jam non amplius necessarias esse Synodos, sed sufficere recogni-

tas septem Synodos oecumenicas, in quibus integrum fidei Christianae fundamentum in enunciatis per eas dogmatibus depositum est, ex quo occurrentes de hinc quaestiones circa fidem facile solvi possunt. Sed fors etiam Canones eorumdem Conciliorum disciplinares adeo immutabiles et universales erunt, ut omni tempori et loco congruant, et hoc etiam obtutu in Synodum oecumenicam convenire opus non erit? etiamsi plures septem Synodorum oecumenicarum Canones mutatis temporibus exoleverint, sicut Canones poenitentiales; et an non pro praesentibus Ecclesiae adjunctis, quipiam adhuc Canones disciplinares requirerentur? aut vero non est, nec esse debet vita activa in Ecclesia, ad ipsam disciplinam juxta crescentem in Ecclesia perfectionem, amplius perficiendam?

Sed porro, in quantum sola Synodus oecumenica est judicium illud supremum, a quo in controversiis et causis ecclesiasticis nulla datur appellatio, Patriarcharum autem, et etiam Synodorum particularium sententiae adhuc ad Synodum oecumenicam appellari possunt; quomodo assertio haec Graecorum subsistet, si juxta illos Synodi oecumenicae amplius necessariae non essent? Sic enim in systemate Graecorum Ecclesia Christi supremo judice, a quo non datur appellata dehinc spoliata esset, proinde Ecclesia sine Capite, sine supremo judice esset societas imperfectissima, quae sapientiae auctoris ipsius DEI repugnaret.

Si denique sola Synodus oecumenica habet eamdem potestatem in Ecclesia, quam habet Monarcha in statu civili, non servatis Synodis oecumenicis illa potestas suprema in Ecclesia deerit. Et reipsa ab octavo saeculo quo juxta Graecorum sensum, series Conciliorum oecumenicorum conclusa est, deest Graecis et omnibus eorum asseclis suprema in Ecclesia auctoritas, et semper deerit, usque dum adjutrice Spiritus Dei gratia se iterum conjunxerint a DEO constituto universali totius gregis Christi Pastori, qui semper vivit in Ecclesia, in successoribus Petri Pontificibus Romanis, qui idem supremum ecclesiae Magisterium sustinent, quod in recognitis per Graecos, et aliis usque ad viginti unum Conciliis oecumenicis et dehinc adhuc celebrandis, et praeter Concilia omnibus diebus sustinuerunt, ac semper sustinebunt.

## §. 104. Continuatio refutationis Graecorum.

Sed et illud falsum est quod Graeci praetendunt, videlicet: Magisterium Ecclesiae in recognitis a se septem Conciliis oecumenicis conclusum esse ita, ut omnes circa fidem emergere queuntes quaestiones, ex iis, quae in iisdem Synodis definita sunt, facile solvi possint. Quod assertum factice refutavit Epocha Reformationis saeculi XVI. dum Luthero-Calviniani ad fidem suis haereticis doctrinis conciliandam, consonantiam earum cum confessione Graecae Ecclesiae asserebant, imprimis postquam Cyril-

lus Lucaris, oecumenicus Patriarcha Constantinopolitanus, haeresi Reformatorum non modo subscripsit, sed et protectus a Legato Angliae Constantinopolitano, procurata distincta Typographia anno 1627. Catechismum quoque juxta principia Calvini constructum typis edere tentavit; a quo tamen ausu per Catholicum Galliae Legatum praepeditus est, et depositus; sed iterum 1636. favore Legati Anglorum sedi restitutus, cum necdum cessaret haeresim fovere, occultae politicae consociationis coram regimine Turcico insimulatus supplicio mortis peremptus est. Qua occasione non provocarunt Graeci contra haeresim Reformatorum ad conclusum illud septem Conciliorum oecumenicorum Magisterium, ad enunciandum, septem et nec plura nec pauciora esse novae Legis Sacramenta, atque substantiam panis in S. Sancto Eucharistiae sacramento converti in corpus, substantiam autem vini in sanguinem Christi. Quodsi haec clare in definitionibus dogmaticis septem Conciliorum oecumenicorum contenta fuissent, suffecisset contra novos haereticos, ad definitiones eorundem Conciliorum provocare; sed cum eae non suffecerint, remedium Synodorum iterum resumpserunt Graeci, atque mox in Concilium Constantinopoli congregati, sequentes Anathematismos pronunciarunt:

Anathema Cyrillo, qui adstruxit totam Ecclesiam orientalem Calvino consentire.

Anathema Cyrillo, qui docet et credit: quod sancta Jesu Christi Ecclesia mentiri possit.

Anathema Cyrillo, qui docet sanctos intercessores nostros apud Deum non esse.

Anathema Cyrillo, qui docet: non esse in Ecclesia septem Sacramenta, et Christus nobis in Evangelio tantum duo, videlicet Baptismum et coenam reliquerit.

Anathema Cyrillo asserenti: quod panis et vinum Eucharistiae post consecrationem Presbyteri, et descensionem Spiritus Sancti non transmutetur in verum corpus et sanguinem Domini.

Anathema Cyrillo, qui docet: quod eleemosyna et preces vivorum defunctis in poenitentia nihil prosint.

Anathema Cyrillo, qui cultum sanctorum et imaginum rejicit.

Anathema omnibus, qui illius mendaciis infascinati sub nomine orientalis Ecclesiae conscriptos per eum articulos legunt, et spiritu eorum inficiuntur.

Sed et subseque Synodi Graecorum schismaticorum Jassiensis de anno 1642., et Hierosolymitana de anno 1672. non provocarunt ad septem Synodos oecumenicas, in quibus oppositae Cyrillo et Calvino orthodoxae enunciationes comprehenderentur, verum ad vivam Ecclesiae traditionem, et non solum in septem Conciliis oecumenicis conclusam provocantes, quae jam prius in celebrato in occidente uno saeculo prius Concilio oecumenico

Tridentino toti mundo declarata est, sensum suum quoad errores Calvinianorum in sequentibus enunciarunt.

Synodus Jassinensis Cap. IX.: Credimus neminem sine fide salvari; fidem autem appellamus rectissimam, quae in nobis est de Deo, rebusque divinis persuasionem, quae quidem operans per charitatem, idest per divinorum mandatorum observationem, justificat nos per Christum, sine qua impossibile est placere Deo.

Capite XIII.: Credimus non sola fide, sed ea tantum, quae per charitatem operatur, idest fide atque operibus hominem justificari. Quod vero Christi justitiam fides instar manus apprehendat, nobisque pro adeptione salutis applicet, ab omni pietate longissime esse censemus. Enimvero omnibus esset hujusmodi fides, unde et ad salutem nemo non perveniret, quod aperte falsum est. Quin imo fidem in nobis existentem operibus nos justificare credimus.

Capite XV.: Credimus in Ecclesia esse novae legis sacramenta, eaque septem: nec minorem nec majorem in Ecclesia sacramentorum numerum admittimus: siquidem haereticorum dementiae foetus est, alius sacramentorum numerus quam septenarius. Non enim minus, quam caetera Catholicae fidei dogmata, septenarius iste sacramentorum in Evangelio statuitur numerus, et ex ipso colligitur.

Ac primo quidem Baptismi Sacramentum Dominus tradidit, quando dixit: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Item et cum dixit: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.

Confirmationis vero, sive Balsami sacri, et sancti Chrismatis cum dixit: Vos autem sedete in Civitate Hierusalem, quoadusque induamini virtute ex alto. Hoc autem Sancto superveniente Spiritu sunt induti, cujus quidem adventum significat Confirmationis Sacramentum.

Sacramentum ordinis tradidit dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Item et cum dixit: Quaecunque ligaveritis et solveritis super terram, erunt ligata et soluta in coelis.

Incruentum autem tradidit sacraficium dicens: Accipite et manducate, hoc est corpus meum. Et bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus novi testamenti. Item et cum dixit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis.

Sacramentum vero Matrimonii tunc tradidit, dum ait: Quod DEUS conjunxit, homo non separet. Quin et magnum a divino Apostolo sacramentum appellatur.

Poenitentiae sacramentum in quo et secreta includitur confessio, tunc tradidit, cum dixit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt. Item et cum dixit: Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Sanctum denique oleum, sive extrema Unctio, apud Marcum legitur, et aperto Jacobi fratris Domini testimonio comprobatur.

Idem autem Concilium Jassiense de Transsubstantiatione in Eucharistia: „Credimus sanctissimum divinae Eucharistiae sacramentum, quod ordine quartum supra recensuimus, illud ipsum esse, quod ea nocte, qua semet ipsum pro mundi vita tradidit Dominus, nobis traditione reliquit. Panem quippe accipiens et benedicens, dedit sanctis discipulis suis et Apostolis dicens: Accipite, manducate hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias agens dixit: bibite ex hoc omnes, his est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. In hujus itaque celebratione sacramenti Dominum nostrum Jesu Christum credimus esse praesentem, non quidem secundum figuram aut imaginem, neque etiam secundum quamdam, uti in ceteris sacramentis gratiae excellentiam, neque secundum simplicem quam in Baptismo commemoravere Patres nonnuli praesentiam: neque penes conjunctionem, qua proposito Eucharistiae pani Verbi Divinitas hypostatice uniatur, quemadmodum inscite juxta et misere Lutherani arbitrantur; sed vere realiterque quatenus panis et vini facta consecratione, transmutetur, transsubstantietur, convertatur, transeat panis quidem in ipsum corpus Domini verum, quod natum est Bethlehem ex semper Virgine, baptizatum in Jordane, passum, sepultum, quod resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram DEI Patris, in coeli denique nubibus adventurum; vinum vero in ipsum verum Domini sanguinem converti ac transsubstantiari, qui ex Illo pro mundi vita in cruce pendente defluxit.[1]) Item, facta panis et vini consecratione, nec vini manere amplius substantiam credimus, sed ipsum corpus et sanguinem Domini; sub panis et vini speciebus, idest accidentibus. Item et ipsum distribui Domini corpus et sanguinem purissimum, inque communicantium sive piorum, sive impiorum os et stomachum introduci; nisi quod remissionem peccatorum vitamque piis ac dignis impertitur aeternam, impiis vero et indignis damnationem accersit et poenam sempiternam. Item manibus dentibusque concidi quidem Domini corpus ac dividi; verum per accidens dumtaxat, sive penes accidentia panis et vini, per quae et visibilia ea esse confitemur et contrectabilia: at insecta prorsus et indivisa secundum se permanere. Unde et Catholica dicit Ecclesia: conciditur et dividitur, qui concisus nequaquam dividitur, ubique manducatur, et nusquam consumitur, sed digne accedentes sanctificat. Item nequaquam sub divisione qualibet, ac minima panis et vini consecrati particula, esse partem corporis et sanguinis

[1]) Ipsi ergo Graeci schismatici recognoverunt et confitentur, quod ante eos Concil. Tridentinum Sess. 13. C. 2. definivit: mutationem panis et vini in Eucharistia in corpus et sanguinem Christi aptissime transsubstantiationem appellari.

Domini: quippe hoc sine blasphemia et impietate nemo dixerit: sed totum ac integrum Christum secundum substantiam, animam videlicet suam et divinitatem, idest DEUM perfectum, et perfectum hominem. Unde et multae cum per orbem eadem hora celebrantur Missae, haudquaquam Christi plures, pluraque sunt Christi corpora; sed unus in omnibus ac singulis fidelium Ecclesiis vere ac realiter praesens et ipse Christus, unum et corpus, et sanguis unus. Atque id quidem, non quod illud quod in coelo est Domini corpus super altaria descendat, sed quod post consecrationem converso ac transsubstantiato eo, qui singulis in Ecclesiis offertur propositionis pane, unum et id fiat et sit cum eo quod est in coelo. Quippe multis in locis non multa, sed unum est corpus Domini; ac vel hinc maxime mirabile est, diciturque hujusmodi Sacramentum, et sola fide comprehensibile, non autem humanae ratiunculis sapientiae; cujus quidem vanam, et circa res divinas coecam inquisitionem pia, atque divinitus nobis tradita professio nostra contemnit. Item et supremo colendum honore, cultuque latriae idem Domini corpus et sanguinem esse adorandum. Quippe sanctissimae Trinitatis, et corporis sanguinisque Domini una adoratio est. Item et verum atque propitiatorium esse sacrificium, quod pro fidelibus omnibus tum vivis, tum defunctis, nec non et pro utilitate omnium offertur, uti et in hujusce Sacramenti precibus exprimitur, quas pro eo, quam a Domino receperant disponendi potestate, Apostoli Ecclesiae tradidere. Item ante usum statim a consecratione, ac post usum, id quod sacris in pyxidibus communioni moribundorum asservatur, corpus esse Domini verum, et a se ipso ne vel levissime quidem diversum; quatenus ante usum post consecrationem, in usu, ac post usum verum omnino sit corpus Domini. Praeterea, verba Transsubstantiationis, modum illum, quo in corpus et sanguinem Domini panis et vinum corvertuntur, perfecte explicari minime credimus, (id enim penitus impossibile, utpote soli DEO comprehensibile: unde et inscitiae juxta ac impietatis in notam incurrit, quisquis ad hujus intelligentiam Mysterii se se arbitratur pervenisse), sed panis et vini facta consecratione, non typicam, non secundum imaginem, non penes superabundantem gratiam, non per communionem, aut solius divinitatis unigeniti Filii DEI praesentiam; at in corpus et sanguinem Domini conversionem significari. Sed nec panis et vini accidens aliqua mutatione convertitur; sed vere, realiterque ac substantialiter fit quidem panis verum Domini corpus, vinum vero sanguis ejus, uti jam antea dictum est. Denique neminem, praeter pium Sacerdotem a pio[1]) utique Episcopo canonice instituto sacerdotii

[1]) Observa: Dogma Catholicum esse Sacramenta novae legis valida esse et conferre gratiam ex opere operato; hinc perperam Synodus schismaticorum Jassinensis addidit illa verba „pium et a pio"; ita enim loquitur: Denique neminem praeter pium Sacerdotem a pio utique Episcopo canonice instituto

charactere initiatum, juxta Orientalis Ecclesiae doctrinam, hoc sacrosanctae Eucharistiae credimus conficere posse Sacramentum.

Haec est compendiaria Orientalis Ecclesiae hoc de Sacramento doctrina, veraque confessio et traditio perantiqua: qua de re vel qui apicem detraxerint, qui pie sentire cupiunt, et novitates horrent, ac inania haereticorum dogmata detestantur; sed hanc, quae jam pridem obtinuit, traditionem integram servent et illibatam.[1])

## §. 105. Conclusio ex praecedentibus.

Proprio ergo facto comprobavit Ecclesia Graeca Magisterium fidei in septem Conciliis oecumenicis conclusum non esse, sed perpetuum in Ecclesia requiri infallibile Magisterium, quod infallibili auctoritate enunciet semper id, quod credendum est. Si autem illud Magisterium infallibile solum et unicum oecumenicum Concilium est, cum Imperator non existat amplius, qui illud convocet, juxta sententiam Graecorum Ecclesia de hinc et inde ab ultima Synodo oecumenica juxta illos septima, Magisterio carebit. Interim, iidem Graeci, qui sibi non constant priorem sententiam modificasse videntur orthodoxa Confessione Parte I. quaest. 72. declarantes: „Quidquid sancti Patres, in omnibus universalibus atque particularibus orthodoxis Conciliis, quocunque tandem loco habitis, statuerunt: id a Spritu Sancto profectum esse credas oportet.“ Ergo jam subjectum infallibilitatis Concilia etiam particularia erunt, et quidem orthodoxa. Sed nec sic se extricant Graeci; quis enim infallibili auctoritate persuadebit, hoc vel illud Concilium orthodoxum esse, orthodoxiam enim et Jacobitae, Nestoriani, et Rascolnici sibi vindicant, et Ariani Episcopi sibi vindicarunt. Ergo nec in hoc invenerunt Graeci refugium, nec invenient, nisi in Ecclesia Catholica, quae unica est et orthodoxa; quae in Petro et ejus successoribus Romanis Pontificibus plenum semper et integrum possidet, illudque infallibile Magisterium, ab ipso Christo Domino institutum, quod ante Patriarchatus Graecorum primitus exstitit, et purum Christi evangelium annunciavit mundo. Quod Magisterium petrae fidei plenum semper et integrum manet in Ecclesia Catholica, neque per secessionem aliquot, vel plurium Episcoporum diminutum aut mutilatum est, nec tunc, dum in Concilio Ariminensi complures Episcopi, quorum aliqui animo, plures haereticorum versutia decepti arianae haeresi adhaerere videbantur, unde a fautoribus arianae perfidiae Nicaenae fidei damnatio concla-

sacerdotii charactere initiatum, juxta orientalis Ecclesiae doctrinam hoc sacrosanctae Eucharistiae credimus conficere posse Sacramentum. — Dicere autem potius debuisset: „Denique neminem praeter Sacerdotem tali charactere ab Episcopo rite consecrato insignitum, hoc . . . Sacramentum conficere posse.“

[1]) Vide Schmitt: Geschichte der neu-griechischen Kirche. Mainz, 1840. Seite 552.

mata fuit, et ingemuit (ut inquit Hieronymus) totus orbis et arianum esse miratus est.

Ubi Petrus in suis successoribus semper vivens fuerit, ibi erit et Ecclesia Catholica, ibi Magisterium per Christum institutum, criterium veritatis, cui quilibet, qui Christi esse vult, se submittere obligatur. Hoc idem Magisterium, quod convertit gentes hodie quoque in quinque partibus terrae, et confessores Martyres suos hodie quoque testimonia veritatis mundo praebet, nostris quoque temporibus munere sibi divinitus credito perfunctum est, dum dogma catholicum enunciavit: Beatam Mariam semper Virginem, non modo a labe peccati auctualis semper mundam, sed in ipsa sui conceptione a labe ipsius originalis peccati, speciali divina gratia eo, quod esset Mater Dei salvatoris, immunem fuisse. Quam conceptionem ipsa Ecclesia Graeca die 9-a Decembris in Synaxario ad Matutinum, conceptionem sanctam, ac proinde peccati expertem confitetur.

## §. 106. Definitio Catholica oecumenici Concilii.

Ex praemissis difficile non est Concilium oecumenicum sensu Catholico definire, idest determinare notam illam characteristicam, quae soli oecumenico Concilio propria est, et qua ab omni alia congregatione distinguitur. Est nempe Concilium oecumenicum congregatio Episcoporum, quae Magisterium Petro Apostolicum per Jesum Christum cum assistentia Spritus Sancti spiritus veritatis pro omnibus temporibus institutum plene repraesentat, per Ecclesiae Primatem, vel ejus assensu convocata, ad enunciandam catholicam doctrinam, et universalem disciplinam stabiliendam.

Per hanc definitionem omnes disquisitiones, in quibus canonistae ad determinandum numerum Episcoporum totam Ecclesiam repraesentantium perperam desudarunt, sublatae sunt. Dicitur autem Concilium oecumenicum congregatio Episcoporum per Principem Episcoporum seu Primatem Ecclesiae, aut cum ejus assensu convocatorum. Certe, testantibus actibus Apostolorum, Princeps eorum Petrus, eos ad consilia ineunda congregavit, iis praesedit, objectum consultationis proposuit, et conclusum firmavit atque enunciavit. Quod jus convocationis Episcoporum etiam successoribus Petri competere debet. Quod si Imperatores Christiani a saeculo IV. materialiter convocarunt Episcopos ad Concilia, cum annutu et accessu summi Pontificis, de quo eruditi amplius non ambigunt; exinde argumentum nullum contra jus formale Concilia Episcoporum congregandi solummodo Primati Ecclesiae competens, deduci potest. Apposite hanc in rem Perrone Tomo II. pag. 324. Nr. 661. observat: „Si uni Romano Pontifici onus incumbit pascendi universum dominicum gregem, ipse profecto solus vi Primatus sui potest generalia Concilia convocare. Dum igitur historia videtur imperatoribus tribuere convocationem Conciliorum,

intelligi id debet de convocatione, ut ita loquar materiali, non autem de convocatione formali et legitima quae nullo modo competere potest politicae potestati. Sane non desunt documenta quae ostendant priora Concilia auctoritate, suasione, consensu Romanorum Pontificum fuisse ab Imperatoribus indicta. De Concilio Nicaeno I. constat ex testimonio patrum Concilii Constantinopolitani III. anno 680. celebrati, qui nullo repugnante in acclamationibus dixerunt: Arius divisor Trinitatis et partitor insurgebat, et continuo Constantius semper Augustus, et Sylvester laudabilis magnam atque insignem in Nicaea Synodum congregabant. Quoad Synodum Constantinopolitanam I. testimonium perhibet generale Concilium VI. verbis: Macedonius deitatem Spiritus Sancti denegabat, sed maximus imperator Theodosius et Damasus adamas fidei illam in hac regia urbe Synodum congregabant. De Concilio Ephesino testatur liber diurnus Romanorum Pontificum: Sub principalis quidem memoriae Theodosio Augusto factum est, ex auctoritate tamen Coelestini apostolicae sedis antistitis; item Chalcedonense jussione Leonis Magni convocatum esse a Marciano, fidem faciunt Moesiae secundae Episcopi in sua ad Leonem imperatorem epistola, qui simul rationem addunt, cur jussione Leonis Magni convocatum sit Chalcedonense Concilium? „quia Pontifex vere Caput Episcoporum est.“ Certa pariter res est ex epistolis ipsius Justiniani, Constantinopolitanum II. seu generale V. ex consensu Vigilii fuisse celebratum; quosuper testimonium praebent patres Concilii VI. in sermone acclamatorio dicentes: Vigilius post haec Justiniano piissimo consonuit, et quintum Concilium constitutum est. Sic Concilium generale VI. non fuisse absque consensu Romani Pontificis congregatum constat ex epistolis Constantini Pogonati datis ad pontificem Donum, quibus una eum ad mittendos legatos invitavit; nec non generale VII. ex consensu Hadriani I. qui ad Tarasium patriarcham Constantinopolitanum scripsit: „Quod si non perspecta mihi esset et probe cognita erga sacras Synodicas sex constitutiones, et venerandas imagines vestra sinceritas et orthodoxa fides, nequaquam ad Synodum convocandam adsentiremus.“

Dicitur porro in hac definitione Concilii oecumenici: Concilium oecumenicum esse congregationem Episcoporum, quae Magisterium Petro-Apostolicum plene repraesentet; ut autem hoc Magisterium plene repraesentetur, non a numero Episcoporum dependet, ubi enim Petrus, ibi Ecclesia, ibi Magisterium, seu major sive minor sit Episcoporum numerus, qui sunt cum Petro, idest Romano Pontifice; sine Pontifice namque quotcunque Episcopi etiamsi ex toto mundo congregati semper erunt acephali, nec unquam Ecclesiam constituent, si praesertim Petro repugnent. Sane videmus Concilia oecumenica, in quibus exiguus etiam fuit Episcoporum numerus, prout in Constantinopolitano I. et II. ex assensu et confirmatione Romani Pontificis statim vim obligandi habuisse pro tota Ecclesia.

## §. 107. De iis, qui ad Concilium oecumenicum convocandi sunt.

Ad Concilium oecumenicum convocandi sunt omnes Episcopi, ideo Concilium hoc vocatur etiam generale, verum a numero comparentium, ut superiori §-o demonstratum est, oecumenicitas Concilii non dependet. Convocantur autem ad Concilium oecumenicum etiam Principes regentes Christiani, tamquam Ecclesiae advocati, et ob nexum, qui inter Ecclesiam et civitatem pariter a Deo institutam obtinet; qui tamen nullam in doctrinalibus partem activam habent, sua solum praesentia et testimonio decus Concilii augentes. Interesse autem possunt Concilio oecumenico etiam Presbyteri, imo etiam Diaconi, imprimis Theologiae et Canonum Doctores, qui eruditione sua, et argumentis e fontibus divinae revelationis conquisitis et erutis patres Concilii adjuvant.

## §. 108. De auctoritate Conciliorum oecumenicorum.

Cum Concilium oecumenicum sit congregatio Episcopatus sub Primate Ecclesiae, et repraesentat plenum collegium Apostolorum cum Principe suo Petro, quod Spiritum Sanctum spiritum veritatis a Christo recepit, qui in successores Petri et Apostolorum summum nempe Romanum Pontificem et Episcopos Pontifici conjunctos per successionem consecratione transfusus cum Ecclesia manet in aeternum, verum proinde infallibile Magisterium et regimen Ecclesiae constituit; solemnes ejus enunciationes doctrinae Christianae, quae dogmata sunt, objectivam divinam constituunt veritatem, atque omnem hominem obligant ad credendum, et non secus credendum ac profitendum, ac contrarium vel aliter credens aut docens haereticus est. Enunciationes dogmatum in antiquioribus Conciliis oecumenicis vocabantur Decreta Fidei, in Concilio autem Tridentino Canones, et etiam anathematismi, quatenus contrarium vel aliter credentes vel dicentes anathemate plectuntur.

A Decretis fidei seu dogmatibus, quae exprimunt sensum et fidem totius Episcopatus, quem Spiritus Sanctus Spiritus veritatis semper docet, per primatem Ecclesiae solemniter enunciatam, per quam enunciationem simul pro toto genere humano cum obligamine sic credendi publicantur, differunt canones seu leges ecclesiasticae disciplinares, quibus jura et officia membrorum Ecclesiae in societate externa ecclesiastica seu visibili determinantur, ad quas condendas etiam majoritas votorum in Concilio oecumenico congregatorum Episcoporum sufficit, dummodo Primatis Ecclesiae seu Romani Pontificis accedat consensus, seu sanctio, a qua omnis vigor et auctoritas legis ecclesiasticae pro tota Ecclesia dependet. Ad hoc autem non sufficit accessus tantum legatorum, qui loco Pontificis Concilio oecumenico praesident; namque accessus legatorum Pontificiorum ad

conclusum Synodi oecumenicae quoad condendam legem ecclesiasticam non aliam habet significationem, quam quod tale conclusum conciliare maturum sit ut pro sanctione Pontifici seu Primati substernatur; jus namque sanciendi leges pro tota Ecclesia est Pontificis qua Primatis Ecclesiae personale et inalienabile, quod pro Pontifice nemo alter exercere aut ad id delegare vel substitui potest. Hanc sanctionem pontificiam omnes Synodi, et quoad Synodos orientales ipsi etiam Imperatores Constantinopolitani a Romanis Pontificibus petierunt. Quibus ergo canonibus vel legibus ecclesiasticis etiamsi in Concilio oecumenico decretis Romani Pontifices qua supremi totius gregis Christi pastores in B. Petro Principe Apostolorum, cujus de confessione totius Ecclesiae successores sunt, divinitus constituti sanctionem denegarunt vel denegant, lex vigorosa in Ecclesia Catholica esse nequit. Sic enunciavit Nicolaus Pontifex Epistola 7. ad Michaelem Imperatorem inquiens: „Denique in universalibus Synodis quid ratum, vel prorsus acceptum, nisi quod sedes Beati Petri probavit (ut ipsi scitis) habetur.“ — Leges autem ecclesiasticae in Conciliis oecumenicis pro universa Ecclesia legitime, prout dictum est, latae, obligant post publicationem rite et canonice factam. Fit autem publicatio legum ecclesiasticarum in Concilio oecumenico latarum per Decretum approbationis earum a summo Pontifice editum, quod quamprimum innotuerit, leges promulgatae totam Ecclesiam Catholicam obligant (c. 18. C. XXV. qu. 2.): „Siquis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholicae fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a sedis Apostolicae Praesule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.“ Fitque promulgatio Pontificia hac vel simili formula: Volumus autem, ut praesentes literae in valvis Ecclesiae Lateranensis, et Principis Apostolorum, nec non Cancellariae apostolicae ac in acie campi Florae de urbe, ut moris est, publicentur, et affigantur, sicque publicatae et affixae omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent. Promulgatio etiam fit per transumpta, cujusmodi clausula in plerisque constitutionibus Pontificiis occurrit sequentis tenoris: Transumptis quoque (scil. literarum) quae manu alicujus publici notarii scripta subscriptaque, et sigillis ac subscriptione alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi mandamus atque decernimus, ac proinde quodlibet authenticum exemplar copiae constitutionis pontificiae legalem promulgationem facit.

## §. 109. De Synodis Provincialibus.

Praeter Concilia oecumenica, seu universalia, celebrata sunt etiam Concilia particularia, et quidem majora: Patriarchalia, sub

praesidio Patriarchae congregatis Metropolitis, Archi-Episcopis, et etiam Episcopis; atque Nationalia, dum Archi-Episcopi et Episcopi alicujus Regionis sub Primate, seu Principe Archi-Episcopo, de objectis ecclesiasticis fidem et disciplinam attinentibus consultaturi conveniunt; qualia erant Concilia Carthaginensia Africana, et alia, quibus interdum etiam legati Pontificis intererant. Denique Concilia Provincialia, ad quae Episcopi singularis Provinciae ecclesiasticae, sub praesidio Metropolitae, aut sede Metropolitana vacante antiquioris in Provincia Episcopi congregantur. Convocantur autem a Praesidio, sicut dictum est, Metropolita, vel antiquiori Episcopo, nunquam vero a Vicario Metropolitano, aut vacante sede a Vicaro capitulari Metropolitano. Quoadobligationem celebrandarum harum Synodorum provincialium, Canones Ecclesiae orientalis sequentia praescribunt: Canon XXXVII. SS. Apostolorum: „Bis in anno fiat Episcoporum Synodus, et inter se examinent decreta religionis, et incidentes controversias ecclesiasticas dirimant.“ Canon V. Concilii Nicaeni I. jubet: bis in anno congregari Synodum Episcoporum, ut in superiori Instantia examinetur causa Clericorum, aut Laicorum, qui ab Episcopis excommunicati sunt, atque, ut solvant reliquas ecclesiasticas quaestiones. Pariter Concilium Antiochenum, Canone XX. bis per annum celebrari Synodum Episcoporum praescribit, addito eo: non licere Episcopis Synodos per se facere sine iis, quibus sunt creditae Metropoles. Canon vero Concilii Trullani VIII-vus, semel tantum per annum celebrari jubet Synodum Episcoporum, a festo Paschae, usque ad complementum Mensis Octobris. Denique Concilium Tridentinum saltem omni tertio anno celebrari Synodum provincialem praescripsit. (Sess. XXIV. C. 2. de Reform.) Metropolita autem, vel senior Episcopus, qui pro rerum circumstantiis Synodum provincialem convocandi jus habet, illud, sub poena supensionis[1]) convocare debet.

Si ob justam causam convocare non possit, dispensationem a Pontifice petat[2]). Locus congregationis Synodi, in regula est ille, in quo Metropolita residet, potest tamen et alter locus sedis alicujus Episcopalis pro congregatione commodior designari.

## §. 110. De iis, qui ad Synodum Privincialem convocandi sunt.

Cum priori §. adducti Canones de Synodis Episcoporum agant, stricte ad Synodum provincialem singuli Provinciae ejus ecclesiasticae Episcopi vocandi sunt, qui etiam voto decisivo aequali cum Metropolita gaudent. Vocati autem Episcopi, quibus

---

[1]) C. 7. D. 18.; C. 25. de accus., quae tamen non est latae sed ferendae sententiae juxta Const. Leon. X. „Regimini“ quam Conc. Trid. non immutavit.

[2]) Gallemart. ad Trid. XXIV. C. 2. declar. 1.

accensetur etiam Vicarius Capitularis Dioecesis Episcopo orbatae, in virtute obedientiae comparere debent. Si legitime aliquis Episcoporum impeditus sit per morbum, aut aliam causam rationabilem, Procuratorem et excusationem mittere tenetur. Procuratori absentis Episcopi potest Synodus votum dicisivum deferre. Siquis autem comparere obligatorum, sine justa causa non compareat, praeter improbationem, reliqui comprovinciales Episcopi, usque ad futuram Synodum communionem cum eo abrumpunt, proprio tamen Clero et gregi communicans.[1]) De jure novissimo et consuetudine vocandi sunt ad Synodos provinciales etiam Praelati Nullius dicti, qui jurisdictionem episcopalem habent, atque a jurisdictione alterius exempti sunt, postquam ipsi sibi Metropolitam elegissent, et quidem cum voto decisivo. Capitula Cathedralium Ecclesiarum etiam vocari debent, comparere tamen non obligantur, nec possunt ad comparendum compelli.[2]) Deputati Capitulorum in Synodo praesentes vocem tantum consultativam habere possunt.[3]) Abbates non exempti possunt vocari, sed non debent, nec vocati comparere obligantur.[4]) Possunt praeterea vocari doctores etiam Theologiae, et Canonistae, aliique Presbyteri, imo etiam Diaconi ad Concilium admitti, qui Patribus Concilii adjutorio sint, atque munia Promotorum, Secretariorum, et Notariorum, ac Consultorum obeunt. Ut vero Laici ad Synodum vocentur praescriptum nullibi est, et si aliquando in Synodis adfuerunt, tantum passivi spectatores erant, praeterquam in electione Episcoporum, et ordinatione Clericorum, dum et illi testimonium ferebant. Laicisque nullam unquam activam partem in Synodis competiisse testimonium fert ipse Protestans Beveregius (Prooemio ad Codicem Canonum Ecclesiae primitivae N. 4.) inquiens: „Et hoc quidem, universalis scilicet Ecclesiae consensionem non ex populo, sed ex Episcopis Clericisque petendam esse, unum est e plurimis istis dogmatibus, in quae ipsam universalem Ecclesiam habemus consentientem; utpote quae de rebus ecclesiasticis dissertura plebem raro adesse, nunquam autem sententiam de istis dicere aut suffragium ferre permisit. Neque enim in omnibus, quae de istiusmodi rebus celebrata sunt Conciliis, quemquam e populo decretis subscripsisse legimus. Omnia vero per singulas aetates communia Ecclesiae negotia per solos Episcopos et nonullos subinde Presbyteros, Episcoporum suorum loca tenentes in Conciliis congregatos transacta sunt."

## §. 111. Objectum Synodorum Provincialium.

Canones superius citati celebrationem Conciliorum provincialium praescribentes designant etiam objecta in iis pertractanda,

[1]) C. 9. 10. 14. D. 18. item C. 2. D. 58.
[2]) Bened. XIV. 1. C. 3. 4. 1.
[3]) Ibid. Decret. Congr. Concil.
[4]) S. C. C. an. 1581.

qualia sunt: decreta religionis, et controversiae ecclesiasticae; sive, quae ad vivificandam fidem et errores circa eam exstirpandos, ad vigorem Canonum circa disciplinam, et mores sustentandum aut perficiendam disciplinam, ac tollendos abusus conducunt. Praeterea in quibusdam causis ad Synodum provincialem delatis eadem exercent judicium; denique e Synodo provinciali postulata ac preces Imperanti, vel Pontifici, vel utrique substernuntur.

## §. 112. Limites legislationis Synodorum provincialium.

1) Cum nulla congregatio particularis Episcoporum etiamsi frequentissima, sine Primate Ecclesiae seu summo Pontifice Magisterium Ecclesiae constituere possit, patet ad activitatem Synodorum provincialium non spectare dogmata fidei enunciare, bene vero enunciata ac definita Ecclesiae dogmata illustrare, et abusus intellectus humani contra eorum sensum compescere. Quodsi tamen occurat, ut in Conciliis provincialibus enunciationes doctrinae Christianae contra haereticos pronunciatae, sicut in Synodis Carthaginensibus contra Pelagium, ab Ecclesia acceptatae fuerint, id acceptationi et confirmationi S. Sedis Apostolicae adscribendum est, non vero propriae Synodi activitati. Hinc recte Thomasinus[1]) „Provinciales inquit Synodi, ubi confirmatae fuerint ab apostolica sede, tunc in auctoritatis summum culmen eas recipi, nec posse ab eis circa haereseos discrimen provocari."

2) Cum omnes Episcopi juri communi ecclesiae subsint, patet nullam congregationem Episcoporum, ac proinde nec Concilium provinciale posse statuta condere contra jus commune, seu *a*) quae contraria essent decretis Conciliorum oecumenicorum, *b*) Constitutionibus sanctae sedis apostolicae, vel decisionibus curiae, ac regulis Cancellariae apostolicae, *c*) quae legitime universali consuetudini adversarentur.

## §. 113. Conditiones vigoris Concilii Provincialis.

Statuta Conciliorum provincialium antiquitus Canones, hodie Decreta vocantur; ut vigorem habeant requiritur:

1) Ut sit legitime convocatum et celebratum; ut vocati nempe fuerint omnes, qui jus conveniendi habent.

2) Ut qui votum consultativum habent si postulent se audiri, audiantur.

3) Ut decreta activitatem Concilii non excedant.

4) Ut decreta ante publicationem S. Sedi Apostolicae, et respective penes eam existenti congregationi particulari de revisione Synodorum provincialium substernantur, et ab hac saltem non reprobentur. Ita statuit Sixtus V. Pontifex, dictae congre-

[1]) Apud Bened. XIV. de Synodo dioeces. Libr. XIII. Cap. III. Nro. 11.

gationi injungens, ut ad corrigendum siquid in Conciliis provincialibus fortasse nimis rigidum, aut rationi minus congruum deprehendatur, decreta eorum ad se mitti undecunque terrarum praecipiat, atque singula expendat et recognoscat. Non semel autem accidit, Provincialia Concilia non solum a sacra Congregatione Concilii recognosci, et si opus fuerit, emendari, verum etiam a summo Pontifice, ita petentibus Metropolitanis, a quibus sunt celebrata, per apostolicas literas confirmari. Cujus rei plura exempla sunt, (vide Bened. XIV. de Synod. Dioec. Libr. XIII. Cap. III. Nr. III. IV.) Hoc tamen non obstante, etiam in casu obtentae confirmationis S. Apostolicae sedis, vigorem habent tantum pro ea provincia ecclesiastica, cujus Episcopi ea decreta synodaliter congregati tulerunt. (Benedictus XIV. ibidem Nr. V.)

## §. 114. De publicatione Decretorum Concilii provincialis.

Decreta Conciliorum provincialium publicantur nomine Metropolitae qui ea qua definiens subscripsit, et quae reliqui votum decisivum habentes qua assentientes subscribere solent, atque obligant totam provinciam ecclesiasticam donec legitime non mutentur. Mutari autem possunt:

*a*) per summum Pontificem et Concilium oecumenicum;

*b*) per posteriorem Synodum ejusdem Provinciae;

*c*) per legitimam consuetudinem universalem, vel provincialem.

Secusque singularibus Episcopis non est facultas ab iis decretis dispensandi, aut contra illa privilegia conferendi.

## §. 115. De Synodis Dioecesanis.

Canones orientalis Ecclesiae, Synodos sic dictas dioecesanas, seu congregationes Cleri dioecesani sub praesidio sui Episcopi ad consulendum et statuendum de negotiis ecclesiasticis, ignorant; cum ii solum de Synodis Episcoporum cum Metropolita, vel cum Patriarcha, aut Primate alicujus Regionis praescribant. Ideo etiam Synodi dioecesanae in Ecclesia orientali de Canone in usu non sunt. Quod autem in Transilvania celebratae fuerint Synodi dioecesanae, id, e decreto Georgii Rákóczi Calvinistae repetendum est, puncto II. praescribentis: Quod singulis annis universis Episcopo (tunc schismatico) subjectis pastoribus Episcopus generalem indicet Synodum, ubi, si in negotio, religionis quidpiam arduum occurreret, consultet etiam Episcopum Calvinianum, et consensum ejus ratum et acceptum habebit. (Major Hist. eccl. p. 95.) Quoad Synodos ergo dioecesanas ad quas celebrandas Graeco-Catholici per sacram unionem jus Canonicum acquisiverunt, recurrendum est ad subsidiarium pro Graecis

juris fontem in defectu proprii fontis, Ecclesiae nempe Latinae, in qua Synodi dioecesanae admodum frequentes erant, et nostris quoque temporibus celebrantur. Imo Benedictus XIV. Pontifex celebre opus ipse conscripsit de Synodo dioecesana, ad illorum retundendam audaciam, qui non veriti sunt scribere: Dioecesanas Synodos esse prorsus inutiles: in qua tamen Synodo Presbyteris votum tantum consultativum competit, non vero decisivum, quod solius Episcopi dioecesani proprium est. Quam in rem Pius VI. in Bulla Auctorem fidei §. 10. sanxit: „Doctrina, qua Parochi, aliique Sacerdotes in Synodo congregati pronunciantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur, judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio et quidem etiam per ordinationem accepto falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva." Et eadem Bulla §. 9.: „Doctrina, quae statuit, reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab Episcopo et Parochis aequaliter pendere, ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum — falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Aerianae a Calvino innovatae." Profecto, Presbyteri, quibus juxta Canonem XXXIX. Apostolorum absque voluntate Episcopi nihil agere licet, ipsius enim fidei populus Domini commissus est, et pro eorum animabus ab ipso repetetur ratio (unde patet Episcopum independenter a Clero dioecesim regere), ex eo, quod in Synodo dioecesana congregentur, non majorem habent potestatem, quam habent extra Synodum. Cum ergo extra Synodum auctoritate legesferendi careant, nisi fors eam a Papa, vel Episcopo obtineant, illas nec in Synodo propria auctoritate ferre possunt. Ideo Benedictus XIV. (de Synod. dioec. L. III. C. 12. N. 7. conf. L. XIII. C. 1. N. 2.) inquit: „In Synodo dioecesana solus Episcopus est judex et legislator, ipse suo nomine decreta facit et promulgat, et quamvis astantium consilium exposcat, non tamen cogitur illud sequi."

## §. 116. De Convocatione Synodi Dioecesanae.

Synodus dioecesana, cui non competit titulus „sacra Synodus," qui tantum Episcoporum Concilio proprius est, et cujus conclusa non Canones, nec decreta, sed solum statuta sunt[1]), per Benedictum XIV. (de Synod. dioec. T. 1. pag. 4.) definitur: Legitima congregatio ab Episcopo coacta ex Presbyteris et Clericis suae dioecesis, aliisque, qui ad eam accedere tenentur, in qua de his, quae curae pastorali incumbunt agendum et deliberandum est. Obligationem Episcopi convocandi Synodum dioecesanam exprimit Concil. Trid.[2]) verbis: Synodi quoque dioecesanae quot-

[1]) Vide Porubszky pag. 154.
[2]) Sessione XXIV. C. 2. de reform.

annis celebrentur, nisi rationabilis causa excuset.“ Episcopi Synodum dioecesanam celebrare negligentes possunt etiam ab officio suspendi [1]). Episcopus jus convocandi Synodum dioecesanam acquirit per praeconisationem, quamprimum Bullas confirmationis, vel saltem breve Apostolicum de capienda possessione, iis, quibus de jure competit, exhibuerit [2]). Convocanda autem est ad locum residentiae Episcopi, quamvis possit convocari ad quemcunque dioecesis locum [3]). Ex speciali Episcopi mandato jure convocat Synodum etiam Vicarius generalis Episcopi [4]). Sede autem Episcopi vacante Vicarius generalis capitularis attamen post annum tantum, a conclusa priori Synodo dioecesana [5]) sine speciali mandato.

## §. 117. De Convocandis ad Synodum dioecesanam.

Ad Synodum dioecesanam vocandus est Clerus dioecesis, prout definitio praemissa Synodi dioecesanae indicat, et quidem Vicarius generalis episcopalis [6]), et Vicarii Foranei, quibus adnumerantur Archi-Diaconi, Protopresbyteri rurales. „Affirmamus, inquit Benedictus XIV. [7]) opqrtere, ut Episcopus omnes suos Vicarios Foraneos ad Synodum vocet, quoniam ab istis tamquam oculatis testibus, melius, quam a Vicario generali, certior fieri potest de iis, quae in remotis dioecesis partibus occurrunt, et aliquam saltem synodalem sanctionem exposcunt.“ Item Canonici Ecclesiarum Cathedralis, et collegiatarum, qui saltem per deputatos, si autem Episcopus velit, omnes ad Synodum comparere tenentur [8]). Praeterae Parochi, „Dioecesanas Synodos inquit Benedictus XIV. [9]) a prima earum origine potissimum ex Parochis fuisse conflatas, et ratio suadet, et antiquissimi Ecclesiae Canones nos edocent. Illis quippe, quae eo semper collimarunt ut animarum salutem promoverent, eos maxime interesse oportuit, quibus aliqua Dominici gregis portio tradita erat custodienda.“ Et Concilium Tridentinum [10]) praescripsit: „Ratione tamen Parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam annexarum debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse.“ Sed et reliquus Clerus non curatus, si Episcopus jubeat, Synodo interesse tenetur, si in Synodo de iis agatur, quae omnes Clericos concernunt. Sedent autem praecedente Ca-

[1]) Libr. 5. Gregorii IX. Tit. 1. de accusationibus C. 25. ex Concil. Later IV. et Benedict. XIV. L. I. C. VI. Nr. 5.
[2]) Idem L. II. C. V. Nr, 6.
[3]) Idem L. I. C. V, Nr. 2.
[4]) Idem L. II. C. VIII. Nr. 4.
[5]) Idem L. II. C. IX. Nr, 6.
[6]) Bened. XIV. L. III. C. III. Nr. 3.
[7]) Ibid. L. III. C. III. Nr. 10.
[8]) Bened. XIV. L. III. C. IV. a Mr. 1—6.
[9]) Idem eodem L. C. V. Nr. 1. et 2.
[10]) Sess. 24. C. 2. de reform.

pitulo, et Dignitariis, in Synodo, juxta tempus ordinationis. Qui ad Synodum vocati absque rationabili causa non comparent, ab Episcopo non modo censuris ecclesiasticis, sed etiam mulcta pecuniaria plecti possunt [1]). Sunt autem causae rationabiles, ob quas a comparendo excusantur, impossibilitas aut gravis difficultas accessus, utpote ob exundationem aquarum, ob insecuritatem viarum, dein infirmitas, imprimis vero salus spiritualis fidelium, quae ob absentiam Parochi in defectu supplentis periclitaretur. Qui vel tarde ad Synodum comparent, vel ante solutionem Synodi discedunt, ita puniuntur sicut qui non comparent.

## §. 118. De Objectis ad Synodum dioecesanam spectantibus.

Ad sphaeram Synodi dioecesanae spectat: *a*) Decreta postremi Concilii provincialis auctoritate s. sedis apostolicae corroborata, et constitutiones pontificias promulgare et iis effectum procurare. Pius VI. in Bulla dogmatica „Auctorem fidei" inquit: „Sententia enuncians: veteri Majorum instituto ab apostolicis usque temporibus deducto, per meliora Ecclesiae secula servato, receptum fuisse, ut decreta aut definitiones aut sententiae etiam majorum Sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a Synodo dioecesana falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim. *b*) Consilia inire et statuere de optimo modo sacrae religiosae institutionis populi et parvulorum, de promotione cultus divini, de digna administratione et participatione sacramentorum, ac disciplinae ecclesiasticae instauratione. *c*) Quae ad promovendum dioecesis bonum conducunt, quo spectant etiam fundi dioecesani, eorum erectio, aut erectorum jam, incrementum. *d*) Causae Clericorum et Laicorum, si eas summarie pertractari cuperent, per judices causarum finire; quae tamen hodie, constitutis stabilibus tribunalibus, in Synodis non pertractantur. *e*) Designare adminus quatuor Judices Synodales, quibus Pontifex causarum ad forum ecclesiasticum spectantium ad se delatarum cognitionem, praeter Ordinarium committere valeat. Sufficit si Episcopus in iis designandis consilium Synodi exposcat [2]), de quibus Pontifici referendum est. *f*) Eligere examinatores Synodales [3]).

---

[1]) Bened. XIV. L. III. C. XII.

[2]) Vide Porubszky pag. 449. Const. Benedict. XIV.: Quamvis paternae.

[3]) De his uberius in Parte II. de examine concursuali.

## §. 119. Limites legislationis Episcopalis in Synodo dioecesana.[1])

Etiamsi Episcopus consuetudines irrationabiles populi, atque minus salutaria statuta sui Antecessoris absque haesitatione tollere possit; caveat tamen *a*) ne praecipitanter agat, neve e nimio studio pristinae disciplinae revehendae abroget etiam justa Antecessoris sui statuta [2]); *b*) ne introducere velit canones vel mores nunquam receptos, vel feliciter abolitos, neve resuscitet legum antiquarum rigorem, si hic posterioribus legibus est mitigatus; *c*) ne promulgentur constitutiones prohibentes abusus, qui in Dioecesi non occurrunt; *d*) non sunt in Synodo decidendae controversiae theologicae nondum definitae, praecipue respicientes sacramenta; vel juridicae, respicientes relationem inter potestatem ecclesiasticam et civilem; *e*) nil statuendum, quod auctoritati et juribus Sedis Apostolicae, juri communi, bonis moribus, constitutionibus Pontificum, privilegiis Regularium, consuetudini universali, vel Decretis Synodi provincialis adversatur; *f*) nulla consuetudo SS. Canonibus, vel constitutionibus apostolicis contraria etiamsi rationabilis et diuturna sit, in Synodo dioecesana confirmanda, priusquam sedis Apostolicae sensus exquiratur et innotescat; *g*) nil prohibendum quod jus commune permittit; *h*) poena pecuniaria, et praecipue excommunicationis statutis Synodi dioecesanae rarissime apponenda.

## §. 120. Modus, quo statuta Synodi dioecesanae feruntur.

Praemittuntur congregationes, quae plerumque habentur in episcopali palatio, in quibus discutiuntur in Synodo decernenda. Episcopus quoad ea, quae statuenda sunt, prius capituli consilium requirere tenetur, quamvis illud sequi non obligetur, praeterquam in casibus jure expressis. Sique Episcopus inconsulto Capitulo novas constitutiones in Synodo ederet, illae, utpote a norma jure praescripta deficientes, firmitate carerent; quamquam si justae et rationabiles essent, a sacra Concil. Congreg. Romana convalidari possent. Expedit etiam, ut Episcopus sciscitetur a Decanis, Parochis, Theologis et Canonistis peritis, quae statuenda, corrigenda, et abusus quomodo tollendi? Constitutiones Synodi dioecesanae de jure subscribit nisi Episcopus, possunt tamen subscribere et alii: promulgantur solemniter in celebrandis in templo sessionibus, et mox publicari possunt, quin debeant pro revisione et approbatione ad potestatem civilem vel s. Con-

---

[1]) Vide Porubszky pag. 449.
[2]) C. 19. C. 25 q. 2.

cilii Congregationem mitti. Forma promulgationis arbitrio Episcopi est relicta. Statutis Synodi dioecesanae obedire obligantur omnes dioecesani, et quidem quamprimum ea eis innotuerint, vel a tempore defixo. Jus in eis dispensandi est penes solum Episcopum. Si a decretis Synodi, tamquam nimis severis, aut quomodocunque illegalibus fiat appellatio ad superiorem, nempe Metropolitam, vel Pontificem, ea non habet effectum suspensivum, sed tantum devolutivum. Episcopi in visitatione attendent: an Clerus statuta dioecesana legat, et una cum populo observet. (Porubszky pag. 450.)

## §. 121. De Officialibus seu Ministris Synodi.[1])

I) Ante Synodum destinare debet Episcopus Praefectum hospitiorum, cum sociis. Ad eos spectat omnem adhibere diligentiam, ut Clerici ad Synodum venientes, honestis excipiantur hospitiis. II) In congregatione prima eliguntur duo Promotores, unus urbanus, foraneus alter, quorum munus est urgere actiones Synodales, seu insistere, ut omnia quae in Synodo facienda sunt, celeriter, et fructuose perficiantur. III) Eligitur Synodi Secretarius, quem unum e Canonicis Ecclesiae Cathedralis esse convenit, isque alium, quem maluerit, sibi socium, seu coadjutorem, adsciscet, qui etiam Lector appellatur, eo quod ei onus incumbat alta voce legendi Synodi decreta. Ad secretarium autem spectat primo, curare, ut pridie quam Synodus inchoetur, futurae sessionis Edictum affigatur valvis Ecclesiae: secundo, ante primam sessionem nominatim ut moris est, vocare Canonicos Ecclesiae Cathedralis, et insigniorum collegiatarum; et ne nimium defatigetur, potest committere suo coadjutori, ut ceteros de Clero vocet; tertio, praeparare schedulas pro scrutinio. Post hunc autem IV) Deputatur Notarius Synodi, qui est Episcopi Cancellarius. Hic absentes notat, ut, nisi postea a Judicibus excusentur, puniantur; singulorum, qui fidei professionem emittunt, nomina scribit; atque in fine cujuslibet sessionis, rogatus a Promotore, ut de iis, quae gesta sunt, instrumentum conficiat, respondet se facturum, simulque aliquos de Clero vocat in testes, quorum nomina in tabulas refert. V) Designantur Praefecti synodalis disciplinae, et scrutinii, hoc est aliquod Sacerdotes maturae aetatis, prudentia et pietate conspicui, quorum officium sit, omnes Clericos singillatim ad se arcescere, ac cujuslibet mores et vivendi rationem investigare; utque facilius huic muneri faciant satis, solet unicuique Praefecto certa pars Cleri, in schedula descripta, committi examinanda, aliaque schedula tradi, in qua quaedam adnotantur, de quibus Episcopus vult specialius inquiri. Absoluto autem scrutinio, omnia ad Episcopum referuntur, ac quilibet ex Praefectis, peracti a se scrutinii acta, propria

[1]) Ex opere Benedicti XIV. de Synod. dioec. Lib. IV. Cap. I. a Nr. 1—8.

manu subscripta, Episcopo tradit. VI) Ad evitandas turbas, et praecavendos tumultus, qui certe fierent, si singulis de Clero venia daretur reclamandi adversus decreta, quae in Synodo promulgantur, solet Episcopus aliquem constituere totius Cleri Procuratorem, qui omnium nomine ea tamen qua decet modestia, ac reverentia, dicat in Synodo, quae Clero displicent, quaeve ex iis quae aut statuta aut statuenda sunt, difficiliora aut aspera videantur; simulque modum suggerat, quo illa emolliri, Clerus optaret: omnia porro, quae nomine Cleri petierit scripta tradat Synodi Secretario. VII) Confessarii Synodales, cum plena facultate absolvendi etiam in casibus sive Episcopo sive etiam Pontifici reservatis a quibus absolvendi facultas delegata est Episcopo, excepta irregularitate quae oritur e homicidio voluntario, item haeresi externa, quantumvis occulta, a qua dispensandi facultas per Bullam „In coena Domini" Episcopis est adempta. VIII) Concionatores synodales, nisi Episcopus ipse velit hoc munere fungi quod omnino praestat. IX) Magistri caeremoniarum, ut omnia quae in Synodo fiunt, debito ritu, cultu, et majestate peragantur. Necessarii quoque reputantur ostiarii, qui praesint Ecclesiae januis, et laicis, sine strepitu ingressum prohibeant, et quum incipienda est Synodus, Ecclesiae fores obserant. Ejusmodi ostiarios oportet esse viros graves, quia ad ipsos spectat, sessionum tempore, Clericos quos forte videant Ecclesiam pervagantes, aut secum invicem colloquentes admonere. X) Oeconomus Episcopalis, cujus est exigere cathedraticum ubi in usu est, denique:

## §. 122. Judices querelarum et excusationum.

Inter caeteras Episcopalis muneris curas inquit Benedictus XIV. (Lib. IV. C. 2): ab Ecclesiae incunabulis, una, et non infima fuit clericorum, laicorumque jurgia audire, et componere, subortasque inter eos lites, sine forensi strepitu dirimere. Quo vero sanctiora Episcoporum judicia forent, in Ecclesiis et Synodis, adstante Sacerdotum senatu, plerumque exercebantur, sicque Synodi dioecesanae speciem quamdam Tribunalis ecclesiastici praeferebant. Ex qua antiqua Ecclesiae disciplina ortum habuit, ut Episcopus in Synodo duos, vel tres, una cum suo Vicario generali, deputet Judices, qui criminales querelas excipiant, civiles lites audiant, ac summario judicio de utrisque causis sententiam proferant. Ad eosdem Judices pertinet, quaestiones circa ordinem sedendi vel praecedendi inter congregatos forte excitatas, brevi manu (ut dici solet) ita componere, ut nulli praejudicium inferatur; ad eos pariter deferendae sunt excusationes eorum, qui ad Synodum non accesserunt, finita Synodo dein examinandae. Licet autem hodie primum, et potissimum munus praedictorum Judicum fere conquiescat, quia fere impossibile est, ut Clericorum, aut Laicorum causae terminentur; adeo enim mutati sunt hominum mores, ut contendentes inter se partes

summarium judicium effugiant, non idcirco tamen eorumdem Judicum electio superflua est censenda; tum quia jus habet siquis vult litis sumptibus parcere, suasque causas celeriter expedire, Judices Synodales adeundi, eorumque judicio adquiescendi: tum quia necessarii reputantur ad servandam antiquae disciplinae memoriam, atque ad praedicta duo explenda munia, quoad prioritatem nempe sedis, et in causis non comparitionis ad Synodum.

## §. 123. De fidei professione in Synodo dioecesana elicienda.

Semper in Ecclesia, inquit Benedictus XIV. (de Synod. dioec. L. V. Cap. II. Nr. 3.) ea disciplina viguit, ut Patres ad sacra Concilia coeuntes, se Catholicam fidem profiteri, et praecedentia oecumenica Concilia recipere ac admittere publice contestarentur. Ita praesertim in Concilio Chalcedonensi atque aliis deinceps Conciliis Nicaena, ac Constantinopolitana fidei formula recitata. Etiam in Conciliis provincialibus ac Synodis dioecesanis professio Catholicae fidei non tantum praxi et continua consuetudine, verum etiam positivo Ecclesiae decreto [1]) praescripta est; atque etiamsi Episcopi in Synodo provinciali fidei professionem eliciendam habeant, attamen maxime decet, inquit Benedictus XIV.[2]), ut in hoc religionis actu praestando, etiam in sua dioecesana Synodo, ceteris exemplo praeeat, et fidem Catholicam, sub consueta formula, coram adstantium sacerdotum coetu, palam profiteatur.

## §. 124. De utilitate Synodorum.

De utilitate Conciliorum in genere jam S. Leo Magnus Epist. 16. C. 7. inquiebat: „Adjuvante gratia Dei fiacilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum id semper in communi tractandum sit, ut omnia Canonum decreta, apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.“ Item Epist. 6. C. 5.: „Melius omnis culpa vitabitur, si inter Sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur, et emendationi pariter et caritati plurimum praestat adunata societas.“ Ipse etiam Benedictus XIV. Pontifex (de Synod. dioec. L. 1. Cap. 2.) utilitatem Synodorum fusius demonstrat, addit tamen Nr. V.: „Non idcirco tamen illis assentimur, qui Synodos absolute necessarias affirmant; quemadmodum enim Concilia generalia, quamvis summopere utilia, non sunt tamen absolute, et simpliciter necessaria pro Ecclesiae universalis regimine, ita Episcopales Synodi, etsi maxime fructuosae, non tamen absolute necessariae

---

[1]) Concil. Trid. Sess. 25. de reform. C. 2.
[2]) Lib. V. C. II. Nr. 4.

dicendae sunt pro recta dioecesium administratione, cum et alii suppetant modi assequendi eundem finem ad quem Synodi tendunt." Certe, ex quo melior ecclesiastici regiminis ordinatio invaluit praecipue in rebus jurisdictionem respicientibus, minor est Synodorum celebrandarum necessitas, ac ideo rarius quam prioribus Ecclesiae temporibus celebrantur, quorum celebrationi obstat ille spiritus constitutionalis nostris hisce temporibus praevalens, qui facile ejusmodi conventibus abutitur, ut inducantur et praevaleant quoad Ecclesiae regimen principia, quae veris Catholicae Ecclesiae principiis adversantur.

# CAPUT VI.

## DE JURIBUS EPISCOPORUM SINGULARIUM DIOECESIUM RECTORUM.

### §. 125. De jure Episcoporum regiminis dioecesani in genere.

Quamvis per consecrationem Episcopi fiant quidem membra Episcopatus, seu corporis illius, cui Christus concredidit sub directione Primatis regimen Ecclesiae suae, ac proinde acquirant jus participandi regimini Ecclesiae universali, jus tamen tale, quod exercere nequeunt nisi una cum summo Pontifice et aliis Episcopis in Concilio generali: in hoc tamen jure non includitur etiam jus regendi partem determinatam ejusdem Ecclesiae, idest peculiarem dioecesim. Quemadmodum namque, divisio dioecesium pendet ab actu jurisdictionis et est juris positivi et humani; ita etiam jurisdictio in determinatam dioecesim provenit ex actu jurisdictionis illius, qui potestatem habet in universalem Ecclesiam, videlicet Romani Pontificis; sive immediate hunc actum Pontifex exerceat, sive mediate, idest, quando jurisdictio in peculiarem quamdam dioecesim confertur Episcopo quovis alio modo determinato per jus positivum, quod consentiente summo Pontifice viget in Ecclesia. Ergo Episcopus obtinet jus regiminis dioecesani per legitimam assignationem gregis dioecesani ipsi per universalem totius gregis Domini pastorem factam. Sunt autem jura Episcoporum: Jura ordinis, Jura status, et Jura jurisdictionis.

### §. 126. Jura Ordinis Episcopalis.

Ad jura ordinis episcopalis praeter ea, quae Episcopi cum Presbyteris communia habent, propria spectant 1) Collatio ordinum sacrorum. 2) Jus sacrum chrisma conficiendi, et chrismate consecrandi sive personas, sive res, utpote Ecclesias, altaria, vasa sacra etcet. Euchologia Ecclesiae orientalis ordini Episcopatus

consecrationem, Presbyteratui vero solam benedictionem adscribunt. Exceptionem facere videtur sola unctio chrismate, quam orientales Presbyteri etiam in collatione Sacramenti Confirmationis peragunt, et quidem ex consuetudine perantiqua, non tamen sine concessione Episcopi, ac saltem tacita delegatione Apostolicae sedis; cum etiam secundum Graecorum sententiam Sacramenti Confirmationis ordinarius Minister solus Episcopus sit: cujus testimonium adfert Codex Canonum Graecus Pidalion, Nota 1. ad Canonem VI. Concilii Carthaginensis his verbis: „Gabriel Philadelphenus in libro de Sacramentis dicit, quod etiam unctio chrismatis in Sacramento Confirmationis ad solos Episcopos spectet, concessa tamen est etiam Presbyteris, ut non maneat quis ex iis, qui baptizati sunt sine obsignatione (confirmatione.)" Quod ipsum enunciavit et Synodus Ruthenorum celebrata Zamosciae anno 1720., in qua haec leguntur: „Sacramentum Confirmationis a Christo Domino institutum, quod Parochi in orientali Ecclesia extraordinario jure, et delegata ab Episcopo facultate, ex apostolicae sedis dispensatione, statim post Baptismum administrare solent." Graeci autem Maronitae in sua Synodo in monte Libano 1736. Cap. 4. de Sacramento Confirmationis Can. II. statuerunt: „Quia vero tam in nostra quam in reliquis orientalibus Ecclesiis antiquus mos obtinuerat, ut statim post Baptismum etiam Sacramentum Confirmationis conferretur, quemadmodum et in ritualibus continetur, et a Concilio Laodiceno his verbis praescribitur: Quod oportet eos, qui illuminantur post Baptismum ungi supercoelesti chrismate et esse regni Christi participes. Hac tamen in re servandum praecipimus ac mandamus, quod dudum a Reverendissimis Dominis Patriarchis injunctum est, ne simplices Sacerdotes de caetero praesumant hoc Sacramentum administrare; sed illud Episcopi dumtaxat conferant." Clemens autem VI. priusquam ad catholicam communionem reciperet Consolatorem Armenorum Patriarcham, certior fieri voluit, an cum Ecclesia Romana sentiret, etiam relate ad Sacramentum Confirmationis, in apostolicis literis ad eundem datis, quae habentur apud Raynaldum ad annum 1351. Nrum. 12. nimirum: Primo, de Consecratione chrismatis, si credis quod per nullum Sacerdotem, qui non est Episcopus, potest chrisma rite, et debite consecrari. Secundo, si credis, quod Sacramentum Confirmationis per alium quam per Episcopum non potest ex officio ordinarie ministrari. Tertio, si credis, quod solum per Romanum Pontificem plenitudinem potestatis habentem possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non sunt Episcopi committi. Quarto, si credis, quod chrismati per quoscunque Sacerdotes, qui non sunt Episcopi, neque a Romano Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per Episcopum, vel Episcopos sint chrismandi. Cum igitur Romani Pontifices tolerent, imo per confirmationem Decreti Synodi Zamoscensis etiam porro admiserint consuetudinem Ecclesiae

orientalis, ut Sacramentum Confirmationis per Presbyteros conferatur; imo etiam in Florentina Synodo a Latinis Patribus Graecorum Presbyterorum confirmatio rata existimata fuit; de delegatione S. Sedis Apostolicae Presbyteris Graeci Ritus ad valide conferendum Sacramentum confirmationis cum chrismate per Episcopum solum confici et consecrari solito, data, dubitare non licet.

## §. 127. Jura status Episcoporum.

Jura status, sive dignitatis Episcoporum sunt: 1) Praeeminentia ante Presbyteros, quos S. Hieronymus secundi ordinis praeceptores, et minoris gradus ab Apostolis vocat[1]) et S. Ignatius Martyr in Epistola ad Antiochenses scribit: „Presbyteri pascite gregem, qui inter vos est, donec DEUS designaverit eum (Episcopum), qui Principatum in vobis habiturus est, ego enim jam immolor." 2) Tituli honorifici. 3) Thronus et indumenta pontificalia, utpote Omophorion, Mitra, Baculus pastoralis, crux pectoralis, et cor, quod annuli loco Episcopis orientalibus inservit; ideo Episcopi orientales annulum non gestant.

## §. 128. Jura Jurisdictionis.

Jurisdictio episcopalis extenditur ad omnes personas, res, et loca ecclesiastica dioecesis, in quantum non sunt exempta, atque haec jurisdictio potestatem legislatoriam, inspectoriam, judicativam, et coactivam complectitur; hinc Episcopi habent jus 1) pro Dioecesi leges condendi secundum et praeter jus commune, non vero eidem juri communi contrarias, (Vide supra de Synod. dioec.; Limites legislationis episcopalis.) quae praescriptiones episcopales, vel statuta dioecesana vocantur; 2) jus dispensandi in Synodorum tum particularium tum etiam universalium et Pontificum decretis, obtenta tamen facultate et intra terminos facultatis a summo Pontifice concessae, cui soli competit jus dispensandi in universalibus Ecclesiae legibus; 3) jus docendi, Canon XIX. Concilii Trullani, observante Balsamone ad hunc Canonem: „Populum docere solis Episcopis datum est, et magnae Ecclesiae doctores, Patriarchae jure docent, et Christus dixit Apostolis: Euntes, docete omnes gentes, statuit: oportet eos, qui praesunt Ecclesiis in omnibus quidem diebus, sed praecipue dominicis, omnem Clerum et populum docere pietatis et rectae Religionis eloquia." Attamen Episcopi, quibus solis competit jus docendi auctoritative, quo sensu verba Balsamonis sumenda sunt, pos-

[1]) Ad Fabiolam de 42. Mansion. Confer. Petavius de Hierarch. et Natalis Alex. Histor. Eccl. Diss. XLIV. ad Sec. IV.

sunt etiam aliis clericis concedere missionem ad docendum. 4) Causas ad forum ecclesiasticum pertinentes decidendi. 5) Dioecesim visitandi, quod est optimum medium ad cognitionem status dioecesis, observantiae Canonum, et disciplinae ecclesiasticae perveniendi, atque occurrentes errores et abusus tollendi. Episcopus per Edictum visitationis canonicae, quemlibet suae jurisdictioni obnoxium officialem, et Sacerdotem coram se qua judice citat, atque a sententia per Episcopum in canonica visitatione lata nulla datur appellata executionem impediens. Non potest tamen Episcopus in visitatione imponere poenas ordinarias delictorum, sed tantum extraordinarias, quae magis morum emendationem et correctionem, quam ordinariam delicti vindictam respiciant.[1]) 6) Poenas ecclesiasticas infligendi, cum discretione tamen.[2]) Quam in rem Balsamon ad citatum Canonem Concilii Trullani advertit: „In aliis quoque Conciliis statutum est, ut qui est loci Episcopus, qui a Sancti Spiritus gratia accepit potestatem ligandi et solvendi, non ea omnia, idest, rigide observet, quae de poenis a sacris Canonibus statuta sunt, sed eas modificet habita ratione personarum quibus infliguntur, earum scilicet aetatum, affectionum, vitae studiorum et qualitatis peccati, et sic unicuique morbo adferat convenientem medelam, ut errantem ovem reducat, et ei quae est a serpente (diabolo) vulnerata medeatur, et neque per desperationis praecipitia impellat, nec ad vitae dissolutionem et contemptum fraena laxet. 7) Largiendi Indulgentias particulares. 8) Pastores inferiores constituendi, beneficia conferendi, aut praesentatos per Patronos approbandi et canonice instituendi. 9) Jus administrationi bonorum et fundationum ecclesiasticarum inspiciendi.[3]) 10) Jus congregandi Synodos Dioecesanas ad tramites sacrorum Canonum.

## §. 129. De Senatu Episcopi.

Quemadmodum summus Pontifex in gubernio universalis Ecclesiae assistentem sibi habet Senatum ex Presbyterio condam urbis Romae formatum Cardinalium collegium, vel consistorium, ita Episcopo in regenda Dioecesi suus assistit Senatus Ecclesiae Cathedralis Capitulum, de quo ait Van-Espen[4]): „Licet praecipua in Ecclesia auctoritas ad Episcopos pertineat, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam DEI; ea tamen semper a temporibus apostolorum fuit Ecclesiae disciplina; ut non dedignarentur Episcopi Presbyteros aliosque inferiores Ministros sibi ad-

[1]) Conc. Trident. Cap. I. de Reform. Sessione XIII. et Sessionis XXIV. Cap. X.

[2]. Confer. Concilii Trullani Canon. 102. et Concilii Trident. Sess. XIII. Cap. I. de Reform.

[3]) Vid. Canon Apostolorum 37., Concil. Antioch. C. 25. Concilii Gangrensis C. 2. Concil. Chalcedon. Can. 20.

[4]) Tomo II. operum pag. 590. Cap. II.

sciscere, quorum opera et consilio navem Petri in hoc periculoso et turbulento mari dirigerent. Hi in ipsis Ecclesiae exordiis erant universi Presbyteri, atque Diaconi, qui una cum Episcopo in civitate commorantes, Presbyterium, atque Senatum Ecclesiae constituere dicebantur; quos vir Apostolicus S. Ignatius Epistola ad Trallianos Consistorium sacrum, consiliarios Assessores Episcopi vocat; de quibus et Hieronymus: „Et nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum coetum Presbyterorum." His inconsultis majora Ecclesiae negotia non resolvere a primordio Episcopatus sui S. Cyprianus statuerat Epistola 5: „Ad id quod scripserunt Compresbyteri nostri, solus rescribere nihil potui, cum a primordio Episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro mea privatim sententia gerere." Molem Episcopalis sollicitudinis sibi incumbere mortuo Fabiano Romano Pontifice, ad Cyprianum scribit Clerus Romanus: „Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiae, cujus per varias quasque Provincias membra digesta sunt, excubare." Hoc Presbyterium Clerum componebat, sine cujus consilio Clericos ordinare interdixit Episcopis Synodus Carthaginensis IV. statuens insuper: Ut Episcopus nullius causam audiat absque praesentia Clericorum suorum, alioquin, inquit, irrita erit sententia Episcoporum, nisi Clericorum praesentia confirmetur.

Talis primis Ecclesiae seculis erat Episcopi senatus, donec crescente Presbyterorum, atque inferiorum Clericorum ordine, e pluribus nonullos elegerint Episcopi, qui sibi tamquam Consiliarii et Assessores assisterent; quos Canonicos Cathedrales, tamquam Cathedrae episcopali propius adhaerentes posterior aetas nuncupavit. Hi in pristinum Presbyterorum et Diaconorum Presbyterium atque Senatum successerunt; quo fit, ut quemadmodum olim Presbyteri, et Diaconi civitatis episcopalis unum cum Episcopo tamquam capite corpus constituerint, Fratresque Episcopi dicerentur; ita Canonici Cathedrales in locum ipsorum suffecti, unum cum Episcopo corpus componere dicantur; et ut Episcopi ipsos tamquam Fratres agnoscant, canonica decrevit auctoritas.

## §. 130. De dotibus Canonicorum.

Ex eo, quod Canonici Senatum Episcopi in regimine dioecesis constituant, Canonici debent esse viri e Clero selectissimi, doctrina non minus quam sanctae vitae studio praecellentes, viri graves, et probatae experientiae, qui possint et velint Episcopo maturis consiliis adesse. Et siquidem praecipuum munus Episcoporum sit errores exstirpare, veritatem evangelicam propugnare, vitia eradicare, virtutes plantare, nec non disciplinam Ecclesiae, Conciliorum ac Patrum decretis expressam, vigentem, sedulo conservare, collabentem sustinere, collapsam diligenti cura restaurare; quin et controversias inter fideles subortas nonnuquam decidendo sopire, necessarium est, ut inter Canonicos sint, qui

ea scientia polleant, qua Episcopus in eliminandis haeresibus, aliisque perniciosis in doctrina erroribus; vitiis exstirpandis, atque virtutibus plantandis opera et consilio molem Episcopalis sollicitudinis sublevare, quin et portionem ejusdem non modicam valeant sustinere. Quo munere fructuose fungentur Theologi, qui divinam sapientiam ex purissimo scripturarum, et SS. Patrum fonte abundanter hauserint; in ecclesiasticae vero disciplinae conservanda puritate, collabente stabilienda, consiliis suis utiliter assistent Canonistae, edocti sacros Canones, quibus Ecclesiae externa disciplina exprimitur. Ideo Ecclesia praescripsit, ut Canonici sint quantum fieri potest Theologiae aut sacrorum Canonum Doctores, dicente S. Gregorio Magno „ab imperitis quomodo regimen animarum suscipitur, quando ars artium est regimen animarum", quae eruditio si a quovis ad curam et regimen animarum deputato Sacerdote desideratur, quanto magis ac major divinae scientiae, et sacrorum Canonum cognitio requiritur in iis, quibus regiminis pastorum sollicitudo incumbit. Quia autem Canonici a Canone nomen habent, qui primitus a regula, quam in communi observabant, etiam regulares dicebantur, quorum vita Canonica, institutio Canonica, aut religio Canonica appellata est; Canonici in custodia Canonum, atque observantia imprimis Clero praelucere obligati sunt, ut secundum Canones viventes nomini suo respondeant et eodem digni sint.

## §. 131. De Capitulo et juribus ejus sede Episcopali plena, seu vivente et fungente Episcopo.

Capitulum est collegium Canonicorum, nomen habet a capite, quia olim qua regulares quotidie convenientes caput aliquod regulae canonicae legebant, hinc a capite, Capitulum. In quantum igitur collegium Canonicorum, seu Capitulum cathedrale Episcopi senatum constituit, Canones Ecclesiae praescribunt, ut Episcopus in negotiis majoris momenti jam consensum, jam consilium Capituli requirat. Et quidem consensum Capituli Episcopus requirit: 1) Si Episcopus auctoritate apostolica Coadjutorem sibi eligere velit juxta sacros Canones, et praesertim Caput unic. tit. de Clerico aegrotante in 6, idque obtinere potest tantum in diocesibus Roma dissitis, pro quibus ea concessio apostolica sonat; in reliquis enim dioecesibus de jure communi Pontificis jus est aegrotanti Episcopo Coadjutorem denominare[1]) 2) ad surrogandos Examinatores Synodales[2]) .3) Ubi de juribus et obligationibus Episcopatus, et de mutando Ecclesiae statu agitur, ut si Ecclesiae mobiles abalienari, oppignorari[3]) 4) Beneficia, quorum collatio ad Episcopum et Capitulum simul pertinet, conferre[4]).

[1]) Vid. Reiffenstuel lib. 3. Decret., tit. VI. de Cleric. aegrot. a Nr. 39—45.
[2]) Decret. Clement. VIII.
[3]) C. 2. 7. de donat. C. 1—3. 7. de his quae fiunt a Praelato.
[4]) Ibid C. 6.

5) Numerum Dignitariorum, aut Canonicorum etiam honorariorum augere vel minuere[1]), 6) non potest Episcopus sine consensu Capituli beneficia erigere, dividere, unire et supprimere[2]) 7) vel aliquem censura afficere. Si Capitulum sine causa consensum deneget, Episcopus ejus supplementum a sacra Concilii congregatione petere potest[3]). Consensus exquirendus est a Canonicis capitulariter congregatis, qui juxta votum ad minus absolutae majoritatis enunciatus esse debet.

## §. 132. De Consilio Capituli per Episcopum exquirendo.

Ambigi non potest, inquit Benedictus XIV. (L. XIII. de S. D. C. I. Nr. 5.), quin etiam hodie, jure Decretalium, Canonici Ecclesiae Cathedralis sint consiliarii nati Episcoporum; adeo ut non liceat Episcopo aliquod gravis momenti negotium aggredi, et deliberare, inconsulto Capitulo[4]). Non tamen sequi tenetur consilium Capituli, nisi in casibus a jure expressis (§ priori). Nec tamen ideo frustraneum erit reputandum Capituli consilium: consulentium enim rationibus Episcopus instruitur, atque edocetur, ne inconsiderate aliquid agat; qua ex causa etiam Romanus Pontifex non solet ardua negotia sine Fratrum suorum Cardinalium consilio decernere, quamquam sciat, supremae suae potestatis exercitium ab eorumdem assensu nequaquam pendere. Sicuti porro Cardinales, qua Assessores Papae, tenentur, quid coram Deo sentiant, ingenue aperire; ita Cathedralium Ecclesiarum Canonici ab Episcopo requisiti, debent mentem suam ea, qua utique decet modestia, sed pari animi sinceritate manifestare, etiamsi de rebus consulantur, in quibus sciunt, liberum esse Episcopo ab eorumdem Canonicorum consilio deviare. — Consilium vero Capituli cathedralis Episcopus exquirere debet, quamvis non teneatur illud sequi

1) In institutionibus et destitutionibus beneficiorum[5]).
2) In Clericorum ordinationibus[6]).
3) In dispensationibus, inquisitionibus et condemnationibus Clericorum.[7])
4) In indicendis publicis processionibus.
5) In publicatione constitutionum Synodi dioecesanae.

---

[1]) S. C. C. in Fulginat. 26. Febr. 1639.
[2]) C. 8. 9. de his quae fiunt a Praelato.
[3]) C. 1. de Excess. Prael. et Gloss. ibid. Capituli 7. Bened. XIV. S. D. IV. 7. 10.
[4]) Alex. III. in Cap. Novit, de his quae fiunt a Praelat.
[5]) Cap. Novit. 4. de his quae fiunt a Praelat. sine cons. Capit.
[6]) Cap. Episc. sine consil. in 6. dist. 24. ibid.
[7]) Cap. siquid vero 23. dist. 86.

## §. 133. Jura Presbyterii Cathedralis sive Capituli, Sede Episcopi vacante.

Canones orientales intra tres menses a morte Episcopi, Episcopum eligi jubent (Concil. Chalcedonense Can. XXV.) Interea vero Presbyterium, sive Capitulum Cathedrale in regimine Dioecesis succedit, et obligatur intra octo dies a morte Episcopi Vicarium generalem capitularem idoneum aligere, nisi malit Vicarium ab Episcopo relictum qua capitularem confirmare. Quodsi electionem Vicarii et quidem per vota absolute majora in pleno Capitulo incumbentem negligat, jus constituendi Vicarium ad Metropolitanum devolvitur, jusque hoc sede Metropolitana etiam vacante, ad Capitulum ejusdem transfertur. Quod si vero agatur de Vicario Capitulari Ecclesiae Metropolitanae, jus devolvitur ad antiquiorem Episcopum ex suffraganeis.

Ceterum potestas Presbyterii sive Capituli quoad jura Episcopi modo provisorio succedentis 1) non se extendit ad functiones ordinis episcopalis. Potest tamen facultatem pontificalia munia exercendi alieno Episcopo concedere, 2) non succedit in eis quae sunt personalia Episcopi, seu quae ex speciali jure aut privilegio sacrae Sedis apostolicae eidem competunt, 3) non potest statum Ecclesiae vacantis immutare, aut in discrimen vocare, quare non potest alienare res servando servabiles, non oppignorare aut onerare, 4) potestas Capituli neque ad ea se extendit, quae usque denominationem Episcopi moram patiuntur, unde non potest beneficia conferre quae solum collationis episcopialis sunt; non unire aut supprimere beneficia, non inchoare litem super bonis Ecclesiae extra casum inevitabilis necessitatis.

## §. 134. De Officiis Canonicorum.

Capitulares sive Canonici varios titulos, dignitates et officia habent. 1) Praepositi Capitularis, quae est prima dignitas post episcopalem, ideo absente Episcopo Canonicis collegialiter celebrantibus jus pontificandi habet; idem Praepositus porro habet jus Capitulum congregandi, eidemque praesidendi, consultationes dirigendi, et conclusa Capituli effectui mancipandi. 2) Officium Lectoris Canonici, qui alias Archi-Diaconus Ecclesiae Cathedralis nominatur, cujus officium est custodire Archivum et documenta fidei Capituli concredita. 3) Canonici Cantoris, cujus est officiorum divinorum in Ecclesia Cathedrali rite peragendorum curam habere. 4) Canonici Custodis, qui curam gerit totius supellectilis Ecclesiae. 5) Scholastici Canonici, ad erudiendum Clerum juniorem. 6) Cancellarii, qui Cancellariae capitulari et pro circumstantiis etiam episcopali praeest.

## §. 135. Obligationes generales Canonicorum.

1) Canonici rite electi tenentur coram Episcopo fidei professionem emittere, et residere in loco Capituli ita, ut ultra tres menses per annum abesse nequeant, nisi id fieri deberet in Ministerio Ecclesiae. 2) Obligantur officio divino diligenter interesse, et Episcopo in omnibus sacris functionibus adsistere. Quodsi quis Canonicorum non interrupto quadraginta annorum spatio, diligenter Ecclesiae seu Cathedrali seu collegiatae servivit, ab omni deinceps absolutus est Ecclesiae officio, et ubicunque habitans, etiam quoad distributiones quotidianas pro praesente habetur. Quando vero Canonici etiam absentes distributiones, etiam quotidianas jure percipere possint non secus ac praesentes, vide Canonistas de Clericis non residentibus. 3) Canonici generatim evocati a Praesule, cujus consiliarios et adjutores agunt, negotia ecclesiastica sibi commissa executioni dare tenentur. 4) Capitula Episcopi visitationi subsunt, atque correctioni toties quoties necesse est.

## §. 136. Jura Capituli qua Corporis distincti.

1) Capitulum, quatenus corpus peculiare ab Episcopo distinctum constituit, potest conventus de negotiis ad se pertinentibus sine Episcopo celebrare, in quo negotia per majoritatem votorum deciduntur, quae conclusa omnes Capitulares obligant, excepto casu dum per Capitula, quae fundationes dioecesanas administrant, elocatio pecuniarum fundationalium per majoritatem fit, contradicente minore parte, vel etiam uno, dum haec pars in elocationem non consentiens pro casu emersuri damni responsabilis non est; 2) potest Capitulum condere statuta pro Capitularibus, quae tamen ut successores obligent, ab Episcopo, et pro re nata etiam a summa auctoritate civili confirmari debent.

# CAPUT VII.

## DE OFFICIALIBUS ECCLESIASTICIS EPISCOPORUM.

## §. 137. Vicarius generalis Episcopalis.

1) Vicarius generalis Episcopalis, qui vice Episcopi jurisdictionem episcopalem exercet in dioecesi, cujus persona cum Episcopo identica, et ideo a Vicario ad Episcopum non datur appellata, dicitur a jure communi etiam Officialis[1]), attamen in aliquibus

[1]) C. Licet. de Offic. Vicar. in 6. et in Clem. 2. de reser.

regionibus uti in Gallia usus obtinuit, ut ab Officiali distinguatur, et Vicarius nuncupetur, qui ea exercet, quae sunt jurisdictionis voluntariae: Officialis vero, qui jurisdictioni praeest contentiosae. Apud nos autem unus et idem Episcopi vices, in utriusque jurisdictionis exercitio, gerere consuevit; Vicarius generalis Episcopalis absente vel impedito Episcopo ex positivo tamen Episcopi mandato habet jus convocandi etiam Synodum dioecesanam, eidem praesidendi et statuta ferendi: praesente vero Episcopo Synodo dioecesanae interest et habet jus praecedentiae sessionis post Episcopum ante omnes dignitates Capituli, atque semper est unus ex Judicibus Synodalibus.[1]) Sane etiamsi Vicarius ordinariam Episcopi jurisdictionem, Episcopi nomine in Dioecesi exerceat, plurima tamen sunt, inquit Benedictus XIV. (de S. D. L. II. Cap. VIII. N. 2.) quae virtute solius generalis commissionis, sine speciali Episcopi commissione, facere nequit, prout dioecesim visitare, item inquirere, corrigere, aut punire aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, vel administrationibus amovere,[2]) item beneficia conferre.[3]) Praeterea 2) concedere literas dimissorias ad Ordines, extra casum, quo Episcopus in remotis regionibus versetur.[4]) 3) Ea, quae sunt mere liberalitatis et gratiae, vel speciem habent alienationis; ac proinde non potest ad beneficia, quae juris patronatus episcopalis sunt, Clericos nominare, praesentare, vel eligere; sic non potest beneficia supprimere, aut simul unire, vel factas uniones revocare; nam haec omnia speciem referunt alienationis. 4) Neque beneficiorum resignationes, tam simpliciter, quam ex causa permutationis factas, admittere; quoniam earum admissio requirit potestatem destituendi, quae Vicario Episcopali sine speciali commissione non competit.[5]) Potest autem Vicarius Episcopalis praesentatos a Patronis instituere et electos confirmare, absque speciali mandato,[6]) institutio enim et confirmatio, non liberalitatis et gratiae, sed necessitatis et justitiae sunt actus, quos Vicarius generalis, vi generalis commissionis exercere potest.

## §. 138. De Chorepiscopis, seu Vicariis Foraneis Episcoporum.

Chorepiscopi a choro, vico, ruri, quod ruri Episcoporum vices agerent dicti; de iis mentio occurrit in Concilio Neocaesariensi Can. XIV.[7]), Concilio Nicaeno I. Can. VIII. et Antiocheno Canone X., de quibus Pidalion, ad Canonem VIII. Concilii Ni-

---

[1]) Vide supra de Judicibus Synod.
[2]) Capit. Licet Tit. De offic. Vicar. gener. in 6.
[3]) Cap. III. ibidem.
[4]) Cap. Cum nullus 3. de temp. ordin.
[5]) Glossa in Clem. I. de Rennnciatione.
[6]) Decisio Rotae Roman.
[7]) In latinis collect. II. pars Can. XIII.

caeni I. observat: Quoniam indultum non est constitui Episcopum in vico aut civitate parva, in qua et unus Presbyter sufficeret, ut non dishonoretur nomen Episcopi, juxta Can. VI. Concilii Sardicensis, in similibus parvis civitatibus constituebantur Chorepiscopi. Et quoniam citatus Canon Concilii Neocaesariensis inquit: Chorepiscopi 70. Apostolorum seu discipulorum imitatione sunt, patet eos tantummodo Presbyteros fuisse; negari tamen nequit quandoque contigisse in Chorepiscopum assumi, qui episcopali charactere esset antea insignitus, et a sua dioecesi ob persecutionis aestum expulsus, aut ejusdem administratione, in alicujus gravis criminis poenam, legitima auctoritate privatus. Quia vero hi Chorep scopi Vicarii Episcoporum foranei[1]) etiam nominati, praeter jurisdictionem ad regimen loci, cui praeficiebantur necessariam, potestas quoque data erat conferendi minores Ordines, quibus tunc temporis accensebatur Subdiaconatus[2]); et aliquando, cum nimirum episcopali charactere erant exornati, iisdem ab Episcopo loci facultas quoque delegabatur conferendi Ordines sacros; inde factum est, ut Chorepiscopi tot condecorati praerogativis, eousque audaciae devenerint, ut in omnibus se Episcopis aequarent; quumque nec Canones Conciliorum, praecipue Canon VI. Concilii Sardicensis, neque etiam Epistolae decretales summorum Pontificum, prout Leonis Magni (Ep. 88.) et Leonis III. ad eos in officio continendos suffecissent: idcirco seculo VIII. et IX. ita pluribus praecipientibus Ecclesiae legibus, Chorepiscoporum ordo supprimi coepit, atque medio circiter seculo X. prorsus exstinctus est. (Nat. Alex. hist. eccl. tom. 4. ad secul. IV. Append. ad dissert. 44.) Vicarii tamen Foranei etiam hodie sunt in Ecclesia, pro eo constituti ab Episcopis, ut pro certa parte dioecesis in pagis et oppidis jus dicant, in quibusdam levioris momenti causis decidant, et jurisdictionem exerceant, ad certos dumtaxat actus limitatam; a quorum tamen sententiis liberum est ad Episcopum appellare.[3]) Aliqui foranei Vicarii etiam Consistorium proprium habent, uti Szigethiensis gr.-catholicus, et Tirnaviensis in Archi-Dioecesi Strigoniensi, consistoriorum tamen horum decisiones a consistoriis dioecesanis revidentur.

## §. 139. De Archi- seu Protopresbyteris, alias Archi- et Vice-Archi-Diaconis, Decanis ruralibus.

In usu sunt nomina Archi-Diaconus, qui praeest parti dioecesis in plures districtus Vice-Archi-Diaconales divisae. Archi-Diaconatus est dignitas, et Archi-Diaconi plerumque sunt Canonici Ecclesiae cathedralis, sunt tamen Archi-Diaconi etiam extra gremium Capituli. — Eorum hodierna jura sunt: suos districtus visitandi, Episcopum visitantem

[1]) Ferand. Diacon. Breviar. C. 79.
[2]) Bened. XIV. de S. D. L, III. Cap. III. Nr. 6.
[3]) Benedict. XIV. de S. D. L. III. C. III. Nr. 5.

in proprio districtu comitandi, Vice-Archi-Diaconos installandi et sepeliendi, et rationes Ecclesiarum revidendi. Idem in Ecclesia Orientali sunt Protopresbyteri rurales, alias Protopopae vocati, quorum aliquando potestas eadem erat cum Vicariorum foraneorum. Extinctis nempe Chorepiscopis, sollicitudo lustrandi rusticas parochias, praesidendi parvis oppidis, corrigendi et puniendi in his degentes Clericos, quae prius Chorepiscopis competebat, translata fuit in Protopresbyteros, Archi-Diaconos, Decanos rurales. Erant igitur Protopresbyteri vel Decani rurales in Chorepiscoporum locum suffecti, Vicarii rurales seu foranei Episcoporum. Verum successu temporis usu ac consuetudine, non certe legitime inductis, eorum potestas apud Orientales, prout Archi-Diaconorum apud Occidentales amplissima evasit, adeo ut pro bono Ecclesiae regimine necesse fuerit eorum jurisdictionem intra juris terminos coarctare; quapropter subtractae iis fuerunt causae criminales, matrimoniales et beneficiales. Quocirca hodie eorum potestas, quae semper fuit prout etiam ipsorum Chorepiscoporum nisi delegata ab Episcopo Dioecesis, ex mandati episcopalis formula, aut ex speciali Dioecesium observantia dimetienda est.

## §. 140. Jura per Protopresbyteros, seu Decanos rurales, seu etiam Vice-Archi-Diaconos de praesenti consuetudine exercita.

Protopresbyteri, alias etiam Vice-Archi-Diaconi, Decani rurales, qui in districtibus suae vigilantiae concreditis oculi et commissarii Episcoporum sunt, de praesenti praxi sequentia jura exercent: 1) Parochorum et Clericorum intra districtus suos moribus invigilant, et quotannis de moralitate Cleri, et observatione disciplinae relationes Episcopo praestant. 2) Ecclesias visitant, ac rationes de reditibus Ecclesiarum desumunt, occurrentes abusus observant et tollunt. 3) Capitulis seu congregationibus Parochorum praesident. 4) Episcopi nomine Parochos in possessionem beneficiorum immittunt, introducunt et installant. 5) Funebria defunctis Parochis persolvunt. 6) Episcoporum dispositiones effectuant. 7) Aliquando delegata ab Episcopo facultate, causas levioris momenti examinare ac processum ad informandum edere possunt, ita tamen, ut jus ac sententiam dicere nullatenus valeant. 8) Protopresbyteri seu Decani rurales sunt tam pro Ecclesia, quam et pro statu civili.[1]) Inspectores scholarum sui districtus, easdem visitant, effectui ordinationum tam ecclesiasticarum quam civilium in negotiis scholasticis editarum intendunt. Ludimagistros corrigunt; in conferentiis denique scholaribus annue asservari solitis praesident, atque cum officiis politicis in negotiis scholarum externis immediate correspondent.

---

[1]) In Austriae Imperio.

Protopresbyteri seu Decani rurales e concessione Episcopi gaudent jure cingulum violacei coloris deferendi, et honestantur titulo: Admodum Reverendus Dominus. (In Hungaria.)

## §. 141. De officialibus Episcoporum ecclesiasticis aulicis.

Officiales ecclesiastici aulici Episcoporum, qui dispositiones Episcoporum in scripta redigunt et expediunt, acta et documenta dioecesana protocollis illata et ad Archivum episcopale reposita custodiunt, et regestant, sunt: 1) Director Cancellariae, qui si sit unus e Canonicis, Canonicus a latere nominatur, et est Cancellarius seu Protosyncellus Episcopi, et Secretarius episcopalis, cum quo Episcopus praesidialia tractat. 2) Notarius consistorialis, apud Orientales una Proto-Diaconus episcopalis et Ecclesiae cathedralis, qui protocollum Consistorii ducit et expedit, estque persona publica, cujus subscriptiones instrumentis et documentis fidedignitatem dant. 3) Archivarius, Archivi custos et Regestator actorum. 3) Taxator, qui in judicialibus determinat taxam a partibus solvendam; demum sunt Actuarii Cancellistae et Expeditor. Hi cum Episcopo considerati officium dioecesanum constituunt. Sede autem Episcopali vacante officium vicariale nominari solet. Numerus et sphaera activitatis officialum aulicorum pendet ab Episcopi arbitrio, et circumstantiis. (Ex usu.)

## §. 142. Consistorium Episcopale.

Consistorium est coadunatus Episcopi Senatus ad consilium, et Tribunal, ad judicium, cujus pars principalis et essentialis Capitulum est, dein Assessores plures e Clero reliquo per Episcopum nominari soliti. Vocatur etiam sacra Sedes consistorialis. Praeses ejus est Episcopus, vel Vicarius generalis Episcopi. Assistentes: Defensor vinculi matrimonialis, et professionis religiosae, Fiscus Consistorialis, Pauperium Advocati, Medici, et Chirurgi. Notarius Consistorii est Referens, et una Protocollum consistorii ducit.

# CAPUT VIII.

## DE PAROCHIS, PAROCHIARUM ADMINISTRATORIBUS, COOPERATORIBUS ALIAS CAPELLANIS, ATQUE DIACONIS.

## §. 143. De Presbyteris.

In Hierarchia ecclesiastica divina ordinatione constituta secundum locum vel gradum post Episcopos tenent Presbyteri

secundi ordinis Sacerdotes, prout S. Clemens Romanus in Epistola 1-a ad Corinthios docet: „Summo quidem Sacerdoti (Episcopo) inquit, sua munia tributa sunt, et Sacerdotibus (Presbyteris) locus proprius assignatus est, et Levitis (Diaconis) sua munia incumbunt.“ Sanctus Ignatius Martyr autem in Epistola ad Smyrnenses, ait: „Omnes Episcopum sequimini ut Jesus Christus Patrem, et Presbyterium ut Apostolos.“ In Epistola vero ad Trallianos: „Decet singulos vestrum et praecipue Presbyteros refocillare Episcopum“; ac denique in Epistola ad Magnesianos: „Hortor inquit, ut hoc sit vestrum studium in Dei concordia omnia agere, Episcopo praesidente Dei loco et Presbyteris loco senatus apostolici.“ Ex his patet Presbyteros esse in adjutorium Episcopis, sicut 70. discipuli Domini, quorum Presbyteri successores sunt, Apostolorum adjutores erant; S. Paulus in Epistola ad Titum scribit: Propterea reliqui te Cretae, ut constituas per civitates Presbyteros.[1])

## §. 144. De jure Presbyterorum docendi.

Interpretes Canonum Ecclesiae orientalis jus docendi Episcoporum proprium esse adstruunt, ita Balsamon in Canonem XIX. Concilii Trullani: „Nota inquit ex hoc Canone, quod docere populum solis Episcopis datum est.“ Idem Balsamon insuper ad Canonem LVIII. SS. Apostolorum inquit: „Episcopalis dignitas in docendo consistit; et omnis Episcopus debet docere populum pia dogmata et statum orthodoxorum. Speculator enim ideo constituitur, ut quae sui sunt populi attendat; et ideo Episcopus est apellatus. Porro autem etiam Presbyteri tales esse debent, quia etiam penes Episcopos sedent in superioribus cathedris. Episcopus ergo et Sacerdos, qui non sic facit, sed negligenter est affectus, segregatur; sin autem in socordia perseveret, deponitur. Presbyteri enim secundum episcopalem admonitionem et non suo arbitrio docent.“

Quod autem secus intelligi non potest, nisi quod Presbyteri in iis quoque, quae proprii ordinis sunt, Episcopis subordinati sint e ratione, quoniam cura animarum principaliter Episcopis concredita est, de ea rationem reddituris juxta Canonem Apostolorum 39. et subnexam interpretationem [2]). Nam Episcopus in ordinatione Presbyteri etiam munus docendi confert Presbytero, sequentem formulam deprecatoriam sacramentalem adhibendo: „Deus in virtute magnus, mirabilis in consiliis super filios hominum; ipse Domine etiam et istum, quem tibi Presbyteri gradum subire complacuit, dono sancti tui spiritus adimple, ut inculpate sancto tuo altari adsistere dignus fiat, regni tui evangelium annunciare, veritatis tuae verbum sanctificare, dona

---

[1]) Confer. supra §. 13.

[2]) Vide Pidalion Interpretatio ad Canonem 39. SS. Apostolorum.

et hostias spirituales tibi offerre, populumque tuum per lavacrum regenerationis secundae remissionis peccatorum innovare.«

## §. 145. De jure Presbyterorum ligandi et solvendi, seu absolvendi a peccatis.

Interpretes Canonum orientales jus Presbyterorum absolvendi a peccatis adhuc magis quam jus docendi controvertunt; sic Balsamon, ad Canonem XIV. Concilii Neocaesariensis, apud Beveregium pag. 413. inquit: »Nota ergo ex hoc Canone, quod etiam Sacerdotes non possunt confessiones peccatorum excipere et peccata remittere, nisi id ab Episcopo ipsis concessum fuerit, quandoquidem hoc nec Chorepiscopi possunt, qui tamen plura habent privilegia quam Sacerdotes. Quod autem septuaginta discipuli Domini non habuerint facultatem dimittendi peccata, clarum est ex Libro Actorum Apostolorum, in quo scribitur, Philippum e septem Diaconis unum descendisse in Samariam et baptizasse multos; ad quos miserunt Apostoli Petrum et Joannem, qui quidem eo profecti imposuerunt manus iis, qui baptizati fuerant; et acceperunt Spiritum Sanctum, in nullum enim eorum adhuc descenderat.« Qui interim locus ex Actibus Apostolorum per Doctorem Graecorum Balsamonem incongrue ad absolutionem a peccatis applicatur, cum per Baptismum plena conferatur omnium peccatorum remissio, et citatus locus de collatione Sacramenti Confirmationis Episcopis propria intelligi debeat. — Sed et ipse novissimus codex Canonum Graecus Pidalion in Nota 1) ad Canonem XXXIX, SS. Apostolorum sequentia quoad hoc objectum tradit: »Propterea Presbyteri per literam Episcopi et voluntatem accipiunt ab Episcopo facultatem ligandi et solvendi: quia habentes hi interne in Sacerdotio potestatem comprehensam remittendi et retinendi peccata, per hanc facultatem et scripturam Episcopi obtinent adhuc et operationem hujus negotii spiritualis. Interim plures Episcopi non solum per scripturam, sed et per manuum impositionem creant spirituales Patres, quod est multo securius, et nullam inconvenientiam gignit. Quia manuum impositio est communicatio benedictionis, secundum Tarasium et Synodum VII. (Nota ad Can. VIII. et XXX.) et confert gratiam spiritualem; quia per impositionem manuum juxta Acta Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus, Veritati proinde conformiter imponunt Episcopi manus iis, quos Patres spirituales (Confessarios) constituunt, tam relate ad illorum sententiam, ex quibus est unus Simeon Thessalonicensis, qui dicunt per ordinationem non conferri simul potestatem ligandi et solvendi, sed soli Episcopi eam habent; quam etiam relate ad illos, qui asserunt potestatem in ordinatione acceptam per impositionem manuum Episcopi operativam reddi.« Ex quibus evidens est, aliquos ex Doctoribus Graecorum in ea esse sententia: per ordinationem non conferri Presbyteris simul etiam

potestatem ligandi et solvendi, idest remittendi et retinendi peccata, sed eam per distinctam ab ordine manuum impositionem debere per Episcopos conferri. Quae tamen sententia repugnat ipsi precationi per Episcopum in ordinatione Presbyteri adhiberi solita, quae est forma sacramenti, gratiae sacramentalis collatae effectus clare indicans, in quantum relate ad hanc facultatem indicta precatione §. priori citata haec occurrunt: „Adimple hunc, quem Presbyteri gradum subire voluisti, dono sancti tui Spiritus, ut dignus fiat populum tuum per lavacrum regenerationis secundae (sive poenitentiam, quae est lavacrum lacrymarum) remissionis peccatorum innovare.“ In qua opinionum Graecae Ecclesiae Doctorum diversitate soliditas doctrinae catholicae comprobatur, juxta quam Sacerdotes in ipsa ordinatione recipiunt potestatem absolvendi ex eo quod remissio peccatorum supponit qualitatem et potestatem supernaturalem, quae iisdem communicatur in sacramento Ordinis. Ast quoniam ejusmodi potestas exerceri debet per modum judicii, et judicium supponit jurisdictionem, seu subditorum assignationem, hinc illius potestatis exercitium dependet ab Episcopo, qui solus subditos assignat; ita ut absolutio a peccatis invalida sit, si absque jurisdictione tribuatur, excepto mortis articulo, quo Ecclesia ex lege omnibus sacerdotibus jurisdictionem impertitur.

## §. 146. Origo Parochiarum.

Cum numerus fidelium a prima praedicatione S. Petri, dum Hierosolymis tria millia hominum sancto Baptismate abluti Christi gregi adlecti sunt, in dies amplius multiplicaretur; qui perseverantes erant in doctrina Apostolorum et communicatione Sacramentorum, tam in ipsa civitate Hierosolymorum, propter multitudinem credentium, fideles in plures coetus distributi, quam et in singulis vicis in adjutorium Episcoporum Presbyteri praefecti sunt, qui temporibus persecutionis nominis Christi in privatis fidelium aedibus, vel in speluncis subterraneis coetus suos docebant, et sacramenta administrabant. Qui distincti coetus Parochiae, Presbyteri vero illis praepositi Parochi appellabantur. Cessante autem persecutione sub Imperatore Constantino Magno Gentilium templa christianis addicta, et Ecclesiae parochiales factae sunt. Multiplicatae sunt dehinc Parochiae per id, quod 1) Principes aliique Proceres capellas et sacella erigere coeperint, quae dein in parochiales ecclesias conversa fuerunt. 2) Constantinus Magnus partim ipse, partim alii ipso auctore templa in urbibus exstruxerunt. 3) Ob crescentem fidelium numerum et locorum distantiam Parochiae in plures dividebantur.

## §. 147. Notio Parochi.

Parochus est Presbyter, ad curam animarum in coetu fidelium, qui Parochia dicitur, ex officio exercendam Episcopi, vel superioris auctoritate constitutus. — Hinc ad notionem Parochi necessaria sunt sequentia: 1) ut habeat Presbyter ad id, ut sit Parochus fideles proprios, quorum curam spiritualem in determinato territorio parochiali gerat; 2) ut potestatem propriam, in quantum haec potestati delegatae et vicariae opponitur, animarum curam gerendi ab Episcopo sibi datam possideat; 3) ut sit subordinatus Episcopo, qui jurisdictionem Parochorum respectu exercitii limitare potest, si Ecclesiae utilitas id poscat.

## §. 148. Jus Parochorum Sacramenta administrandi.

„Sic nos existimet homo, ait S. Paulus Apostolus [1], ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.“ Hinc Sacerdotibus Parochis competit jus fidelibus Parochiae suae Sacramenta administrandi in specie 1) Sacramentum Baptismi, atque hinc jus servandi fontem baptismalem, et matriculam baptizatorum solis Ecclesiis parochialibus proprium est; 2) administrandi Sacramentum Eucharistiae tempore paschali, et porrigendi sacrum viaticum infirmis; 3) ad Parochum pertinet administratio Sacramenti Poenitentiae, in quantum Episcopus jurisdictionem pro propriis parochianis impertitur, tamquam pro subjecto exercendae potestatis ligandi et solvendi designato; atque in quantum quivis parochianorum Parocho proprio saltem semel per annum confiteri tenetur, sine tamen exclusione Episcopi, vel Sacerdotum, qui ab Ordinario ad excipiendas fidelium confessiones fuerint approbati; 4) administrandi Sacramentum extremae Unctionis; 5) jus assistendi Sacramento Matrimonii et quidem ita, ut in casu contrario Matrimonium illicitum sit; 6) jus Parochi est exigendi ab extraneis sacerdotibus, ut quivis sacrum Missae Sacrificium celebrare, aut sacram quamcumque functionem in Ecclesia parochiali peragere intendens ab eodem facultatem petere teneatur.

## §. 149. Jus praedicandi verbum Dei.

Parochis qua Sacerdotibus jus esse docendi seu praedicandi doctrinam christianam, ad quod gratiam sacramentalem in ordinatione accipiunt, superius § 144. demonstratum est.

Matthaeus Blastares apud Beveregium pag. 94. Syntagmatis Cap. VI. relate ad jus praedicandi Presbyterorum sequentia

[1] 1 ad Cor. C. 4. v. 1.

scribit: „Canon sanctorum Apostolorum LVIII. non solum Episcopum sed et Presbyterum populum sibi subditum dogmata ad rectam fidem et honestam vitam dirigentia docere jubet. Iis clamat Deus per Prophetam Ezechiel: si non denunciaveris, nec locutus fueris, morietur injustus in injustitia sua, ejus autem sanguis de manu tua requiretur. Magnus autem Paulus etiam Presbyterum sobrium, vigilantem, non pigrum, sermonem fidelem prout didicit amplectentem, et populum in salutari doctrina exhortare, et contradicentes refellere jubet. Ideo Presbyteris concessum est Episcopis adsistere, unaque sedere, utrisque enim curae est populi in melioribus profectus.“ Pidalion autem in nota ad Canonem citatum SS. Apostolorum addit: „Ideo et divinus Chrysostomus dicit, sermone 11. in Epistolam ad Timotheum: Non est magna distinctio inter Episcopos et Presbyteros, quoniam et Presbyteri acceperunt magisterium et curam Ecclesiae.“

## §. 150. Jus Parochorum omnes functiones rituales peragendi.

Functiones rituales, quas peragunt Parochi in ambitu suae Parochiae, sunt 1) purificatio mulieris post partum, seu introductio ejus in Ecclesiam; 2) benedictio aquae, carnium, ovorum, uvarum etc., atque palmarum, secundum ritum in Euchologio praescriptum; 3) ductus processionum; 4) sepultura parochianorum in coemeterio proprio. Praeter haec autem 5) promulgationes matrimoniorum intra ambitum Parochiae contrahendorum, item dierum festorum, jejuniorum, indulgentiarum a summo Pontifice, et ab Episcopis promulgari praeceptarum. 6) Confectio protocollorum parochialium baptizatorum, copulatorum et mortuorum, et expeditio pro his singulis instrumentorum publicorum. 7) Curae et inspectionis relate ad debitam administrationem proventuum Ecclesiae parochialis.

## §. 151. Jus exigendi convenientem sustentationem.

Jus ad convenientem Parochi sustentationem fundatur in sacris scripturis. S. Paulus ad Corinthios Cap. IX. v. 13: „Qui altari inserviunt de altari manducent, dignus est operarius mercede sua.“ Proinde Parochus habet jus exigendi sive a Patrono, sive a Parochianis seu utrinque honestam vitae sustentationem, omnesque proventus ad illum finem destinatos percipiendi. Huc referuntur 1) Jus exigendi a parochianis praestationes, in operis, frugibus, et pecunia consistentes, juxta cujusvis Parochiae contractum, consuetudinem et Patroni liberalitatem; 2) jus stolam a parochianis suis juxta ordinationes Episcopi, visitationis canonicae, aut consuetudinem exigendi.

## §. 152. Jura Parochorum, relate ad Scholam parochialem.

1) Parochus est immediatus superior, et Director Scholarum in ambitu propriae Parochiae existentium; 2) Parochus est ordinarius Docens religionis et Catecheta in Schola, juxta approbatos tamen per Episcopum Catechismos, aliosque religiosos libros docere obligatus.

## §. 153. Limites jurisdictionis parochialis.

Jurisdictionem parochialem certis limitibus circumscriptam esse opportet 1) nulli Parochorum licet in aliena Parochia, aut alienis parochianis sacras functiones peragere, nisi expressam vel tacitam concernentis Parochi facultatem possideat. 2) Jurisdictio Parochorum ad forum internum restricta est; quare non possunt Parochi poenas externas et censuras infligere, lites decidere, sed tantum componere, nec in Canonibus aut legibus ecclesiasticis dispensare, nisi quantum delegatione Episcopi, vel consuetudine iis nonnullis in casibus indulgetur: uti in legibus jejuniorum relate ad singulares personas, item ab operibus servilibus diebus festis.

## §. 154. De Parochis perpetuis et temporalibus.

Parochi perpetui sunt, qui relate ad suam Parochiam formalem Investituram et canonicam institutionem seu installationem ab Episcopo medio Decani districtualis obtinuerunt. — Est autem Investitura Litera Episcopi solemnis, qua Parochia jure proprio sub praesidio sacrorum Canonum possidenda confertur, cum episcopali mandato ad districtualem Protopresbyterum vel Decanum, ut investitum Parochum in officium et beneficium canonice introducat et installet; quae introductio et installatio debitis cum formalitatibus intra sacrorum solemnia perlecto episcopali mandato, traditione Evangelii et Clavium Ecclesiae, item extra Ecclesiam traditione omnium rerum ad Ecclesiam et Parochiam spectantium penes Inventaria ab utrinque et a repraesentante Patroni Ecclesiae subscribenda perficitur. Investitura autem tantum examinatis et per Synodale Examinatorium approbatis Presbyteris datur, qui intra duos menses a suscepto munere Parochi professionem fidei in manus Episcopi, aut hujus Vicarii deponere obligantur. Investiti Parochi sunt perpetui, idest sub praesidio sacrorum Canonum constituti, neque praeter viam juris, ac nonnisi processu canonico, et pronunciata per superiora quoque fora usque ad judicium summi Pontificis revisibili sententia ab Episcopo amoveri possunt. Parochi autem temporales sunt, qui Investitura carent,

proinde tantum nominales, Administratores Parochiarum pro tempore constituti ad nutum Episcopi amovibiles.

## §. 155. De Capellanis vel Cooperatoribus.

Cooperatores vel Capellani sunt Presbyteri Parochis in adjutorium dati propter fidelium et sacrarum functionum copiam, aut propter majorem Parochiae extensionem, vel propter debilitatem et infirmitatem Parochi. Cooperatores pro Parochis, vel loco Parochorum omnes functiones muneris parochialis e commissione Parochi peragunt, penes responsabilitatem relate ad regimen Parochiae ipsi Parocho incumbentem, responsabilitate Cooperatorem solummodo quoad propria facta manente.

Noverint autem Parochi, Cooperatores dumtaxat laborum suorum socios esse, neque ad commoditatem aut fovendam eorum incuriam et segnitiem datos esse; ut adeo Cooperatoribus licet provisi, principales operarii et pastores concrediti gregis parochialis illi sint, responsabiles Deo; beneficium enim datur propter officium, et nonnisi ipsis haud sufficientibus Cooperatorum opera utantur.

## §. 156. De Diaconis.

Ad Hierarchiam divina ordinatione institutam spectant etiam Diaconi, quod patet ex orationibus, quibus Ecclesia graeca ordinat Diaconos.

### Oratio I.

Domine Deus noster, qui destinatis ut Ministri fiant et illibatis tuis Mysteriis deserviant, sancti tui Spiritus copiam effundis, huic, quem in Diaconi Ministerium promoveri Tibi complacuit, gratiam Stephano Protomartyri tuo, in opus ministerii hujus a te primum vocato concessam largire.

### Oratio II.

Deus, Salvator noster, qui incorrupta tua voce, ministerii legem Apostolis tuis sanxisti, et Protomartyrem Stephanum ejusmodi renunciasti. — Ipse Domine servum tuum hunc, quem Diaconi ministerium subire voluisti, sancti, et vivifici tui Spiritus adventu, omni fide, et charitate, et virtute, et sanctificatione adimple.[1])

Cui vivae Traditioni insistentes Patres Synodi Neocaesariensis, originem et institutionem Diaconorum a primis Diaconis ab Apostolis ordinatis repetentes, Diaconos tantum septem esse

---

[1]) Vide Rituale Episcoporum Archiereaticon in ordin. Diaconi Goar. pag. 208. et 209.

debere, quantumcunque magna esset civitas Canone XIV. statuerunt. Quod et Romae observatum est teste Sozomeno Libro 7. Hist. C. 19. his verbis: „Diaconi apud Romanos hactenus non plures sunt quam septem, ad similitudinem eorum, qui ab Apostolis ordinati sunt.“ Quia autem Ecclesia Constantinopolitana etiam 100. habebat Diaconos, Concilium Trullanum, ut evitaret observantiam praeadducti Canonis Concilii Neocaesariensis, Canone suo XVI. originem Diaconorum non a septem Diaconis per Apostolos ordinatis[1]) repetendam esse docuit his verbis: „Quoniam Actuum Liber septem Diaconos ab Apostolis constitutos esse tradit, Neocaesariensis autem Synodus in a se editis Canonibus aperte disseruit, quod septem debent esse Diaconi ex Canone, etiamsi valde magna est civitas; ex libro autem Actuum Apostolorum persuadeberis: nos, cum dicto apostolico Patrum mentem adaptassemus, invenimus eos locutos esse non de viris, qui ministrant Mysteriis, sed de ministerio, quod in usum mensarum adhibebatur, seu pauperum.“ Ex quibus patet, quod Concilium Trullanum adducto Canone in fidem totius Ecclesiae Ritu ordinationis Diaconorum, quorum origo a septem Diaconis primis deducitur, expressam impegisse, cui et novissimus Codex Canonum Graecus Pidalion contradicit nota 1) ad Canonem XVI. Synodi Trullanae sequentibus: „Hinc, idest hoc Canone decepti, aliqui dicunt, istos (septem Diaconos, qui in Actibus Apostolorum occurrunt) non oportere pingi qua Ministros Mysteriorum cum thuribulo, cum sticbario, et orario. Quoniam vero S. Ignatius in Epistola ad Trallianos memorat, quod Archi-Diaconus Stephanus ministrabat ad altare Jacobo fratri Domini, atque Cap. 4. et 46. Libri 8-i Constitutionum apostolicarum, etiam illi septem Diaconi, inter quos et Stephanus, cum Presbyteris et Episcopis qua Ministri Sacramentorum numerantur, conveniens omnino est, ut qua Ministri Sacramentorum pingantur.“

## §. 157. De Officio Diaconorum.

Diaconorum officium est praedicare; id patet ex Canone Apostolorum XXXVI.: „Siquis Diaconus non suscipiat Ministerium et curam sibi commissam populi, sit segregatus donec eam susceperit.“ Quem Canonem Balsamon sic interpretatur: „Siquis Diaconus ad docendum pertinentem manuum impositionem acceperit, et suum munus non impleat, segregetur.“ Alterum munus Diaconorum est baptizare, in quem finem et Diaconissarum ordo institutus est. Philippum quoque Diaconum baptizasse Actus Apostolorum testantur. Denique munus Diaconi est ministrare in celebratione Mysteriorum, imprimis in oblatione Sacrificii Sacerdoti.

---

[1]) Actus Apostolor. C. 6. v. 1.

## §. 158. De Officio Diaconorum recipiendi poenitentes.

Canon Apostolorum LII.: „Siquis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, eum, qui a peccatis convertitur, non recipit, sed ejicit, deponatur."

Balsamon ad hunc Canonem observat: „Nota ergo ex praesenti Canone, non solis Episcopis et Sacerdotibus concessum est hominum confessiones audire et peccata remittere, sed etiam Diaconi cum Episcopali permissione confessiones audiunt." S. Cyprianus autem ob persecutionem Carthagine absens scribit de reconciliatione lapsorum: „Si exitus urgere coeperit (idest poenitentes lapsi in agone constituti fuerint) non exspectent praesentiam nostram, sed apud Presbyterum vel etiam Diaconum exomologesim suorum peccatorum faciant, ut manu eis in poenitentiam imposita transeant ad Dominum in pace." Errasse tamen Balsamonem ex eo patet, quod citato Canone sicut etiam adducto S. Cypriani eloquio non sit sermo de confessione et absolutione sacramentali, sed de receptione lapsorum, qui post baptismum idolis sacrificarunt, in communionem Ecclesiae, contra Novatianum haereticum, qui dixit: „Plange et lacrymas funde, et diebus ac noctibus ingemisce, et pro abluendo, et purgando delicto tuo largiter et frequenter operare, sed extra Ecclesiam post ista omnia morieris; quaecunque ad pacem pertinent facies, sed nullam pacem, quam quaeris, accipies."

Hodie Diaconi ministrant ad altare, et in sacris functionibus Sacerdotibus; item verbum Dei annunciant; non baptizant autem nisi in casu necessitatis ideo, quia juxta ritum orientalem confirmationis quoque Sacramentum simul cum baptismo confertur, cujus Ministri Diaconi esse non possunt. Diaconi solent imprimis esse penes Ecclesias Cathedrales, alias in solemni sacrorum celebratione Presbyteri Diaconorum vices obeunt.

## §. 159. De Diaconi sessione, honore, et gradu inferiori.

Canon XX. Concilii Laodiceni praescribit: „Non oportet Diaconum ante Presbyterum sedere, sed sedere cum jussu Presbyteri. Similiter etiam Diaconis haberi honorem a Ministris et omnibus Clericis oportet." Quoad gradum inferiorem vero, Canon XVIII. Concilii Nicaeni I. sequentia exprimit: „Pervenit ad sanctam Synodum, quod in nonnullis locis ac civitatibus Diaconi dant Presbyteris Eucharistiam, quod neque Canon neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent corpus Christi. — Diaconi intra suas mensuras permaneant, scientes, quod sint quidem Episcopi Ministri Presbyteris vero minores. Accipiant autem suo ordine Eucharistiam

post Presbyteros, eis praebente Episcopo, vel Presbytero. Sed nec in medio quidem Presbyterorum liceat Diaconis sedere. Siquis autem non vult obedire, etiam a Diaconatu desistat.«

# CAPUT IX.

## DE REGULARIBUS, SEU INSTITUTO MONACHORUM.

### §. 160. Nexus cum praecedentibus.

Regularium, seu Instituti Monachorum in jure publico ecclesiastico ideo sermo fit, quia Religiosi, seu Monachi distinctis superioribus Ordinis sui subsunt, qui in eos ordinariam ratione vitae monasticae exercent jurisdictionem.

### §. 161. Origo Regularium seu Monachorum.

Evangelium Christi, hominis a Deo ad imaginem et similitudinem suam creati ultimam destinationem infinitam esse beatitatem, aeternam DEI intuitionem et fruitionem, clare docet; quam homo peccato protoparentis Adae infectus, per Christum autem Salvatorem redemptus, aut per custodiam innocentiae et justitiae originariae in Baptismo recuperatae, aut vero siquis innocentiam peccato actuali commisso amisisset, per secundum lavacrum lacrymarum, idest per veram poenitentiam et ope hujus per sanctificationem promereri potest, dicente S. Paulo Apostolo: »Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam aeternam.« Ex his religionis Christianae principiis, atque ex metu extremi judicii et damnationis, poenarumque aeternarum, homines salutis suae studiosi super omnia habentes animam pretioso sanguine Filii DEI redemptam salvare, abnegantes saeculi desideria, et separati a mundo, asylum in solitudine quaesiverunt partim ad innocentiam baptismalem custodiendam, partim vero ad amissam per peccatum justitiam per veram et continuam poenitentiam eo securius et certius recuperandam; ideo ad eremum secesserunt, unde et Eremitae, et Monachi a solitudine vocabantur, quorum primi Paulus Thebanus, et Antonius nominantur. Saeculo IV. Pachomius socios a solitaria vita ad communem sequendam induxit, eoque permovit, ut locis quidem solitariis verum non dispersi prout usque tunc, sed in distinctis cellulis penes invicem constructis, quae Mandrae dicebantur, dein in uno aedificio sub unius superioris mandato, qui Archi-mandrita sive mandris praepositus, aut Hegumenus superior erat, vitam agerent; indeque dicti coenobitae, et domus in qua degebant, Coenobii

nomen accepit. Coenobitarum magnus promotor erat S. Basilius, qui eos ad vicos et urbes induxit: nomen tamen Monachi illis proprium mansit, Coenobiaque illorum Monasteria dicta sunt. — Non tantum viri autem, verum et sexus muliebris hoc vitae genus jam in exordio religionis christianae elegit, quae Moniales vocatae, temporibus S. Athanasii frequentes fuisse constat, quas idem sanctus vir celebrabat dicendo: „Vitam Monialium argumento esse apud nos dari veram religionem.“ Ecclesia vero Monasticam vitam vel statum monasticum perfectiorem esse declaravit, utpote qui non solum praeceptis, sed etiam consiliis evangelicis sequendis occupatur. Sunt autem consilia evangelica: paupertas voluntaria, castitas perpetua, et obedientia in Christo perfecta.

In Orientali Ecclesia Monachi sunt vel Antoniani, qui Antonii, vel Pachomiani, qui Pachomii, imprimis vero Basiliani, qui S. Basilii regulam sequuntur.

## §. 162. Institutum Monachorum per Canones ecclesiasticos regulatum.

Christiani pietate et timore Dei illustres, partim ut sibi pietatis receptacula conderent, partim in redemptionem ut credebant animarum suarum, ut continuae in Monasteriis pro ipsis preces et Sacrificia offerantur, temporales suas facultates ad exstruenda et dotanda Monasteria converterunt; quae Ecclesia una cum ipso Monachorum Instituto sub suam protectionem constituit, atque Canonum auctoritate firmavit.

## §. 163. De aedificatione Monasteriorum.

Juxta Canonem 4. Synodi VI. Monasterium, vel oratoriam domum aedificare praeter Civitatis Episcopi sententiam permissum non est. Juxta Canonem 24. Synodi IV. et 49. Synodi VI.: Quae semel Monasteria juxta Episcopi voluntatem consecrata sunt, tamquam quoddam fundamentum infragile, perpetuo manere Monasteria statutum est; et res, quae ad ea pertinent, non alienandas servari, eaque non amplius fieri saecularia habitacula. Eos autem, qui hoc non observant canonice puniri, sacratos quidem depositioni subjiciendos esse, laicos vero segregationi, idest excommunicationi.

## §. 164. Ingressus in Monesterium per Canones restrictus est.

Concilii Gangrensis Canon XIII. anathemate ferit illos, qui liberos suos piae exercitationis praetextu nulli curant, et in iis, quae ad religionem, reliquasque virtutes pertinent, minime

erudiunt, imo neque vitae necessaria illis praebent; quasi maximi fecerint exercitationem et pietatem, et haud poterant in saeculo salutem adipisci. Dicit enim S. Paulus: „Siquis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem iste negavit, et est infideli deterior.“ Ejusdem autem Synodi Canon XIV. liberos quoque anathemate dignos pronunciat, quotquot exercitationis praetextu parentes suos honore non prosequuntur, neque eos in senectute alere volunt, sed inopes illos deserunt. Pietatem tamen erga Deum esse praeferendam, si quando parentes infideles ad suam infidelitatem filios pertrahere conentur. Porro Canon X. ejusdem Synodi: „Siquis, ait, eorum, qui propter Dominum virginitatem servant, adversus conjugatos se extollat, anathema esto.“

Secus Canon 43. Concilii VI. concedit cuivis Christiano, etiamsi graviter deliquerit, statum monachicum ingredi, qui vitam poenitentialem nobis repraesentat; nam, velut columna quaedam poenitentiam exsterno habitu, victu, moribusque exprimit, atque nosmet ejus semper memores praestat. Neque vero aut delictorum multitudo, aut etiam magnitudo desperationem nobis creet; neque modus vivendi cuiquam obstet quominus hunc tam gratum Deo scopum attingat; dixit enim Salvator noster: „Illum qui venit ad me neutiquam ejiciam foras.“

## §. 165. De aetate ingredientium Monasteria.

Canon 40. Concilii VI. praescribit: Quoniam Deo haerere per secessum ex vitae strepitu, valde est salutare, oportet nos non sine examinatione eos, qui vitam monasticam eligunt, non intempestive admittere; sed nos a Patribus traditum decretum in iis quoque servare, ut vitae secundum Deum professionem, ut jam firmam et a scientia et judicio factam tunc admittamus post rationis complementum, seu aetatem completam pro ingressu in ordinem religiosum, quam aetatem necessariam, praescribere ad Ecclesiam spectat. Qui ergo monachicum jugum est subiturus, ne sit minor quam decem annos natus, ejus quoque rei examinatione in Praesulis arbitrio sita, an augeri tempus conducibilius existimet, ad introductionem et constitutionem in vita monastica. Juxta Canonem autem XIX. Synodi VII. pro pecunia quempiam ad Monasterium suscipere vetitum est.

## §. 166. Tempus probationis, seu Novitiatus.

Concilium Constantinopolitanum Canone V. quoad tempus probationis statuit; ut nemo ad statum monachicum recipiatur, nisi triennale tentamen subierit, semetque dignum exhibuerit, praeterquam si gravis morbus tempus abbreviaverit; viro autem religioso, qui in mundanis agens vitam monasticam duxit, sufficiunt sex menses pro tentamine. Monasticum statum ingressu-

rum autem Dioecesanus Episcopus percontetur, num absque uxore esse possit, et palam profiteatur, ut in casum renitentiae censuram subeat. S. Basilius Can. 19.

Juxta praesentem disciplinam autem ad professionem monasticam nullus ante annum 16-tum aetatis admittitur. Ut vero professio valida sit, debet fieri ab individuo habili, professionem enim emittere nequeunt usu rationis destituti; neque licite ad professionem admitti possunt aere alieno gravati, nisi creditoribus prius satisfaciant; poenarum publicarum rei, ne poenas effugiant: Episcopi confirmati sine licentia Pontificis, vinculi enim, quod inter eos et Ecclesiam eorum intercedit, solutio Sedi Apostolicae reservata est; juncti Matrimonio consummato, nisi aut ambo claustrum ingrederentur, aut una parte ingrediente, altera continentiam voveat.

## §. 167. De Episcopo statum monasticum amplectente.

„Asceterium ingressus Episcopus ad tramites tamen sacrorum Canonum et solemni emissa professione postmodum amplius non gaudeat dignitate episcopali, nec prioribus fungatur functionibus, neque Primatum exerceat; votum enim monasticum est obsequium discendi non autem docendi, neque primatum exercendi aut pascendi, verum pastoratum observandi. Quodsi vero quisquam Episcoporum talium contrarium facere praesumpserit, quum ipse semet priori dignitate spoliaverit, ad priorem gradum neutiquam revertitur, cui ipso facto renunciaverat, verum permaneat in statu poenitentiae.“ (Conc. Constantinopolitanum in S. Sophia C. 2.)

Ex Monachis vero possunt promoveri ad Episcopatum, imo de praesenti in Ecclesia Graeca e Monachis fiunt Episcopi propter solemne votum continentiae et majorem perfectionem, quae statui monachali prae saeculari adscribitur. In Dioecesibus vero graeco-catholicorum plerumque eliguntur Episcopi e Capitularibus coelibes, aut vidui, qui Religiosos regulares penes cathedrales Ecclesias repraesentant, imprimis, quod qua Senatores Episcoporum in negotiis gubernationis dioecesanae versati sint, et secus quoque viri tam eruditione insignes, quam etiam probatae vitae, et in tractandis rebus publicis dexteritate pollentes ad Capitula assumi soleant; inde Capitula Episcoporum Seminaria vocantur. Posset tamen Episcopus eligi, si idoneus sit, etiam si non sit e Capitularibus.

## §. 168. De Electione superioris Monasterii.

Archimandritam, aut Hegumenum in unoquoque Monasterio constituendum non quidem juxta respectum gradus monachalis aut senioratus, verum quem omnes Monachi consensu suo pru-

dentissimum elegerint, ad observandum jugum monasticum omnemque disciplinam idoneum per dioecesanum Episcopum benedicendum, quod etiam de Abbatissa sciendum est.[1])

## §. 169. Praelatorum Regularium officia generalia.

Praelati Monachorum Archimandritae, et Hegumeni tenentur 1) continuo in Monasteriis residere, nec diu a suis abesse; 2) regulari disciplinae invigilare; errata suorum paterne corrigere, sancto exemplo praelucere; 3) inter suos studia bonarum artium, literarum, scientiarum, et quasvis honestas exercitationes promovere; 4) bona Monasterii per se et constitutos oeconomos prudenter administrare; 5) jura Monasterii sarta, tectaque servare: 6) suis de convenienti victu et vestitu studiose providere; 7) curare sedulo, ut chori, missarum, anniversariorum etcet. obligationibus fiat accurate satis, etregula instituti ab omnibus servetur; 8) consilium seniorum, aliquando totius congregationis exquirere.

## §. 170. Dotes Superioris Monasterii.

Dotes Superioris Monasterii, celebris cujusdam Monasterii Monachi in hunc modum depinxerunt: Optabamus veritatem et concordiam cum Archimandrita nostro habere, et misericordiam et familiaritatem, pietatem et modestiam in illo sentire; ut esset benignus infirmis, propitius delinquentibus, affabilis fratribus, moestorum consolator, laborantium adjutor, benevolorm auxiliatur, benecertantium hortator, lassorum refocillator, cedentium sustentator, cadentium restaurator; omnes fratres amaret, nullum odiret, nullum zeli aut livoris dolo persequeretur; fieretque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obstinatus in consilio; sed hilaris facie, laetus mente, discretus in opere, consentiens in utilitate, et quando aliquis ex fratribus praeoccupatus fuerit in aliquo delicto, non statim tyrannica vindicta eum excruciaret, sed misericorditer disciplina corrigere festinaret, conversumque clementer susciperet, nec prava suspicione denuo ipsum fatigaret, neque perpetuo odio exterminaret.[2])

## §. 171. Monachi sunt jurisdictioni Episcopi subordinati.

Concilium oecumenicum IV. Canone 4., et Carthaginense Canone 81. statuit: „Monachi obtemperent suo dioecesano Episcopo, atque a Monasterio, in quo tonsuram susceperunt, aliorsum non commigrent, praeterquam si Episcopus jusserit eos in

[1]) Vide Joannovits Jus Eccl. orthod. Neoplantae p. 128.
[2]) Vide Schenkl Jus Eccl. Tomo I. pag. 512.

aliorum emolumentum exire, eant.“ Porro commune Directorium pag. 578: Monacho non Presbytero, absque manuum impositione episcopali in ambone legere aut canere non licet; altare autem subintrare concessum in honorem status monachalis.

## §. 172. De utilitate Instituti Religiosorum seu Monachorum.

Institutum Monachorum seu Religiosorum non est ad otiosam, sed ad laboriosam vitam „si quis vult post me venire abneget semetipsum ait Christus, tollat crucem suam et sequatur me; item, Esto fidelis (certator) usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.“ Christus ipse secessit ad montem, ut solus cum Patre coelesti in oratione transigeret, exemplum factus, quod discipuli ejus imitentur; non mirum igitur viros sublimioris perfectionis studiosos, omni tempore, inter quos et Episcopi, prout S. Augustinus et S. Martinus Turonensis, memorari merentur, a saeculi strepitu ad solitudinem, ad asceterium monasticum confugisse, ut sine impedimento servirent Deo, sapientiam, quae in cruce Christi est meditarentur, atque per meritum assiduae et indesinentis orationis juxta S. Paulum: „Sine fine orate,“ quae etiam in statui conformi vita, operibus meritoriis, et sancta occupatione se manifestaret, superne illuminati ipsis Regibus et Principibus terrae sapientiae consilia darent, et sic tam Ecclesiae quam Civitati plurimum prodessent. Claustra fovebant scientias, collegerunt bibliothecas, antiquitatisque monumenta; aperuerunt scholas, agrorum, artium, et scientiarum culturam promoverunt, mitiores christianos mores propagarunt, Evangelium usque ad fines terrae praedicarunt, sanguinem pro nomine Christi profuderunt; exemplo severioris vitae, spiritu coelesti, et obedientia populis praelucentes Monachi eosdem in obsequio legum tam ecclesiasticarum quam civilium continuerunt; quae emolumenta tam Ecclesiae, quam et societati civili hodie quoque Religiosi praestant, et praestabunt usque ad finem temporum. Et si quidam e Religiosis, vocationis suae immemores exstiterunt, eique contradixerunt, et egerunt, qui tamen proportionem Judae non faciunt, illud est demeritum singularium Monachorum personale, non vero status et Instituti Monachorum, cui nec ipsi quidem Ecclesiae Catholicae adversarii meritum et utilitatem abnegare praesumunt, quin imo etiam inviti in laudem ejus confessiones emittunt; — ex quibus liceat unum, eumque ingeniosissimum et eruditissimum sui temporis protestantem Leibnitium adferre, qui in suo Systemate Theologiae Monachorum Institutum sequentibus encomiis prosequitur: „Itaque fateor mihi, scribit ille, Religiosos ordines, piasque confraternitates ac societates, aliaque hujusmodi laudabilia instituta, mire probata fuisse; sunt enim quasi coelestis quaedam militia in terris, si modo remotis depravationibus et abusibus secundum instituta fundatorum

regantur, et a summo Pontifice in usum universalis Ecclesiae temperentur. Quid enim praeclari, ut esse potest, quam lucem veritatis per maria, et ignes, et gladios, et ad remotas gentes ferre, solamque animarum salutem negotiari, interdicere sibi varias illecebras, atque ipsam jucunditatem colloquii et convictus, ut contemplationi abstrusarum veritatum, ac divinae meditationi vacetur; dedicare sese educationi juventutis ad spem doctrinae ac virtutis; miseris, desperatis, perditis, captivis, damnatis, aegrotis, in squalore, in vinculis, in remotis terris auxilium ferre, atque adesse, ac ne pestis quidem metu ab effusae charitatis officio deterreri; quicunque haec ignorant, aut spernunt, hi nihil nisi plebeum et vulgare de virtute sapiunt, et hominum obligationem erga Deum, qualicunque obitione solemnium et frigida illa consuetudine vivendi, quae vulgo sine zelo, sine spiritu in animis regnat, inepte metiuntur."

# SECTIO II.

## JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM EXTERNUM.

## CAPUT I.

### DE MUTUO ECCLESIAE ET CIVITATIS NEXU, ET UTRIUSQUE POTESTATIS FINIBUS GENERATIM.

#### §. 173. De destinatione hominis, seu scopo creationis ejus.

Homo creatus est ad imaginem et similitudinem Dei, ergo ad immortalitatem et infinitam beatitatem; amisit eam per peccatum, sed facta est ipsi possibilis, seu homo capax redditus est ejus per Christum Redemptorem, qui pro hominis infinita beatitate affixus est cruci, ut hominem reconciliaret Deo, et ad primam creationis ejus conditionem reduceret. Homo ergo in hac terra peregrinatur ad patriam coelestem, ad quam per mortem intraturus est, si imaginem et similitudinem Dei, quae in sanctitate et justitia consistit, inter continuas pugnas cum inimicis salutis constanter reportata victoria custodivit; aut amissam justitiam per cooperationem gratiae ex merito Christi infinito promanantis recuperavit. Proinde destinatio hominis in hac terra sanctificatio sui est, finis autem vita aeterna, dicente S. Paulo Apostolo in Epistola ad Romanos Cap. VI. v. 22. „Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam."

## §. 174. Institutum Sanctificationis hominis est Ecclesia.

Jesus Christus Deus, media sanctificationis hominis ad infinitam beatitatem consequendam dispensanda, Ecclesiae a se institutae, prout Sectione I. operis hujus demonstratum est, concredidit. Unde S. Augustinus (de unit. Eccl. C. 19.) inquit: „Ad ipsam salutem ac vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia." Quo etiam in sensu S. Cyprianus (Epist. 62.) loquens de his, qui sunt extra Ecclesiam haec habet: „Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit."

## §. 175. Institutum ad securitatem hominis, ut mediis Sanctificationis sui quiete, uti possit, est societas civilis.

Homo ex dispositione Dei in societatem coaluit, cujus scopus est securitas externa hominis, mutua defensio, mutuum adjutorium, ut homines imperturbate et quiete salutem suam operarentur, et destinationem suam ultimam mutuo adjutorio et aedificatione assequerentur; ideo homo membrum est societatis civilis, et subjectus Regimini hujus societatis, cujus scopus securitas est, et temporalis felicitas.

## §. 176. Ecclesia et Civitas diversos quidem fines proximos habent, ad ultimam tamen hominis destinationem concurrunt.

Finis Ecclesiae sanctificatio hominis ad vitam aeternam; finis autem Civitatis securitas et temporalis felicitas, quae tamen ultimae hominis destinationi et fini consequendo non obstet, sed ejusdem assecutionem adjuvet. Quod rara sapientia Augustissimus Imperator Austriae Franciscus Josephus I. his nunquam obliterandis verbis expressit[1]: „Propositum mihi est, ut subditi mei ita bonis temporalibus abundent et fruantur, ut non amittant, sed consequantur aeterna."

## §. 177. Religio Christiana divinam constitutionem societatis et Imperii Civilis constabilivit.

Jesus Christus generis humani Salvator societati et Imperio civili divinam sanctionem dedit doctrina et exemplo. Matth. C.

---

[1]) Responsum Collegio Episcoporum ad finem Conferentiarum Viennae 1856. habitarum.

22. v. 21. „Date, quae sunt Caesaris Caesari." — Ipse divinus magister exemplum factus, se omnibus legibus civilibus subjecit, eas observavit, tributum solvit, ac Pilato potestatem in se desuper datam esse Joannis Cap. XIX. v. 11. confessus est. Apostoli divini Magistri Jesu doctrinae insistentes, Imperium civile ad praestandam temporalis vitae securitatem a Deo constitutum esse, Imperantem Dei Ministrum, et qui debitam obedientiam Magistratibus non praestant, Deo resistere docuerunt. S Paulus in Epistola ad Romanos Cap. XIII. v. 1. docet: „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. V. 2.: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt. V. 3. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali, vis autem non timere potestatem, bonum fac, et habebis laudem ex illo. V. 4. Dei enim Minister est tibi in bonum, si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram illi, qui facit malum. V. 5. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. V. 6.: Ideo enim et tributa praestatis, Ministri enim Dei sunt in hoc Ipsum servientes. V. 7. et 8.: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum legem implevit. Quam dilectionem in Epistola 1-a ad Corinthios Cap. XIII. a versu 4. sic describit: Charitas patiens est, benigna est; charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet." Quam doctrinam si omnes cives observarent, vere felicitatem quoque terrestrem consequerentur; adeoque tanto perfectior est status societatis civilis, quo magis ejus membra Christianam doctrinam et praecepta observant; eo feliciores subditi et Imperantes: horum enim sollicitudo minor, subditi autem a communibus calamitatibus, quas renitentes et malitiosi cives procurant, propter quos etiam tributa majora sunt, liberantur. Apertus autem est omnibus liber Sacrarum Scripturarum, ex quo omnes cives divinam vitae terrestris, ut felices sint, sapientiam haurire possunt. Audiant S. Paulum ad Titum C. III. v. 1. scribentem: „Admone illos Principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus datum paratos esse." Sanctus Petrus quoque Apostolorum Princeps eandem doctrinam tradit in sua Epistola I. Cap. II. v. 13. et sequentibus dicens: „Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi quasi praecellenti, sive Ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei." S. Paulus, orationes pro Regibus et Magistratibus fieri praecipit: I. ad

Timoth. Cap. II. v. 1—3 scribens: „Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo." Idem Apostolus, in Epistola ad Hebraeos, Cap. XIII. v. 17.: „Obedite Praepositis vestris et subjacete illis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: hoc enim non expedit vobis." Unde patet subjectionem et obedientiam Principibus absolutum officium esse illudque religiosum officium cujuslibet hominis, qui mandatum Dei omnem creaturam obligat, inobedientia vero, et resistentia Principibus et omnibus superioribus peccatum est, quod conscientiam ipsam coram Deo afficit. Nisi quid praecipiatur quod Religioni adversum esset, tunc enim Deo magis obediendum est quam hominibus.

## §. 178. Ecclesia et Civitas relate ad proprium finem est potestas distincta, per se subsistens, atque summa.

Sicut sanctificatio hominis ab externa securitate et felicitate terrestri discrepat, ita Ecclesia et Civitas diversae sunt societates, ad distinctos fines per propria cuilibet media assequendos, per ipsum Deum institutae. Hinc quaelibet potestas in sua sphaera est summa, sive ab alia independens; unde corollarium: nec Civitas in Ecclesia, nec Ecclesia est in Civitate, quamvis eadem membra essent Ecclesiae et Civitati communia. Ergo Rectores Civitatis qua membra Ecclesiae considerati individualiter subsunt potestati ecclesiasticae relate ad sanctificationem suam et officia religionis subjectiva. Sed et Rectores Ecclesiae qua membra Civitatis, relate ad obligationes suas civiles, potestati civili subsunt; „omnis anima, inquit S. Paulus Apostolus, potestatibus sublimioribus subdita sit."

## §. 179. Deus Ecclesiam, et Civitatem ita instituit, ut una aliam in assequendo proprio fine adjuvet.

Ecclesia qua Institutum ad sanctificationem hominum, quae docet, etiam obligationes civiles propter conscientiam adimplendas esse, et neglectum earum inficere animam, potentissime adjuvat consecutionem finis Civitatis; sed non secus et civitas, in quantum abusus libertatis hominis propter proprium finem suum, sive securitatem coercet, simul etiam Ecclesiae finem adjuvat: et quoniam Civitas ipsa conscia est sanctionem ultimam consistentiae suae a religione habere, Civitas, nisi proprio fine fru-

strari velit, necessario respectum religionis et regiminis ecclesiastici, per idoneas, religiosam convictionem et officia religiosa suorum subditorum respectantes leges, et per debitam Ecclesiae praestandam assistentiam sustentare non tantum debet, verum etiam adimpletionem officiorum religionis fovere; cum alioquin homines eo scopo ex ordinatione Dei in societatem coaluerint, ut non modo non impediantur in consequenda sua ultima destinatione, sed potius, ut ipsa societas civilis, proxime quidem securitatem et terrestrem felicitatem curet, ultimo tamen ipsa etiam Civitas ad eandem ultimam humanitatis destinationem et finem contendat; ideoque, cum tam Ecclesiae sanctum sit quod Civitas intendit, quam Civitati summum bonum sit quod Ecclesia operatur, necessario inter Ecclesiam et Civitatem tam amicum foedus obtinet, quemadmodum inter animam et corpus intimus nexus existit pro eodem fine, idest, plena felicitate totius hominis cosequenda.

## §. 180. Limites utriusque sacrae et civilis Potestatis.

Potestas Ecclesiae ad sacra, Civitatis vero ad temporalia restricta est; et quemadmodum Princeps non potest cum suis Consiliariis dogmata religionis definire, aut sacramentorum digne conferendorum conditiones praescribere; ita potestas ecclesiastica non potest leges mere civiles in regnis ac provinciis seculari imperio subjectis determinare; generatimque legislationem utriusque societatis ecclesiasticae et Civilis finis utriusque proprius determinat, ad quem consequendum utrique societati plena competit activitas, ultra quam excedere neu trilicet, nisi quod Ecclesia jus exigendi habeat, ne potestas civilis in persequendo suo scopo seu fine societatis civilis religionem et conscientiam suorum subditorum quavis ratione offendat. Quia autem idem homo membrum est et Ecclesiae, et Civitatis, actiones eorumdem utrique societati communium subjectorum utramque societatem quoad effectum concernunt, ad collisionem inter utramque potestatem evitandam, Canonistae certas regulas limites potestatis ecclesiasticae et civilis determinantes statuunt, et quidem: 1) de actibus hominum ecclesiasticis, quantum sunt membra Ecclesiae, ad salutem suam et sanctificationem operandam, sola ecclesiastica potestas disponere potest, atque jure gaudet subjectos sibi fideles ad eosdem actus ponendos et generatim ad legum ecclesiasticarum observantiam non tantum persuadendi, sed etiam sibi propriis mediis cogendi, prout discimus ex Bulla Pii VI. „Auctorem fidei“ V. Kal. sept. 1794. Nr. IV.: „Propositio affirmans: Abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae et morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persausione et corde, tum etiam

multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis: — quatenus in determinatis illis verbis extendendo ad res exteriores notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda: Haeretica; num V.: Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem suis decretis subjectionem exigendi aliter quam per media quae pendent a persuasione, — quatenus intendat, Ecclesiam „non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi, - inducens in Systema alias damnatum ut haereticum.[1])" 2) de actibus pure civilibus disponit auctoritas civilis, quae mediis coactivis sibi propriis, ea quae fini civitatis congrua judicat, in effectum deducit. 3) De actibus mixtis, quorum effectus ecclesiastici a civilibus separabiles sunt, quoad effectus ecclesiasticos Ecclesia, quoad civiles autem Civitas disponit; sic in Matrimonio quoad vinculum inter conjuges Ecclesia, quoad jura autem civilia conjugum et successionem ac hereditatem prolium, civitas disponit. 4) Relate ad actus mixtos, quorum effectus ecclesiastici a civilibus inseparabiles sunt, distinguendum est, an de objecto essentiali finem Ecclesiae respiciente, aut vero de accidentali sermo sit; sique est objectum, circa quod actio ponitur, essentiale, de quo Ecclesia judicat, Ecclesia disponit, cum illud commodum civitatis impedire non possit: si vero de accidentali objecto quaestio fiat, Ecclesia quidem disponit, ita tamen, ne talia constituat aut ordinet, quae Imperans civilis, ad quem spectat de hac re judicium ferre, velut nociva civitati censet. 5) Actus illi pure ecclesiastici, qui ad finem civitatis mediate solum influunt, non obstante hoc influxu, dispositioni potestatis ecclesiasticae subjiciuntur, et Imperans civilis de similibus objectis cum judicio Ecclesiae, juribus potestatis ecclesiasticae conformiter disponit. Etenim actus tales ex supposito unice in tantum civitatis finem adjuvare possunt, in quantum Ecclesiae finem promovent. Non secus autem 6) de actibus pure civilibus illis, qui promovendo bonum civitatis mediate finem etiam Ecclesiae adjuvant, solius Imperantis civilis est disponere, quia ad hunc solum spectat dijudicare quidnam fini Civitatis conveniat, specialiter autem limites utriusque potestatis ad evitandas collisiones positivis etiam legibus et conventionibus inter utramque potestatem ecclesiasticam nempe et civilem ad concordiam initis, unde tales conventiones etiam Concordata vocantur, determinari solent. Pro Imperio Austriaco vide Concordatum 1855. initum.

---

[1]) Ex Bened. XIV. in Brevi „ad Assiduas" anni 1755. Primati, Archi — et Episcopis Poloniae.

# CAPUT II.

## DE RELATIONE IMPERANTIS CIVILIS AD ECCLESIAM.

### §. 181. Obligatio Imperantis quoad doctrinam, et disciplinam Ecclesiae.

Quemadmodum Ecclesia potestati civili adsistit religiosum obsequium legibus civilibus, et potestati civili a suis fidelibus exigendo, ita Princeps aut potestas civilis Ecclesiae adsistere debet; hinc obligatio ejus est 1) ut Rectoribus Ecclesiae in enuncianda Ecclesiae doctrina et legibus ecclesiasticis eidem doctrinae conformibus ferendis libertatem et auctoritatem sartam tectamque servet; 2) ut definitiones et decreta eorum tum exemplo suo, tum legum civilium efficacia sustentet; 3) ut Doctores religionis ad rite fungendum suo officio mediis sibi propriis urgeat; 4) ut doctrinam Catholicae religioni et Ecclesiae decretis contrariam pro Catholicis doceri prohibeat; 5) ut libros verae religioni proinde etiam statui perniciosos proscribat et exterminet; 6) ut religionis oppugnatores, aut legum ecclesiasticarum contemptores compescat; 7) ut dissidia circa religionem exorta collatis cum ecclesiastica potestate consiliis etiam sua auctoritate cohibeat; 8) ut ad manutenendam disciplinam ecclesiasticam et effectum legibus et judiciis ecclesiasticis procurandum petita civilis assistentia tribuatur.

### §. 182. De obligationibus Principum Catholicorum quoad tolerantiam Acatholicorum in suis statibus.

Quamvis vera religio unica tantum esse possit, unaque Ecclesia a Christo fundata, extra quam nemini salus esse possit, et vix firma esse queant pacis jura inter quos est fidei bellum[1]), unde utroque jure cautum sit, ne Catholici Principes haereticos aliosque a catholica veritate alienos, et multo minus eorum ritus ac sectae exercitium tolerare permittant [2]); attamen contingere potest aliquando ut ad evitandum majus malum ac procurandum majus religionis bonum Princeps, seu Imperator catholicus acatholicas confessiones in sua ditione tolerare possit. Quo quidem casu omni cura adlaborandum est, ne haereticorum errores latius diffundantur, neque fideles catholici ex

---

[1]) S Ambr. 3. de Offic.

[2]) C. Excommunic. 13. § moneantur de haeretic. C. ad abolendam 9. § statuimus. C. ut Offic. 11. § statuimus in 6. Consul. Reiffenstuel lib. V. Decret. tit. VII. de haereticis.

eorum societate detrimenti aliquid accipiant, vel reipublicae pax perturbetur.

## §. 183. Speciatim de Tolerantia Judaeorum.

Pro tolerantia Judaeorum passim sequentia motiva adferuntur: 1) quod ab iis perversionis Christianorum teste experientia exiguum periculum immineat; 2) quod Judaei pro libris Veteris Testamenti sint testes, et quasi Christianorum bibliothecarii, et ideo saltem Christianae Religioni utiles; 3) quod gens haec absque propria patria inter omnes populos terrae dispersa vaticinium Christi in fronte circumferat, quo vaticinii Christi vivo complemento Christiani in sua fide confirmantur. Ceterum quibus cautionibus Principes catholici licite tolerare valeant in suis territoriis Judaeos, utriusque juris probati auctores SS. Patrum auctoritate rationibusque ostendunt titulo „de Judaeis."

## §. 184. De Concordia utriusque potestatis ecclesiasticae ac civilis.

Etsi duabus potestatibus, ecclesiasticae nimirum et civili, quas societati humanae praeesse dictum est, certi denique sint fines, quibus utriusque jurisdictio definitur, quique ut tranquilla sint omnia observandi et custodiendi sunt diligentissime, nihilominus cum utraque potestas eundem hominem regat, eoque spectet, ut ipse nedum in hac vita sit felix, sed praesertim in illa immutabili animorum beatitudine, facile quisque intelliget et quae bona futura ex concordia utriusque potestatis proveniant, et quae pariter mala timenda sint, si quando inter se discordant ac dissociantur. Praeclare S. Ivo (Epist. 233. ad Pasch. II.) Cum regnum et sacerdotium, inquit, inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. — Quod et experti sumus hac nostra aetate; etenim apostolicis curis sanctissimi Pontificis Pii IX., atque insigni religione Regis Apostolici Francisci Jósephi I. Imperatoris Austriae inita anno 1855. celebri conventione, omnia tandem utriusque potestatis jura suaviter feliciterque composita fuere. Quoniam vero quandoque accidit, ut aliquae leges civiles aut juri divino, aut sacris Canonibus ac proinde catholicorum conscientiae adversentur, ideo ecclesiastica potestas ac imprimis Romani Pontifices, quibus incumbit universalis Ecclesiae jura tueri, pro illarum legum mutatione vel mitigatione operam studiumque impendunt. Praeclara exhibet historia ecclesiastica hac super re exempla. Sic S. Gregorius Magnus Pontifex in Epistola ad Imperatorem Mauritium et Theodosium ejus filium conqueritur contra latam legem conscientiae et juribus Christianorum adversam scribens: „Coram Deo culpa vacuus non erit, qui Principi veritatem quocunque praetextu celaverit. — Cohibere me non possum quominus ad

Principes loquar; dum istam legem [1]), Deo contrariam cerno. Data est vobis a coelo potestas in omnes homines, ut eos, qui boni esse cupiunt adjuvetis, et sic regnum terrenum ad regnum coelorum viam paret. Per Judicem terribilem obtestor te latam legem hanc mutes, vel mitiges."

# CAPUT III.

## DE LIMITIBUS POTESTATIS ECCLESIASTICAE AC CIVILIS CIRCA PERSONAS ECCLESIASTICAS.

### §. 185. Personae ecclesiasticae, jurisdictioni ecclesiasticae, et civili subsunt.

Personae ecclesiasticae sunt Ministri Ecclesiae, una vero sunt etiam cives. Qua Ministri Ecclesiae relate ad ministerium spirituale, functiones sacrorum ordinum, cultum divinum et occupationes circa animarum curam, atque generatim disciplinam clericalem jurisdictioni ecclesiasticae: in quantum vero membra sunt status civilis seu cives, jnrisdictioni civili subsunt, ita tamen ut eorumdem auctoritas, status clericalis honor, et privilegia salva sint.

### §. 186. Jurisdictio Ecclesiae in personas ecclesiasticas.

Ecclesia propria gaudet jurisdictione in sacrorum Ministros quoad munus eorum ecclesiasticum, ideo 1) eos ad Ministerium sacrum ordinat, 2) eorum functiones determinat, 3) eosdem in officiis suis per Canones dirigit, 4) iis intendit, eos judicat, corrigit et punit[2]).

Historia quidem ecclesiastica exhibet exempla, quod Clerici, imo Episcopi quoque ab illegalibus Synodis injuriam passi ad protectionem Imperatorum confugerint, ita S. Chrysostomus in Synodo illegitima ad Quercum damnatus, ad Arcadium Imperatorem, S. Athanasius in Synodo pariter illegitima Tyria injuste damnatus, ad Constantinum Imperatorem etcet. Verum similia exempla contra jurisdictionem Ecclesiae in personas ecclesiasticas perperam adferuntur, aliud est enim personalem securitatem contra violentiam petere ab Imperatore, et aliud causam ecclesiasticam judicio Imperatoris submittere, quod in adductis exemplis factum non est. Et re quidem vera, si quando Episcopi, etiam sanctissimi injuste a Synodis particularibus atque illegitimis fuerunt

---

[1]) Nempe quae anno 592. data, in militiam censcriptos a monastico instituto arcet.

[2]) Concord. Austr. Artic. XI.

damnati, non ad Imperatores, sed apud apostolicam sedem et ad Romanum Pontificem appellationem interponere curarunt, prout luculentissima historiae documenta testantur. Etenim Athanasii causa ad Julium Romanum Pontificem delata fuit ac definita, quemadmodum Socrates et Sozomenus testantur,[1]) atque ex epistolis ejusdem Pontificis apertissime eruitur. Ad causam vero Chrysostomi quod attinet, norunt eruditi omnes, quemadmodum S. Doctor ad Innocentium I. summum Pontificem provocaverit, prout memorant epistolae Honorii Imperatoris ad Arcadium.[2])

## §. 187. Personae ecclesiasticae qua Cives civili subsunt Imperio.

Personae ecclesiasticae qua membra societatis civilis, seu qua cives, relate ad actiones et negotia profana civili imperio et jurisdictioni subsunt; hinc 1) Leges civiles pro tota civitate latae Clericos etiam salva eorum dignitate et ordine obligant, salvis insuper eorum privilegiis ad normam sacrorum Canonum et initae conventionis. S. Paulus enim neminem excipit, dum in Epistola ad Romanos Cap. XIII. ait; „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo.“ (Vide Concordat. Austr. Art. XIII.) 2) In causis delictorum et criminum etiam per Judicem civilem judicari possunt, nisi speciali Principis privilegio exempti essent. (Art. XIV. Concord.)

## §. 188. Personis attamen ecclesiasticis salva esse debent sua privilegia et immunitates.

Etiamsi Religio Christiana neminem ab obsequio legis et potestatis civilis a Deo institutae eximat, quin potius a Clericis Dei Ministris religiosi obsequii legibus civilibus praestandi exemplum exspectetur; nihilominus tamen Principes Christiani e pietate in Deum ejusque Ministros sacerdotes in terris, atque ob summum emolumentum, quod Religio, cujus administri personae Deo sacratae sunt ipsi civili societati praestant, nullo non aevo in contestationem suae, de viva fide Christiana profectae erga Clerum venerationis et gratitudinis, peculiaribus immunitatibus,

---

[1]) Porro Anastasius . . . et Paulus in urbem regiam adveniunt, ubi cum Julio Romanae urbis Episcopo causam suam exposuissent, ille, quae est Romanae Ecclesiae praerogativa, liberioribus literis communitos in Orientem remisit, singulis sedes suas restituens. Socrat. histor. Ecclesiast. lib. 1. C. 13.
Athanasius Romam venit. Episcopus igitur Romanus cum singulorum causas cognovisset, in communionem recepit. Et quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique sedem restituit. Sozom. Hist. Eccles. lib. 3. Cap. 8.

[2]) Idipsum testatur Gelasius Romanus Pontifex ad Episcopos Dardaniae (apud Labbaeum t. 5. Conc. Coll. 329.) Facundus Episcopus Hermianensis (inter opera varia Scrinondi t. 2.) Palladius (de vita S. Joannis Chrysostomi.)

exemptionibus, et privilegiis eundem condecorarunt, firmiter persuasi, has Cleri exemptiones et privilegia in majorem coram populo religionis et Cleri respectum, per quod ipsorum etiam Magistratuum honor et veneratio promoveretur, in emolumentum, decus, atque salutem ipsius civitatis cedere; ideo ab initio Religionis usque in praesens tempus apud ipsas barbaras gentes quoque exemptum sacrificulorum ordinem in summa veneratione habitum invenimus, servo enim et Ministro tribuitur honor propter Dominum suum, et quo major Dominus, eo major honor tribuitur et Ministro ejus; maximus honor tribuitur Imperatori quia non ab homine constitutus, sed unctus et Minister Dei est, sed et sacerdotibus suus honor debetur, quia et hi Ministri Dei sunt. Hanc sui ipsius aestimationem in Sacerdotibus conservare Ecclesiae perinde ac Civitatis plurimum interest, despectum enim Sacerdotium vilescet, et despectus Sacerdotii irreligionem populi demonstrat. Super quo jam gentiles Sacrificuli ingemuerunt dicentes:

Quid coluisse mihi tua Numina Delphice prodest?
Aut castam vitam multos duxisse per annos?
Quidve juvat Sacros posuisse altaribus ignes?
Si tuus interno jam spernor ab hoste Sacerdos.

Non mirum ergo, quod Principes Christiani praeeunte Magno Constantino primo Christiano Imperatore, qui exemplum et successoribus omnibus Principibus Christianis factus est, qui tanta erga Clerum veneratione ferebatur, tamque honoris Cleri studio animabatur, ut paratum se declaraverit, ad obtegendum pallio suo imperatorio delinquentem Sacerdotem, ne fragilitas ejus in dedecus Sacri ordinis propalaretur; quo majori in Deum pietate affecti erant, eo magis et Sacerdotii honori et decori per immunitates et privilegia prospexerunt. Exemplo sit piissimus Imperator Austriae, cujus Concordatum cum S. Sede Apostolica initum, perpetuum est monumentum tributi Sacerdotio honoris et immunitatis Ecclesiae. Articulo XVI. Concordati vult Apostolicus Rex et Imperator, ut sacris Ministris juxta divina mandata debitus honor servetur, et omnes Imperii sui Magistratus eundem praestent. Articulo autem XIV. decrevit, ut in judicandis Sacerdotibus ii adhibeantur modi, quos reverentia status clericalis exigit, quod si per Ecclesiam degradati, juribus clericalibus exuti atque judici saeculari traditi carceribus mancipandi essent, etiam tunc in locis a saecularibus separatis poenam subeant; imo pro circumstantiis talium ad claustralem etiam poenam relegatio adpromissa est. Articulo autem XV. Concordati statuit piissimus Imperator: „ut honoretur domus Dei, qui est Rex Regum et Dominus Dominantium, sacrorum Templorum immunitas servetur, in quantum id publica securitas et justitia admittit.“ Sed habet Clerus in Imperio Austriaco etiam privilegium competentiae, vi cujus Clerici aere alieno gravati congrua ad ejus sustentationem assignata executioni judiciali subesse

nequit. Immunis insuper est Clerus etiam ab oneribus publicis, et recipiendis in aedibus ecclesiasticis militibus.[1])

# CAPUT IV.

## DE LIMITIBUS POTESTATIS ECCLESIASTICAE ET CIVILIS QUOAD BONA ECCLESIASTICA.

### §. 189. Ecclesia habet jus a Civitate convenientem sustentationem exigendi.

Auctor religionis et Ecclesiae Jesus Christus Deus, et Apostoli ejus, quemadmodum obligationem imposuit sacris Ministris fideles, qui membra civitatis sunt sanctificationis mediis providendi, atque a cunis usque sepulcrum ad vitam aeternam, ultimam hominis destinationem dirigendi atque ducendi, ac ad felicem ex hac terrestri vita exitum praeparandi, ita sustentationem Ecclesiae, cultus divini, et Ministrorum ejus per fideles praestari praecepit. Matthaei Cap. 10. v. 1. prohibuit discipulis pro via alimenta secum ferre, invians ipsos ad fideles a quibus sustentandi essent dicens: „Dignus est operarius mercede sua.“ Similiter Lucae Cap. 10. v. 7. dixit praedicaturis Discipulis: „In eadem autem domo manete edentes et bibentes quae apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua“ et v. 8. „Manducate quae apposuerint vobis.“ S. Paulus Apostolus autem 1-ae ad Corinthios Cap. IX. v. 11.: „Si nos inquit, vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?“ et v. 13.: „Nescitis, quoniam qui in Sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, de altari participant, ita et Dominus ordinavit illis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.“ Juxta Actuum autem Apostolorum Cap. V. Apostoli collectas a fidelibus collegerunt, et oblationes acceptarunt. Hinc Christiani ab origine Christianae religionis nullo non tempore ex praecepto Dei de sustentatione Ecclesiae, cultus divini, et sacrorum Ministrorum providerunt; divites Principes et optimates bona et latifundia Ecclesiis et earum Ministris donarunt, imo ipsi status Christiani Ecclesiam large dotarunt. Constantinus autem Magnus primus Imperator Christianus facultatem dedit unicuique subditorum, mortis causa, partem bonorum suorum quam voluerit Ecclesiis harumque Ministris jure perpetuo legandi et cedendi, cujus exemplum subsequi etiam Principes Christiani secuti sunt.

---

[1]) Decretum Augustissimi Imperatoris Francisci Josephi I. sub Conferentia Episcoporum 1856. editum.

## §. 190. Ecclesia Bonorum suorum Domina.

Bona Ecclesiae sunt bona Dei, Deo oblata, ab Ecclesia inalienabilia, quod jam in veteri Foedere observatum est Libro Levitici C. 27. v. 28.: „Omne quod Domino consecratur, sive homo, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit.“ Sed inalienabilia sunt bona ecclesiastica etiam de jure positivo civili, Ecclesia enim persona moralis sub praesidium legum constituta est, sicut quilibet in societate civili, Ecclesia, bona sua legaliter acquisivit et quidem jure proprietatis sicut quilibet civis; consequenter Ecclesia possessione sua legaliter privari nequit. Concordatum Austriacum hanc proprietatem Ecclesiae relate ad bona sua agnoscit Articulo XXIX. his verbis: „Ecclesia jure suo pollebit novas justo quovis titulo libere acquirendi possessiones, ejusque proprietas in omnibus, quae nunc possidet, vel imposterum acquiret, inviolabilis solemniter erit.“

## §. 191. De immunitate ecclesiastica reali, seu quoad bona ecclesiastica.

Exemptio, seu immunitas ecclesiastica, ut norunt omnes, alia est personalis, localis altera, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta [1]; tertia demum realis, quo nomine bona ecclesiastica indicantur. De prima et secunda praemissum est, restat nunc de exemptione reali quae necessaria sunt proponere. Bona ecclesiastica, quae vel Deo consecrata ad divinum cultum impenduntur, vel in sacris alendis ministris pauperibusque sustentandis, immunitate seu exemptione, ut omnibus compertum est, perfruuntur. Quamvis autem ad Ecclesiam pertinere rectissime dicatur quod ipsa eorum habeat administrationem, tamen cum ad cultum Deo exhibendum referantur, eique consecrata dicantur, et revera sint, merito bona Dei appellantur [2]. Quapropter etiam jure positivo, canonico scilicet ac civili ab oneribus immunia passim declarantur [3]. Ast non raro in humanis accidit, ut Principes Catholici vel aliqua necessitate pressi, vel pro communi eoque urgentissimo Reipublicae bono cogantur etiam ab Ecclesiis atque a Clericis dona vel etiam tributa accipere, quo quidem casu consensum a Romano Pontifice expetere debent, prout et fecisse ex historia constat. Unde Baronius (ad annum 387.) „Catholici Principes inquit, si quando necessitate

[1] Concil. Trid. Sess. 25. Cap. 20. de reform.
[2] Idem Sess. 25. Cap. 1.
[3] Cap. Quamquam. 4. de censib. in 6. Cap. Non minus 4. de Immun. Eccl. Cap. Adversus 7. de Immun. Eccles. Authent. Item nulla Communitas Cod. de Eppis et Clericis.
NB. Plurimi Doctores defendunt quod immunitas realis sit ex jure divino.

ingruentium bellorum pressi indiguerint accipere ab Ecclesia, id perquam submisso animo a Romano Pontifice expetere consueverunt, et ab illo paternae caritatis affectu pro facultate praestari, cujus rei innumera sunt exempla.« — Ceterum hac in re standum conventionibus cum Apostolica Sede initis.

## §. 192. De secularizatione bonorum ecclesiasticorum.

Bona ecclesiastica prout liquet ex dictis immunitate seu exemptione gaudent; in casu tamen publicae exstremae necessitatis, id est, ut alia subsidia necessitatis publicae sublevandae non sint; servatoque recto ordine, idest ut necessaria, religionis, necessariis Civitatis praeferantur; et debitis sub conditionibus, idest, cum interventu auctoritatis ecclesiasticae imprimis summi Pontificis secularizari, idest in alios profanos fines converti posse consentiunt Canonistae.

## §. 193. De limitibus ecclesiasticae et civilis potestatis relate ad institutionem publicam et educationem.

Tam Ecclesiae quam Civitati jus est subjecta sibi adsociata correspondenter scopo suo educandi et informandi, utrique ergo societati ecclesiasticae et civili erectio, et directio propriorum institutionis, et educationis Institutorum jure competit. Quoad Scholas autem et Instituta educationis utrique societati communia, utrique, relate ad proprium finem influxus tribuendus est. Concordatum Austriacum hac de re Articulo V. statuit: „Omnis juventutis Catholicae institutio, in cunctis Scholis tam publicis quam privatis conformis erit doctrinae religionis Catholicae: Episcopi autem ex proprii officii pastoralis munere, dirigent religiosam juventutis educationem in omnibus instructionis locis et publicis et privatis, atque diligenter advigilabunt, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni, morumque honestati adversetur.« Et Articulo VI.: „Nemo sacram Theologiam, disciplinam catecheticam, vel Religionis doctrinam in quocunque instituto vel publico vel privato tradet, nisi cum missione, tum auctoritatem obtinuerit ab Episcopo dioecesano; cujus eandem revocare est, quando id opportunum censuerit. Publici Theologiae Professores, et disciplinae catecheticae Magistri postquam sacrorum Antistes de candidatorum fide, scientia, ac pietate sententiam suam exposuerit, nominabuntur ex iis, quibus docendi missionem et auctoritatem conferre paratum se exhibuerit. Ubi autem Theologicae facultatis Professorum quidam, ab Episcopo, ad Seminarii sui alumnos in Theologia erudiendos adhiberi solent, in ejusmodi

Professores nunquam non assumentur viri, quos sacrorum Antistes ad munus praedictum obeundum prae ceteris habiles censuerit. Pro examinibus eorum, qui ad gradum Theologiae, vel Canonum Doctoris adspirant, dimidiam partem examinantium Professorum Episcopus dioecesanus ex Doctoribus Theologiae vel sacrorum Canonum constituet.‘ Articulus VII. : „In Gymnasiis et omnibus quas medias vocant Scholis pro juventute Catholica destinatis, nonnisi viri catholici, in Professores seu Magistros nominabuntur, et omnis institutio ad vitae Christianae legem cordibus inscribendam, pro rei, quae tractatur, natura composita erit. Quinam libri in iisdem Scholis, ad religiosam tradendam institutionem adhibendi sint, Episcopi collatis inter se consiliis statuent. De Religionis Magistris pro publicis Gymnasiis, mediisque Scholis deputandis, firma manebunt, quae hac de re salubriter constituta sunt.‘ Articulus VIII.: „Omnes Scholarum elementarium pro Catholicis destinatarum Magistri inspectioni ecclesiasticae subditi erunt. Inspectores scholarum dioecesanos Majestas sua Caesarea ex viris ab Antistite dioecesano propositis nominabit. In Ludimagistrum assumendi fides, et conversatio intemerata sit oportet. Loco movebitur, qui a recto tramite deflexerit.‘

# CAPUT. V.

## DE RELATIONE ECCLESIAE CATHOLICAE AD ALIENAS CONFESSIONES.

### §. 194. Ecclesia non tolerat contrarias doctrinas.

Ecclesia Magistra veritatis non potest indifferens esse, num aliquis genuinam et integram Christi doctrinam amplectatur, aut eandem ignoret ac repudiet. S. Paulus in Epistola ad Galatas Cap. I. v. 8. inquit: „Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.“ Canones orientales, in specie Concilii Carthaginensis Canon 121. et 123. Episcopis injungunt conversionem haereticorum sub poena depositionis, excepto, si semet excuset ea solum de causa se continuisse, ne ad majorem renitentiam haeretici excitarentur, spe futurum, ut mansuetudine et patientia potius reduci possint.

### §. 195. Medium propagandi Religionem est sola Institutio.

Christus Auctor religionis sola praedicatione voluit suam religionem propagari, non vero obtrusione, eo minus autem

quacunque violentia. „Euntes, inquit Christus discipulis suis, docete omnes gentes, praedicate Evangelium omni creaturae. Intrantes in civitatem dicite: pax huic domui, si vos non receperint, excutientes pulverem de pedibus vestris ite in aliam". S. Gregorius M. Libro II. Epistola 52. ad Joannem Hierosolymitanum dicebat: „Nova et inaudita est ista praedicatio, quae coactione vel verberibus exigit fidem." Pariter fraus et dolus, adsentatio, corruptio, aut similes pravae artes sunt inepta media impetrandi sincerum intellectus, animique consensum veritati praestandum, nihilque aliud producunt quam hypocrisim, et simulatam fidem, quae legi morali contraria, finique Ecclesiae prorsus adversa est.[1])

## §. 196. Catholici tamen obligantur dilectionis Officia erga aliarum Confessionum asseclas adimplere.

Aliud praedicationis genus ad lucrandos eos, qui a fide nostra alieni sunt, est charitatis christianae erga omnes homines ut proximos contestatio; ubi enim charitas abundat, ibi et vera fides est. Sane innumerabilia exempla in historia prostant conversionum per opera charitatis perfectarum, quibus alienos a fide nostra nobis addictos reddimus, sicque obtenta eorum benevolentia ipsa praedicatio verbalis facilius in eorum corda penetrat. Ipse Salvator Jesus Christus quibus praedicavit miraculose benefecit, saturavit multitudinem in deserto, dein praedicavit eis: „quaeritis me ait, quia saturati estis, alium panem dabo vobis." Imprimis autem discretio in dijudicandis a fide vera alienis necessaria est; namque nativitas et praejudicia, quibus non omnes se expedire sciunt, causa saepe sunt, quod in errore haereant, parati condemnare id quod tenent, modo essent de ejus falsitate convicti. Apud nos haeretici sunt, apud se non sunt; nam in tantum orthodoxos se esse judicant, ut nos ipso titulo haereticae appellationis infament. Instruendi itaque sunt omni patientia et doctrina, omnique caritatis studio prosequendi, ut tandem cognita cum Dei adjutorio veritate, ad veram Ecclesiam redire ac per eam aeternam beatitudinem nobiscum consequi valeant.

[1]) Vide Cherier Jus Eccl. pag. 3. et 62. Tom. 1.

# PARS II.

## JUS PRIVATUM ECCLESIASTICUM.[1])

# SECTIO I.

## DE PERSONIS, ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

## CAPUT I.

### DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

### §. 1. Notio Personae ecclesiasticae.

Persona ecclesiastica est Clericus, qui per tonsuram clericalem sacris Ordinibus praemitti solitam ad Ministerium sacrum initiatur. Clericatus proinde statum ecclesiasticum constituit.

### §. 2. Requisitae ad statum ecclesiasticum dotes.

Ad statum ecclesiasticum requiritur specialis vocatio, sive peculiares dotes statui huic correspondentes, quas si quis non possideat, Clericus esse nequit. Necessitatem vocationis ad statum ecclesiasticum S. Paulus in Epistola ad Hebraeos C. 5. v. 4. exponit verbis: „Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.“ Quam vocationem ut explorare possit Episcopus in candidatis ad Clerum, praecipit S. Paulus in Epistola ad Timoth. 1. Cap. V. v. 22.: „Manus cito nemini imposueris“; et Cap. III. v. 10. de Diaconis inquit: „Probentur primum, dein ministrent, nullum crimen habentes.“

### §. 3. De Irregularitate.

Irregularitas est impedimentum canonicum personale, quod prohibet Ordines suscipere, vel susceptos exercere. Distinguitur

---

[1]) Vide Part. I. §. 25.

irregularitas ab incapacitate suscipiendi Ordines ex defectu Baptismi et sexus masculini, ob quos defectus valide conferri Ordines non possunt. Irregularitas autem, ob quam prohibetur quis ab Ordinum susceptione, vel susceptorum exercitio, est alia quae oritur ex defectu, alia ex delicto.

## §. 4. Irregularitas ex defectu.

Ex defectu irregulares habentur ex Graecae Ecclesiae Canonibus: 1) Qui aetatem praescriptam non habent[1] et quidem 20. annos pro Subdiaconatu, 25. annos pro Diaconatu, 30. annos pro Presbyteratu, et 50. annos pro Episcopatu, nisi necessitas exceptioni locum det. Juxta hodiernam praxim ad Subdiaconatum aetas 22-rum, ad Diaconatum 23, ad Presbyteratum 25, et Episcopatum 30. annorum exigitur. 2) Qui necessaria destituuntur scientia theologica et rituali. 3) Qui ex legitimo non sint Matrimonio. 4) Servi, 5) Bigami; sive bigamia sit vera, ut in eo, qui duas successive duxit uxores; sive interpretativa, quae in eo est, qui duxit unicam, sed viduam, aut quocunque modo ab alio vitiatam[2]; aut cum quis virginem duxit, sed post matrimonium adultera evasit, si post adulterium maritus vel semel cognovit; si vero non cognovit, nulla irregularitas ex adulterio uxoris consequitur. 6) Qui publicis ratiociniis obligati sunt, hoc est, Calculatores, hypothecis publicis, thesaurisque praepositi; addicti Curiae jure jurando stipendioque, uti Judices, Advocati, Fiscales, et qui in matriculas militum relati sunt.[3] 7) Qui vitium habet corporis[4] coecus, vel claudus, abscissis naribus, surdus, vitiatus, maculatus vel semiputridus corpore,[5] gibbosus, insanabili laborans morbo, vel aspectu horridus, aut ridiculus conditione corporis[6]. 8) Amentes, animi morbo laborantes. 9) Neophyti[7] 10). Ex defectu bonae famae donec reparetur.[8] 11) Ob defectum lenitatis, uti sunt milites, qui in bello occiderunt, vel judices, qui ad mortem condemnarunt, accusatores et testes in causa criminis si mors sequatur.[9] 12) Ex defectu libertatis, conjugati prohibentur ab Episcopatu viventibus uxoribus, nisi eae sponte professionem monasticam prius emittant.

## §. 5. Irregularitas ex delicto.

Ex delicto irregulares sunt: 1) In haeresim vel apostasiam a fide incidentes, et quoniam Schisma quoque delictum consti-

[1] Can. XIV. et XV. Conc. Trull., Conc. Neoc. C. XI.
[2] Can. VIII. Neocaes.
[3] Antoine Theol. mor. Pars II. p. 278.
[4] Canon Apostolor. LXXVIII.
[5] Prodromus ad Can. Apost.
[6] Aristen. ad eundem Can. Apostol.
[8] Can. II. Conc. Nic. I.
[7] Can. Apost. XIX.
[9] Can. I. Conc. Nic. I.

tuit, hoc etiam producit irregularitatem. 2) Voluntarie occidentes hominem, vel mutilantes membro, quod distinctum et completum in corpore officium habeat, uti sunt manus, pes etc., ac etiam mandantes; item abortum procurantes foetus animati. 3) Qui ante ordines adulterium, incestum, sodomiam, et bestialitatem commisit. 4) Eunuchi per se ipsos aut cum proprio consensu absque necessitate ab aliis evirati. 5) Simoniaci, ac foeneratores. 6) Ex mala susceptione baptismi, quam incurrunt tum qui scienter sacramentum baptismi ab haeretico publico extra casum necessitatis suscipiunt, tum qui publice ac solemniter rebaptizant. 7) Indebite Ordines suscipientes et exercentes, uti qui censura irretiti Ordines suscipiunt, vel exercent, ac promoti per saltum et exercentes Ordines non susceptos. 8) Matrimonium quocunque modo prohibitum contrahentes.

*Nota*: Juxta praesentem disciplinam delicta contra probos mores tunc tantum irregularitatem producunt, si sint notoria et quae generant infamiam.

## §. 6. Dispensatio ab Irregularitate.

Summus Pontifex dispensat ab irregularitate publica, quae sit juris ecclesiastici. Episcopus autem dispensare potest in casibus solum occultis, item in casibus lege determinatis, quales sunt: 1) Neophytos ob magnam Ecclesiae utilitatem[1]; 2) Reos bigamiae similitudinariae[2]; 3) Mutilantes leviter se aut alium[3]; 4) Natos ex illegitimo thoro, ut minores Ordines suscipere, simplexque beneficium tenere valeant; 5) Clinicos.[4])

## §. 7. Titulus Ordinationis.

Juxta Canones Ecclesiae Orientalis nemo, nisi ad titulum certae Ecclesiae seu Officii sacri in aliqua Ecclesia obeundi et beneficii cum eo conjuncti, ex quo vivere possit[5]) potest ordinari, atque Catalogo alicujus Ecclesiae inscriptus ab ea Ecclesia propria voluntate recedere non potest sine Episcopi assensu. Hodie Ordinationes fiunt generaliter ad titulum dioecesis, ita, ut ordinatus jus habeat applicationis ad aliquod Officium dioecesanum et perceptionis beneficii cum eo conjuncti, quod si non adimpleatur, Episcopus, qui ordinavit, ordinatum intertenere debet.[6]) Alexander III. in concil. Lateran. III. 1179.: „Episcopus inquit, si aliquem sine certo Titulo, de quo necessaria vitae percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria

---

[1]) C. 9. dist. 61.
[2]) Cap. 4. de Cler. Conjug. C. 22. C. XXVII. qu. 1. C. 4. 7. X. de bigamis non ordinandis.
[3]) Cap. 1. et 4. de corpore vitiatis.
[4]) Cherier. pag. 13.
[5]) S. Paulus: qui altari servit de altari vivat.
[6]) C. 4. 16. de praeb. et Cap. 37. h. t. in 6.

subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiae clericalis assignet, nisi talis forte ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidium vitae possit habere.“ Obligatio haec afficit etiam mortui ordinantis in officio successores et heredes. Episcopus, qui ordinaret quempiam sub promissione: de non petendo provisionem, a collatione Ordinum per triennium, ordinatus vero a suscepto Ordine in perpetuum suspenderetur.[1]) Religiosi ordinantur ad titulum professionis monachalis quam emittere debent antequam ordinentur.

## §. 8. Scrutinium seu examen Ordinandorum.

Scrutinium, sen examen ordinandorum praescripsit jam Concilium Nicaenum I. Canone IX., cujus verba sunt: „Quicunque citra examinationem promoti sunt Presbyteri, vel examinati, sua peccata confessi fuerunt, eisque confessis praeter Canones moti homines manus imposuerunt, eos Canon non admittit, quod est enim a reprehensione alienum defendit Ecclesia.“ Canon hic manifeste indicat Ecclesiam doctrinae S. Pauli conformiter, nonnisi irreprehensibiles, habentesque vocationem sicut Aaron, ad sacros Ordines promovibiles esse, docere; probandos proinde, scrutandos, et examinandos esse eos statuit, qui ad sacros Ordines adspirant. Examen ergo ordinandorum est scrutinium eorum, qui ad sacros Ordines adspirant, utrum capaces idonei et digni ad suscipiendos Ordines, idest: num aliquo impedimento canonico, sive irregularitate a sacris Ordinibus suscipiendis prohibiti non sint, atque num illis dotibus, et virtutibus instructi esse censeri possint, quae vocationem adspirantis ad statum ecclesiasticum extra dubium constituant. In hoc examine producere debent ordinandi: testimonium de legitimis natalibus, et aetate pro Ordinibus suscipiendis praescripta; testimonia super absolutis bono cum successu studiis theologicis, atque intemerata vita; sed et testimonium de mansueta indole constanter contestata juxta effatum Christi: „discite a me, quia mitis sum et humilis corde“; item testimonium de zelo pietatis, item propriae et aliorum salutis, propriae scientificae perfectionis, ac spiritu coelesti. Qua occasione examinantur de iis, quae proxime de Ordinibus, quos suscipere intendunt, scitu necessaria sunt; et si omnibus scrutinii conditionibus satisfecissent, professionem fidei catholicae eliciendam habent [2]). Hoc autem scrutinium seu examen ordinandorum instituendum est sub personali Episcopi praesidio, quoniam personalis responsabilitas Episcopo ordinanti incumbit, si aut ineptum, aut indignum ordinaverit. Est autem hoc scrutinium ordinandorum in Consistorio instituendum, in omni enim majoris momenti negotio Episcopus obli-

[1]) C. 45. de Simon.
[2]) Canon XIX. Conc. Carthag.

gatur sui Senatus votum exquirere; ut eo certior sit Episcopus, et judicio aliorum quoque confirmetur adspirantem omnino idoneum et dignum esse ad Ordines. Ideo Canon VII. Theophili Alexandrini statuit: „Sacra ordinatio clancularie non fiat; verum adspirantem omnes Sacerdotes perspectum sibi reddant, et communi consensu post praemittendum e parte Episcopi examen circa eundem edito ordinetur.“

Juxta Canonem 36. Concilii Carthaginensis Presbyter aut Episcopus non prius ordinandi sunt, quam prius omnes suos domesticos seu cognatos ad Catholicam Ecclesiam adducant.

## §. 9. Minister proprius ordinis.

Minister ordinarius sacrae Ordinationis est Episcopus; ad licitam vero Ordinum collationem requiritur insuper, ut sit Episcopus proprius ratione originis vel domicilii, familiaritatis, vel beneficii ad quod quis ordinatur. Potest insuper alter Episcopus, licite conferre Ordines ex delegatione proprii Ordinarii. Reordinatio vero, sive nova Ordinatio, sacrilegium est, propter quod tam ordinans quam ordinatus depositione plectuntur[1]); nisi prior manuum impositio ab haereticis talibus facta fuisset, qui vel secundum divinam institutionem ab Ecclesia propositam non ordinant, aut vero ipsi pseudo-episcopi ordinantes, charactere episcopali carent.

## §. 10. Minister Ordinis Episcopalis.

Ordinis episcopalis Minister quoad Episcopos est Metropolita provinciae ecclesiasticae, aut quem is delegaverit. Metropolitanorum autem Patriarcha, aut quem is delegaverit. In ordinatione Episcopi inquit Canon Apostolorum [2]) Episcopus a duobus aut tribus Episcopis ordinetur. In casu tamen necessitatis, dum plures haberi non possunt, sufficit etiam unus.

## §. 11. De respuentibus gradum ordinis eminentiorem.

Clerico vel Diacono eminentiorem gradum Ordinis injuste respuenti, interdicitur etiam illius, quem habet, exercitium, nisi ex justa causa dispensetur [3]).

## §. 12. Ordinatio gradatim est instituenda.

Non potest quis intermisso gradu inferiori Ordinis ad superiorem Ordinem promoveri juxta decretum Concilii Sardicensis

---

[1]) Canon 68. Apostolor.
[2]) Vide Can. 1. S. S. Apostolorum.
[3]) Can. 31. Concil. Carthaginensis.

Can. X. cujus tenor est: „Non prius ordinetur in Episcopum, nisi et Lectoris munere, et officio Diaconi, et Presbyteri fuerit perfunctus, ut per singulos gradus si dignus fuerit ascendat ad culmen Episcopatus.“ Nec possunt Ordines ad semel, vel uno die conferri, sed prima die praemissa tonsura clericali in Lectores et Subdiaconos ordinandi; distinctim autem Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus observatis interstitiis pro ratione necessitatis longioribus vel brevioribus confertur. Ex sententia Graecorum nequit sub uno sacrificio Missae nisi unus Presbyter ordinari, quoniam Sacrificium, ad quod offerendum Presbyter ordinatur, unum tantum est. (Vide Pidalion.) Ex unitate tamen sacrificii male infertur Episcopum non posse in eadem ordinatione plures sacerdotes constituere, cum et ipse Christus in coena novissima unicum certe Deo Patri obtulit sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, et tamen Apostolos sacerdotes instituit. Quod insuper ex antiquissima Ecclesiae traditione desumitur.

# CAPUT II.

## DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

### §. 13. Clerici vita et conversatione sint secularibus superiores.

Clerici sunt a Deo vocati et sanctificati, ut sint duces verbo et exemplo humani generis ad moralitatem, et vitam religiosam, qua pervenitur ad salutem et vitam aeternam. „Vos estis lux mundi ait Christus, sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem, qui in coelis est.“ [1]) In sacris Scripturis dicitur Sacerdotium regale, Gens sancta; „juravit Dominus et non poenitebit eum, tu es saderdos in aeternum secundum Ordinem Melchisedec,“ ut adeo cujuslibet sacerdotis officium sit omnibus viribus adniti, ut quo similior prototypo suo summo sacerdoti Christo doctrina et vita evadat. Ideo scientia sacra Clericus praestare debet sicut Christi scientia et doctrina eminet supra omnem scientiam humanam. Clericus debet esse imago sapientiae, ergo prudentia mundi haud contentus sed sapientia vitae evangelicae longe superior, non consistens in legalitate et honestate actionum externa, ad perfectam virtutem contendere debet. „Tantam habentes impositam nubem testium, inquit S. Paulus in Epistola ad Hebraeos[2]) deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorem fidei et consummatorem Jesum.“

[1]) Matth. C. 5 v. 16.
[2]) Heb. C. 12. v 1. et. 2.

Vita Sacerdotis debet esse ad Christi et Apostolorum exempla composita, sequens sapientiam, quam sibi propriam reddat per conversationem cum Deo legendo sacras scripturas, meditando in lege Dei die ac nocte, atque colloquendo indesinenti oratione cum Deo, cujus ipse Sacerdos in terris vices gerit. Redemptio generis humani in restituto dominio rationis per revelationem divinam illustratae, ac voluntatis supernaturalium gratiarum ubertate ad reportandam contra inimicum salutis victoriam, robore consistit, ut homo legitime certando coronetur. Quantum autem dedecus! si ipse dux Sacerdos, in pugna spirituali ignave succumbat, atque vincatur! Quantum dedecus! si is, Sacerdos, quem inimicus salutis ipse horrere debet velut armatum tot gratiis atque speciali ipsa sacramenti Ordinis suscepti gratia semet per eundem seduci permittat, et propter oblatas delicias mundi prostratus adoret eum, dorsum vertens Creatori, et se in servum diabolo tradendo. O Sacerdos! o idolum! Hinc Ecclesia Canonibus et specialibus praescriptis Clericos amplius adhuc contra omnem seductionem inimici salutis munitos esse voluit, quae observantes, atque a curis saeculi expediti tales se exhibeant, ut idonei sint maximo operi suae et concreditorum salutis, ad quod divinitus vocati sunt, exequendo. Ideo Patres Concilii Tridentini vere divino spiritu inspirante enunciarunt: „Sic decet Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant.[1])

## §. 14. De iis, quae Clero respectu status sui prohibita sunt.

Quae lege morali cuilibet homini christiano prohibita sunt, sunt tanto magis Clero interdicta, et transgressio praeceptorum, et legis divinae magis imputatur clericis quam laicis; imo quae laicis transpiciuntur, Clero imputantur juxta illud: „Quae in ore laicorum sunt nugae, in ore Clericorum sunt blasphemiae.“ Ecclesia vult esse Clericos non solum ante Ordines irreprehensibiles, sed etiam et imprimis post susceptos Ordines, qui gratia sacramentali roborati, atque ad maturitatem viri perducti, et ob id sacerdotes, etiam seniores vocati, constanti ac virili animo omni peccaminoso assaltui constanter contradicere, illumque repellere valeant et teneantur. Hinc quantopere vitia ebrietatis, avaritiae, et incontinentiae, clericos dedeceant, hisque vitiis deditos clericatu indignos esse satis patet; nec mirum, Ecclesiam in tales damnationis atque excommunicationis latae sententiae poenam canonibus sanxisse.

---

[1]) Sessione XXII. Cap. I. de Reformat.

1) Avaritia est idolorum servitus [1]) ideo Clero omnis usura, quaestus, negotiatio pro lucro, sub poena depositionis interdicta est.[2]) Pariter prohibetur Presbyteris et Diaconis in arendam vel pignus redimere villas optimatum, aut alias possessiones lucri gratia.[3])

2) Gula et ebrietas sunt vitia, quae clericum omni honore et pretio exuunt, ideo Canon Apostololorum 42. tales, sicut et aleatores deponi jubet. Et si Clericus citra gravem necessitatis casum in caupona inventus fuerit, ibidem comedens, bibens, aut degens, juxta Canonem 54. Apostolorum excommunicandus est.

3) Relate ad vitium incontinentiae, sacri Canones per id honori Cleri consultum esse voluerunt, ut non solum ab ipso vitio sub poena depositionis, sed et a suspicione immunem Clerum esse debere statuerint. Sic Canon III. Concilii Nicaeni I-i prohibet Clericis mulieres extraneas non ad familiam spectantes suspectas intertenere.

4) Prohibent canones Clericis omnem profanam occupationem, venationem[4]) Canon 7-us Concilii Chalcedonensis, Clericos, qui munere suo abjecto militiae nomen dant, aut mutato habitu laicum ingrediuntur statum anathemati subjicit. Canon autem 24. Concilii Trullani, Clericum, qui ad circenses ascenderit, seu Theatra frequentaverit, deponi praecipit.

5) Prohibent Canones, ne sacerdotes fidejussores, aut tutores et curatores agant, excepto si curam orphanorum provocati suscipiant, ut taliter toti vocationi suae absque omni seculari distractione et cura intenti esse possint.[5])

## §. 15. De habitu externo Clericorum.

Quoad habitum externum Canones praescribunt:

1) Coronam capitis, seu tonsuram clericalem, cujus meminit Concilium Trullanum Can. XXI. sequentibus: „Amotus Clericus coronam capitis tondere potest, si cessat peccata patrare, quorum causa amotus est; si autem idem peccatum continuat, capillos ut reliqui laici crescere sinat.“ Pidalion ad citatum Canonem notat: „coronam capitis non esse tantum Latinorum, sed universae Ecclesiae, signum distinctivum Clerici a laicis, quae designat coronam spineam Salvatoris.“

2) Prohibitus est Clero omnis quaesitus corporis ornatus, de quo Concilium Trullanum Canone 96. sequentia statuit: „Qui Christum per baptisma induerunt, ejus in carne vitae agendae

[1]) Ephes. c. 5. v. 5.
[2]) Can. 40. Apostolor.
[3]) Can. 16. concil. Carthag.
[4]) S. Hieronymus non Venatores, sed piscatores animarum invenimus Sanctos: in Psalmum 90.
[5]) Can. VI. SS. Apostolor.

rationem imitari professi sunt. Eos ergo, qui capillos ad videntium detrimentum scite excogitatis nexibus adornant, et componunt, et infirmis animis escam ea ratione objiciunt, convenienti supplicio paterne curamus, ipsos instituentes, et temperanter vivere docentes, ut relicta fraude et vanitate, quae ex sordibus humanis oritur, ad interitus expertem, beatamque vitam mentem assidue traducant, et in timore puram et sanctam conversationem habeant, et Deo quoad iis fieri potest appropinquent, per vitae probitatem et internum magis quam externum hominem virtutibus, et bonis inculpatisque moribus se exornent; ut nullas in se ferant reliquias perversitatis usque adeo repugnantis: si quis autem preter hunc Canonem versatus sit excommunicetur."

*Nota*: Pidalionistae post Zonaram dicunt: Canone hoc Latinos quoque et eorum imitatores, qui barbam ex vanitate radunt ut juvenes prospiciant damnari, et excommunicatos declarari; quod est additamentum Graecorum; in textu enim canonis prout hujus, ita aliorum canonum nihil de abrasione barbae occurrit. Ecclesia damnavit solum vanitatem et quaesitum corporis externum ornatum, ad quem refert Canon cultum quaesitum capillorum sive in capite, sive barba. Latinos autem et qui hos imitantur ex vanitate barbam radere, est suppositum Graecorum, et cum fraterna charitate haud conciliabilis criminatio; abrasio enim barbae munditiem et comitatem externam, quae mansuete compositi et mundi animi interni externum indicium est, indicat; oportet namque Clericos externo suo habitu mansuetudinem, culturam, et non cruditatem ac barbariem exhibere. Interim apud Orientales promissio capillorum et barbae est signum luctus et poenitentiae, hinc ex motivo hoc habet aestimationem barba; contendendum autem est ad puritatem angelorum, et justitiam originariam, ad quam nos Christus restituit per redemptionem, atque redempti et a peccato mundi non amplius lugeamus, sed secundum monitum S. Pauli Apostoli gaudeamus in Domino semper.

3) Quod adtinet exteriorem vestitum Cleri, ex Canone VII. Concilii Chalcedonensis colligere licet, jam eo tempore Clerum externo vestitu et peculiari forma se a laicis distinxisse, quae tamen pro diversitate locorum varia erat, et statuta singularum Dioecesium eatenus praescribebant, quibus Clerus se conformavit et conformare debet, communiter pro Clero praescripta est vestis talaris longa, non pretiosa, lanea, plerumque nigri, aut obscuri coloris.

## §. 16. Doctrina canonica Ecclesiae Orientalis quoad caelibatum, et disciplina quoad conjugium Clericorum.

Lex continentiae pro Clericis majoribus adeo in Ecclesia Catholica est antiqua, ut si non ex Apostolica traditione, prout

plerique doctissimi nituntur ostendere, ex disciplina saltem ab Apostolicis temporibus derivata, sanctorum Patrum testimonio ac conciliorum canonibus roborata rectissime credatur inducta. Etenim vel ipsa Clericorum dignitas, ministerium, ac divina officia ab ipsis continuo peragenda id exigere merito videbantur; quare Eusebius (Demonstratione Evangelica lib. I. Cap. IX.) loquens de Episcopis ac Presbyteris „His autem ipsis inquit, ut melioribus studiis vacent liberius, sejunctus a re uxoria victus adamatur, velut iis, qui divina et incorporea sobole propoganda occupati teneantur.“ Quamvis autem primis Ecclesiae saeculis aliqui etiam ex conjugatis assumerentur ad sacerdotium, quia, uti recte observat Hieronymus: „non tot erant virgines, quot necessarii erant sacerdotes“ ii tamen deligebantur, qui continentiae legem post Ordinem exactissime servare et noverant et constituerant. Quapropter memoratus sanctus Doctor — „Christus, inquit, Virgo, Virgo Maria utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici“ — (contra Jovinianum.) Neque Hieronymus loquitur tantum de disciplina Ecclesiae Occidentalis; utitur enim argumentis, rationibusque ex Cleri dignitate ac officio derivatis, quae certe universalis Ecclesiae Clerum respiciunt; ipse insuper qui maximam vitae suae partem in Oriente duxerat, illius Ecclesiae disciplinam optime noverat; ac denique facto Ecclesiae universalis Vigilantii deliramenta confutat = inquiens: „Quid facient Orientis Ecclesiae, quid Aegypti et Sedis Apostolicae? quae aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt. = (contra Vigilant)

Hieronymo concinit Epiphanius in Ecclesiae Orientalis disciplina ac moribus apprime versatus. Porro sanctus Doctor historice sui temporis disciplinam exponens — Sacerdotium, inquit, ex virginum ordine praecipue constat, aut si minus ex virginibus . . . ex his creari sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus continent, aut . . . in viduitate versantur — (S. Epiphanius in expositione fidei Catholicae Cap. 21.) = Quin eum, qui adhuc in Matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi aut Hypodiaconi Ordinem admittit Ecclesia ubi ecclesiastici Canones accurate servantur — (Idem haeresi 59.) Quam quidem conclusionem ideo adjecit Epiphanius, quoniam optime noverat Presbyteros, Diaconos etc. alicubi ex Pastorum negligentia adhuc liberos suscipere, unde e vestigio respondet: — Non illud ex Canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quae certis temporibus negligenter agere et connivere solet.

Neque aliter sentiunt ceteri Patres Graeci ut Chysostomus in Epist. 1. ad Timoth. hom. 10., Gregorius Nyssenus, de Virginitate cap. ultimo. Origenes, homil 23. in lib. numer. etc. (Vide

etiam Pravila C. 134.) Quae cum ita sint plerique doctissimi expendentes Canones vulgo Apostolicos, non immerito Canonem VI. ita intelligunt, ut expositae doctrinae cohaereat.

Etenim praedicto Canone statuitur: Ne Episcopus aut Presbyter uxorem propriam (quam ante Ordines duxerat) nequaquam sub praetextu religionis abjiciat — quia nonnulli ex conjugatis ad sacerdotium promoti, suarum deinde uxorum pertaesi, sub pietatis obtentu violenter abigebant. Haec porro Canonis verba probant quidem tunc temporis licuisse cohabitare cum uxoribus, quas ante Sacerdotium duxerant, in eadem domo, ubi diversa erant conclavia, dummodo tamen caste eas regerent, atque ab omni conjugali consuetudine abstinerent. Praeclare S. Leo (Epist. 92. C. 3. et 84. C. 4.) antiquam illam disciplinam describit, inquiens: „Unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant sic habere, quo et salva sit caritas conjugum et cessent opera nuptiarum.“ Quo etiam sensu S. Gregorius Magnus statuit quidem, ut — Episcopus hoc quam maxime diligenter inspiciat, ne si (Subdiaconi) uxores habeant, miscendi se cum iis licentia potiantur, sed ad similitudinem sedis Apostolicae eos cuncta observare constituat (lib. 4. Epist. 52. alias lib. 3. epist. 50.); attamen ad cohabitationem quod adtinet, adjungit — hoc tantummodo adjecto, ut hi, sicut canonica decrevit auctoritas, uxores quas caste regere debent non relinquant. — (Idem lib. 7. Epist. 39. alias lib. IX. Epist. 60.) „Ea quippe, ut recte notat Thomassinus, (Vetus et nova Ecclesiae disciplina vol 1. p. 1. lib. 2.) erat illa aetate sacerdotum integritas ac religio, ea vis legis ecclesiasticae, quae Clericorum famam tutissimam redderet.“ Sed de antiquissima universalis Ecclesiae disciplina quoad Clericorum continentiam pro instituto hactenus.

Ad Ecclesiam vero Occidentalem quod attinet res est certe evidentior, quam ut possit vel in dubium vocari; cui enim ignota esse poterunt historiae monumenta vel ab ipso Ecclesiae exordio, cui tot Conciliorum Canones ut Clericorum mores ad normam Apostolicae sedis componerent? Extant profecto summorum Pontificum Innocentii, Siricii, Leonis etc. epistolae, extant Concilii Eliberitani Decreta (an 305.) ubi canone 33. sub depositionis poena statuitur, ne Episcopi, Presbyteri, Diaconi ac Subdiaconi cum suis uxoribus consuescere audeant. Eadem insuper licet inspicere in Concilio Taurinensi anno 397. celebrato, in Carthaginensi II. anno 390., in Toletano anno 400., Arausicano anno 441., Arelatensi, Turonensi etc. ita ut Canones Conciliorum, Summorum Pontificum decretales ac luculentissima SS. Patrum auctoritas a primis Ecclesiae saeculis ad nostra usque tempora continuata serie Occidentalis Ecclesiae disciplinam et Clericorum continentiam apertissime adstruant.[1]) Graviter igitur a veritate aber-

[1]) Consul. Thomassin vetus et nova disciplina loc cit. Natal. Alex. hist. Eccl. saecul 4. et 5. dissert XIX. propos 2. Zaccharia del Celibato sagro.

rant, qui legem continentiae ac coelibatus pro clericis majoribus occidentalis Ecclesiae S. Gregorio VII. adscribere contendunt, cum sanctissimus ille Pontifex nil aliud fecerit, quam plenam antiquorum Canonum observantiam, alicubi collapsam, instaurare, atque firmissime exigere (consule Chronic. Lamberti et Scoti ad an. 1064) quemadmodum venerabiles ejus decessores ac successores pro tuenda ecclesiastica disciplina indesinenter fecisse tot authentica documenta ostendunt ac probant.

Ast quamvis (Benedictus XIV. Instructione „Eo quamvis tempore“ die 4. Mai 1745.) „antiquissimo inquit tempore ad augendam clericalis militiae sanctitatem, utraquae Ecclesia Occidentalis et Orientalis aeque praescripserit, nedum Presbyteros, sed alios etiam in sacris Ordinibus constitutos in perpetuo caelibatu versari debere, et hanc custodiendae castitatis obligationem nunquam remiserit aliarum mater et magistra Romana ecclesia; secus tamen contigit tractu temporis in Ecclesia Orientali. — Etenim sicut aperte eruitur ex Codice Justiniani (l. 1. de episc. et cleric. I. 44. Nov. 123. C. 1., 14., 29.) etiam ante concilium Trullanum perfecte continentiae vel coelibatus legem soli Episcopi servabant, et vix insuper qui coelibes ad sacros Ordines accedebant; quapropter quod erat antea Cantoribus Lectoribusque tributum, invaluit etiam pro Presbyteris, aliisque Clericis in Sacris constitutis, ut nempe cum uxoribus quas ante sacram Ordinationem duxerant, conjugaliter viverent. Districte tamen ac sub gravissimis poenis utriusque juris praescripto cautum fuit ne Hypodiaconi, Diaconi, ac Presbyteri post hujusmodi ordinationem matrimonium attentare praesumerent. Quare Canone VI. Concilii Trullani statuitur: „Quoniam in Apostolicis Canonibus (Can. 27.) dictum est, eorum qui non ducta uxore, in Clerum promoventur, solos Lectores et Cantores uxorem posse ducere, et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem matrimonium contrahere liceat, si autem fuerit hoc ausus, deponatur.“

2) Juxta Canones itaque Orientales Matrimonium legitimum et castum, seu si quis liberam duxit atque virginem, eamque unam, non est impedimentum ad sacros Ordines suscipiendos. Sed et Latini promovent ad sacros Ordines viduos, qui uxorem unam atque virginem habuissent, ante Ordines defunctam.

3) In Ecclesia Orientali Presbyteri et inferiores Ministri, etiam post sacros Ordines licite uxores retinent et iis convivunt juxta Canonem Concilli Trullani XIII. atque Constitutionem Benedicti XIV. „Et si Pastoralis“ cujus verba sunt: Nro. XXVI. „Et si expetendum quam maxime esset, ut Graeci qui sunt in sacris Ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini ser-

Vide insuper Epist. S. Siricii ad Ilimerium Tarraconens. Cap. 7. S. Leo Epist. 84. ad Episcop. Thesalon. C. 4. et epist. 92. ad Rustic Episcop. Narbon. C 3.

varent: nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros Ordines, virgines, non viduas, neque corruptas duxerint, Romana non prohibet Ecclesia."

## §. 17. Continuatio: Ecclesia tamen Orientalis caelibatum Clericorum statui conjugali semper praetulit.

Canones Ecclesiae Orientalis perhibent, eandem Ecclesiam praetulisse sacerdotium a curis secularibus et familiaribus plene liberum, (vide Pravila, Glava vel C. 134) cum ministerium Dei integrum et non divisum hominem requirat, dicente S. Paulo Apostolo [1]) „Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est." Quod si ergo historia primae Ecclesiae Christianae priorumque saeculorum exempla perhibeant non modo inferiores Clericos, Diaconos, Presbyteros, imo Episcopos quoque conjugatos exstitisse, id ex necessitate contigisse confitendum est. Ipse Justinianus Imperator 1. 42. Cod. de Episcopis et Clericis: „Vix fieri potest inquit, ut vacans hujus quotidianae vitae curis, quas liberi creant parentibus maximas, omne studium, omnemque cogitationem circa divinam Liturgiam et res ecclesiasticas consummat. Nam cum quidam summa in Deum spe, et ut animae eorum salvae fiant, ad sanctissimas accurrant Ecclesias, et eis omnes suas facultates afferant, et relinquant, ut in pauperes et egenos, aliosque pios usus consummantur, indecens est Episcopos in suum illas auferre lucrum, aut in propriam sobolem et cognatus impendere. Oportet enim Episcopum minime impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium fidelium spiritualem esse patrem. Has igitur ob causas prohibemus habentem natos aut nepotes ordinari Episcopum."

Et profecto huic caelibatus disciplinae adscribenda est cultura et civilisatio populorum ritus Latini, prout etiam eruditio et scientifica cultura, qua Clerus latinus praeeminet, vitaque populi religiosa, et religionis Christianae ad extremos usque terrae limites propagatio; jam enim Seneca dixit: „Amor conjugalis etiam altos, et generosos animos frangit, a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit." Sed et ipse sui aevi eruditissimus Protestans Leibnitius in Summa Theologiae pag. 322. Caelibatus Clericorum disciplinam sequentibus extollit: „Ceterum etsi Matrimonium sit Sacramentum, et irreprehensibile censeri debeat, fatendum tamen est, ob manifestas rationes, et consensum populorum, et verba expressa Scripturae sacrae plus laudis

[1]) 1-ae ad Corinth. C. 7. v. 32. et sequent. Can. VI. Apostolorum.

habere caelibatum caste servatum; nam et mens solutior est ad coelestium rerum contemplationem, et animo ac corpore integro atque mundo a libidine et carnali affectu purius digniusque sacra tractantur.“ Item pag. 824. idem Leibnitius: „Ipsi autem Clerici ac Religiosi sibi firmiter persuadere debent, ad castitatem servandam vix alia re opus esse solere, quam vitatione otii, atque malarum occasionum, et seria cujusvis voluntate, cujus gratiam Deus devote invocatus nemini negat.“

Denique dum Concilium Trullanum Canone XIII, Clericis sacra celebraturis atque jejunantibus et orantibus continentiam ab uxoribus injungit, sacram coelibatus disciplinam Clericis magis convenientem esse profitetur [1]), quae ideo quoque praeferenda est, cum Clerici conjugati amissa uxore, aliis nuptiis eisdem interdictis, majori incontinentiae periculo obnoxii evadant, quam si ab initio casto caelibatui adsuevissent.

## §. 18. De conversatione, et distractionibus Cleri.

Clericos oportet retractam a vulgo et seculo vitam ducere, in solitudine domestica scientiam Dei discentes, et meditantes, in silentio orantes, atque obligationes muneris sui adimplentes, Sanctorum vitam imitantes. Ideo Sacerdos cum hominibus laicis tantum ob necessitatem et utilitatem spiritualem conversabitur, tam ut majorem hominum cognitionem sibi acquirat, quam etiam ut omni data occasione eos aedificet. Sacerdos respectu omnium laicorum pater spiritualis est, ideo cum laicis tamquam filiis spiritualibus sicut pater cum filiis naturalibus cum cautela conversabitur, ne respectui et auctoritati suae paternae derogetur. Non convenit etiam Sacerdoti in conversatione cum viris in dignitate constitutis adulatio, assentatio, aut servilis submissio. Sacerdos morum nitore ac gravitate reverentiam et auctoritatem sibi conciliare debet.

*Nota.* De usu Tabaci: Theologi in varias sententias abeunt relate ad usum tabaci sive in frusta conscissi, sive in pulverem redacti, ore vel naribus in fumo per tubulos (cigar) vel per faicam, aut quocunque alio modo adhibiti; quorum aliqui usum herbae nicotianae Clericis indecentem, alii rem indifferentem esse statuunt; dependet autem multum a circumstantiis locorum, et si laici in eo scandalizentur, tunc abstinendum est juxta S. Paulum: „Multa mihi licent, sed non omnia expediunt. Si autem scirem quoniam scandalizatur frater meus, non comederem carnes, (hinc etiam non fumarem) in aeternum.“ Omnem in casum decentius est Clerico non fumare; publice autem fumare, puta in locis publicis, in plateis, indecentissimum imo scandalosum.

[1]) Vide etiam Pravila §. 49. P. I. hujus operis C. 134.

Alia quaestio est, num ante celebrationem S. Missae, et statim post sumptionem Eucharistiae fumare, aut tabacum in Ecclesia e pixide sumere, vel ore masticare liceat? Benedictus XIV.[1]) relicta in medio, seu indecisa quaestione de tabaci folii masticatione tradit: „Nequaquam hodie expedire ut usus tabaci fumi, aut pulveris naribus attracti sub censurarum poena interdicatur, cum hodie a consuetudine sit adeo talis usus cohonestatus, ut nulli prorsus scandalum praebeat, aut admirationem causet.“ Exinde etiam concludi potest sententia istius Pontficis, per sumptionem tabaci, si forsan masticationem ejus excipias, quia per hanc materia succi expressi stomacho digerenda adportatur, jejunium naturale ipsummet non frangi. Ceterum quivis Clericus constitutionibus dioecesis particularibus forsan circa tabaci usum existentibus se conformare obligatur.

### §. 19. De Instituto educationis Cleri.

Partim ad probandam vocationem adspirantium ad statum ecclesiasticum, partim ad imbuendum Clerum scientia sacra, atque exercendum in iis, quae sacrorum munerum sunt, ipsaque pugna spirituali, militia enim est vita hominis in terra: postquam adversarius salutis imprimis ducem spiritualem impetit, ut infirmata ejus virtute, eo facilius et gregem seducat juxta illud: „percutiam pastorem et dispergentur oves gregis,“ Clericorum seminaria saluberrime instituta sunt; imo ut ad haec quoque ab infantia incorrupti, et ab omni spiritu seculari immunes adsumi possint, puerorum quoque Seminaria sapientissimo consilio eriguntur. Ut autem Seminaria scopo plene respondeant, praeter institutionem in necessariis scientiis, vitae spiritualis in iis praecipua ratio habenda est; qui enim habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me, ait Salvator. Clericus miles Christi, ex ipso Seminario bene exercitatus in pugna spirituali, et in scientia Sanctorum instructus, ut ducem spiritualem agere possit, prodire debet. Quoad Seminaria decrevit Conc. Trid.: ut in qualibet Sede Metropolitana vel episcopali sint Collegia, in quibus alantur certo numero pueri, et educentur, quae Collegia sint perpetua Dei Ministrorum Seminaria.

# CAPUT III.

## JUS BENEFICIORUM ET PATRONATUS.

### §. 20. Notio Beneficii ecclesiastici.

Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi proventus cum officio ecclesiastico conjunctos, auctoritate eccle-

[1]) De Synodo dioecesana Libr. IX. Cap. XIII. Num 1. 2. et 3.

siastica collatum. Ergo beneficium datur propter officium, et sine officio ecclesiastico beneficium non datur, ideoque beneficiorum ecclesiasticorum soli Clerici capaces sunt. Dicitur autem beneficium jus perpetuum, quae perpetuitas ex doctrina Aposto lorum originem trahit. S. Paulus [1]: „Unusquisque inquit, in qua vocatione vocatus est in ea permaneat" [2]), ideo beneficium non est quod ad nutum conferentis dimitti debet, sicut sunt Capellaniae, aut Administraturae usque ad ordinariam collationem officii commissae. Dicitur denique beneficium jus auctoritate ecclesiastica collatum, ergo non per praesentationem Patroni, sed institutionem ecclesiasticam ejus, ad quem spectat, Pontificis, vel Episcopi.

## §. 21. Origo Beneficiorum.

Jus percipiendi proventus cum officio sacro conjunctos ex Apostolorum doctrina derivatur. S. Paulus 1-ae ad Corinth. Cap. IX. v. 7. inquit: „Quis plantat vineam et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? dein v. 9—14. addit: Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annunciant de evangelio vivere." Hinc origo Beneficii ab origine Officii repetenda est; obtento enim officio sacro, eo ipso jus sustentationis obtentum est. Primis Ecclesiae temporibus Clerici ex oblationibus fidelium benevolis vivebant, habentes alimenta et quibus vescerentur juxta doctrinam Apostolicam [3]) contenti; nec quaerebant commoditates vitae temporalis, ideoque Clerici aureae ejus aetatis populo oneri non erant. Ipse S. Paulus Apostolus quamvis dicat se jus habere ad fidelium temporalia propter ea, quae ipsis ministrabat spiritualia, tamen exactiones non fecit inquiens [4]): „Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis; quoniam ad ea quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu: beatius est magis dare, quam accipere. Et alio loco idem S. Paulus [5]): est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia. Qui autem divites volunt fieri incidunt in tentantionem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem homo Dei haec fuge."

A saeculo autem VI. sensim fixi proventus ex agris, decimis, frugibus, et stola, Officiis ecclesiasticis adnexa sunt.

---

[1]) 1-ae ad Corinth. C. 7. v. 10.
[2]) Conc. Nic. I. C. 16.
[3]) S. Paulus 1-ae ad Timoth. C. 6. v. 8.
[4]) Actus Apost. C. XX. v. 33. et seq.
[5]) 1-ae ad Timoth. C. VI. v. 6.

## §. 22. Diversae species Beneficiorum.

1) Beneficia passim dicuntur „majora," cum quibus jurisdictio pro foro externo conjuncta est, uti Episcopatus; item beneficia „media," qualia sunt Capitulorum; et „minora," quae jurisdictionem pro foro interno tantum seu conscientiae conjunctam habent, qualia sunt beneficia parochialia; 2) distinguunt canonistae inter beneficia „simplicia," quae curam animarum adnexam non habent, uti canonicatus, praebenda, et „curata," quae curam animarum connexam habent. 3) Beneficia „patronata," in quantum praesentationis jus alteri quam Episcopo competit; vel „liberae collationis episcopalis," dum nulli alteri de privilegio jus praesentationis competit. 4) Beneficia „secularia," quae Clero seculari, et „regularia," quae regulari Clero, seu Monachis conferuntur. 5) Beneficia „compatibilia," quae eandem residentiam admittunt, sic Canonicus potest esse in loco eodem etiam parochus; vel „incompatibilia," quorum quodlibet propriam personalem residentiam sibi vindicat, vel uno eodemque tempore spirituale servitium exigunt.[1])

## §. 23. De erectione Beneficiorum.

Qui habet jus erigendi officium ecclesiasticum, habet etiam jus erigendi beneficium. Episcopatus et Capitula per Pontificem eriguntur; parochialia autem aliaque minora beneficia per Episcopum. Eriguntur autem officia, si sufficiens dos assecurata sit, et a competente auctoritate ecclesiastica aut destinetur, aut acceptetur.

Erigenda autem sunt beneficia vel officia 1) Justa de causa, ob necessitatem vel majorem utilitatem Ecclesiae. 2) Auditis iis ad quos spectat, ne forte per erectionem novi officii et beneficii jura aliorum laedantur. Ita si novus Episcopatus erigendus est audiendi sunt concernentes Episcopi, qui in territorium erigendi Episcopatus jurisdictionem exercent; si in Capitulo novae dignitates, Canonici; si nova Parochia, audiendus Parochus et Patronus ad quos spectat. Si non audiatur concernens, appellare potest [2]), consensus tamen absolute necessarius non est, quem supplet Pontifex, et quoad officia minora Episcopus. 3) Erectio officii et beneficii debet fieri loco opportuno et designatis limitibus.[3]) 4) Ad erigendam Parochiam requiruntur adminus 10. familiae.[4]) Quoad Episcopatus vero, ii nisi in Civitatibus aut frequentioribus oppidis erigendi sunt; ne dignitas Episcopalis vilescat. Opportunus pro his locus est, unde nova dioecesis

---

[1]) Can. X. Concil. Chalcedon. Trident. III. 5. Ref.
[2]) C. 3. de aedif. Eccl.
[3]) Trid. XIV. 9. et XXVI. 13. de ref.
[4]) S. C. C. const. jur. paroch. 18. Dec. 1762.

commodius regi possit, seu ex omnibus dioecesis partibus sit accessus facilis. Ne autem in una civitate duo sint residentes Episcopi cum jurisdictione, prohibent Canones, nisi sint diversi Ritus, quorum quilibet proprii ritus fideles sibi subjectos habet, quod quidem prohibuerat Concilium Lateranense IV. Cap. 9. verum subseque summi Pontifices admiserunt.[1])

## §. 24. De Immutatione Beneficiorum.

Quemadmodum ex justa causa necessitatis aut majoris utilitatis Ecclesiae eriguntur Officia et Beneficia, ita eadem ex justa causa possunt etiam immutari, dummodo audiantur quorum interest, atque id fiat decreto competentis legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

Fit autem immutatio 1) Unione, seu plurium beneficiorum conjunctione et uni personae collatione, ob insufficientem dotem aut sacerdotum penuriam; quae potest esse vel personalis, temporaria, vel realis, perpetua, canonica; porro vel aequalis, dum conjungenda officia propria jura imo et nomen retinent, et si fuerint patronata, oritur compatronatus cum jure alternative praesentandi; si vero electiva, utriusque Ecclesiae electores gaudebunt jure suffragii: vel inaequalis, quae dupliciter fieri potest, nempe: per confusionem, dum unum officium ex duobus non tamquam per se subsistens consideratur; aut per subjectionem, dum unum alteri subordinatur, quo in casu cui subordinatur, ecclesia mater, subordinata vero filia vocatur.

Ad unionem beneficiorum requiritur consensus Capituli[2]), et quidem superveniens in ipso actu unionis non sufficit[3]); populi autem consensus ad validitatem unionis necessarius non est, non tamen spernendus ejus rationabilis dissensus[4]); causa justa unionis beneficii etiam tunc adest, si numerus fidelium infra 10. familias decrescat. Non possunt autem beneficia diversae dioecesis uniri, neque patronatae cum liberae collationis.

2) Divisione, aut dismembratione, prius fit, cum nempe ex uno officio et beneficio duo vel plura fiunt; alterum autem, si novum officium non erigatur, sed pars ab ipso separetur, ac alteri proximo adnectatur. Divisio beneficiorum fieri non potest ex causa quod beneficiatus amplos habeat proventus, nec etiam ob magnum fidelium numerum in Parochia, quo in casu per plures Cooperatores a beneficiato intertenendos et dotandos provisio facienda est, et a decreto Episcopi de assumendo Cooperatore coactivo, ubi populus est numerosus, Parochus appellare nequit[5]). Quod si vero melior spiritualis cura divisionem beneficiorum exi-

---

[1]) Bened. XIV. de S. D. Lib. II. Nro. V., VI. et VII.
[2]) C. 2. de his quae fiunt a Praelat.
[3]) Decis Rotae 265.
[4]) Res. S. C. C. in Novar. union. 11. Sept. 1762.
[5]) S. C. C. Eppo. Abul 5. Jan. 1589.

gat, si longior locorum ad parochiam pertinentium distantia, aut molestia viarum curam animarum dificilem reddat; parochia omnino dividi potest etiam invito Parocho; quantum tamen fieri potest antiquae Ecclesiae possessiones retinendae[1]) et divisio non prius facenda, quam officium vacaverit, vel antiquo Parocho aequivalens beneficium detur. Quod si Parochia fuit patronata, idem patronus erit et novi beneficii, nisi alter etiam concurrat ad dotationem, qui compatronus erit. Ad dividendum beneficium, tam beneficiatus, quam patronus, et fideles audiendi sunt sub nullitate divisionis. Canonistae agunt etiam de Incorporatione, dum aliquod beneficium corporationi adnectitur, uti Capitulo, Ordini religioso, universitati. Vide Canonistas.

## §. 25. Suppressio Beneficiorum.

Suppressio, est extinctio beneficii, dum officium ex integro abolitur. Beneficia curata nisi ex gravissimis rationibus possunt supprimi, quales sunt: *a*) si quaedam communitas beneficiatum pluries occideret[2]). *b*) Si proventus adeo attenuati sint, ut beneficiatus ex iis ali non possit, neque ullus modus suppetat succurrendi. *c*) Si exigat suppressionem majus Ecclesiae bonum aut necessitas, ob quam etiam e praebendis canonicalibus supprimi possunt; si Capitulares vivere non possint, poterit cum consensu concernentium per auctoritatem competentem unum aliudve stallum canonicale supprimi et eorum proventus capitularibus remansis addici. Quod si patroni imprimis Laici, aut alii interessati irrationabiliter suppressioni contradicant, denegatus eorum consensus poterit a summo Pontifice, vel S. CC. suppleri.[3])

## §. 26. De Collatione Beneficiorum, regulae generales.

Regulae generales quoad collationem beneficiorum sunt sequentes: 1) Beneficia tantum vacantia conferri possunt. 2) Tantummodo Clericis idoneis et dignioribus conferenda. 3) Collatio sit canonica, secundum canones.

## §. 27. De modis, quibus Beneficia vacant.

Beneficia vacant vel jure, vel facto, vel de jure simul et facto. Jure vacat beneficium quod quis tenet absque legitimo titulo, v. g. temporarius Administrator Parochiae. De facto autem, cujus titulum quis habet, non tamen possessionem, v. g. Parochus non installatus. De jure et facto vacat beneficium illud,

[1]) C. 43. 44. C. 16. 91.
[2]) C. ult. C. 25. qu. 2.
[3]) Res. S. C. C. in Firm. Erect. 18. Aug. 1787. Arim. susp. oner. 29. Decemb. 1788.

cujus nec titulum, nec possessionem ullus habet; quod fit vel per mortem beneficiati, vel libera renunciatione ejusdem per Superiorem ecclesiasticum acceptata ex justis causis, quales sunt;

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis. Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit; quo in casu resignans in Ordinibus majoribus constitutus proprium vivendi modum edocere debet. — Insuper beneficium vacat per privationem, seu sententiam judicis ad missionem beneficii latam; vel denique per consecutionem beneficii secundi pariter curati, prius vacans evadit.

## §. 28. Regulae speciales collationis Beneficiorum.

1) Beneficium de jure vacans conferri quidem potest, nihilominus tamen, solummodo priori possessore, cui fors adhuc aliquid juris in eo competere possit, prius audito, causaque summario cognita, in possessionem beneficii intromitti potest. 2) Beneficium de facto solum vacans conferri nequit, imo tale beneficium acceptans excommunicationi obnoxius evadit, et si deinceps penitus vacaret, ad illud sine dispensatione admitti nequit. 3) Beneficium autem de jure simul et facto vacans intra semestre non modo conferri potest, sed et debet.

## §. 29. De Examine concursuali.

Beneficia conferenda sunt magis idoneis et dignioribus, quod exploratur per examen sic dictum concursuale. „Ab imperitis ait S. Gregorius Magnus[1]) qua temeritate regimen animarum suscipitur, quando ars artium est regimen animarum.“ Labia Sacerdotis custodient scientiam et legem requirent de ore ejus, ait Propheta.[2]) Nihil turpius indocto Magistro. Non sufficit autem ut quis absolverit studia theologica cum calculo sufficienti, verum necesse est, ut continuato studio partim percepta memoria retineantur, partim autem ut continuo studio eam quisque eruditionem sacram consequatur, cujus secundum facultates proprias et circumstantias capax est; hocque suae continuae perfectionis studium Sacerdotibus tantum est officium, ut qui illud negligit saluti suae confidere nequeat, cum pro neglecta hac obligatione restitutio vix possibilis sit; praeterivit sine lucro scientiae irreparabile tempus, sepelivit talenta sua, ideo inter servos infideles reputabitur in die judicii; nec mirum contremuisse unum e sanctis Patribus dicendo: „Domine! non tam timeo propter commissa, quam propter omissa.“ Si ex ignorantia medici corporalis moriatur aeger, magna certe illi est imputatio, eo major autem imputatio erit medico animarum, si ex ejus ignorantia artis propriae medendi, animae perierint, aut non reconvaluerint: impri-

[1]) Pars 1-a Pastoralis Cap. 1.
[2]) Malachia C. 2. v. 7.

mis cum Sacerdos non solum doctor, sed et defensor fidei esse debeat, juxta Apostolum[1]) paratus semper „rationem reddere de ea quae in se est spe;" ad quod saepe magna eruditione opus est. Sed secus quoque scientia et eruditio sacra pretium personale Sacerdotis auget, et scientia, ad vitam scientiae conformem excitat. Ad quam sui perfectionem operandam Ecclesia exstimulat Clerum per institutionem examinis concursualis pro obtinendis beneficiis ecclesiasticis, cujus et is scopus est, ut ope ejus dignitas cujuslibet Sacerdotis Superiori ecclesiastico constet, ut is juste possit satisfacere monito S. Pauli: „Qui bene praesunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant verbo et doctrina."[2]) Examen autem concursuale non solum doctrinam explorat, sed insuper aetatem, mores, gravitatem, mansuetudinem, prudentiam pastoralem, peculiaria merita, zelum animarum, aliasque qualitates pro certa Parochia requisitas. Hinc approbatio non fit pro omni, sed pro certo beneficio; ideo potest esse quis approbatus pro Parochia rurali, quin sit approbatus pro urbe, quae peculiares qualificationes requirit.

## §. 30. Qui sunt admittendi, qui item non admittendi ad examen concursuale.

Ad examen concursuale admittendi sunt: 1) omnes Presbyteri dioecesani seculares, sive sint beneficiati, sive non, qui tres annos, in beneficio ecclesiastico, vel Presbyteratu exegerunt. 2) Extradioecesani quoque cum facultate proprii Episcopi admittendi sunt, nisi per speciale privilegium dioecesano Clero competens, ii exclusi essent[3]), quo in casu dioecesani, extradioecesanis etiamsi dignioribus praeferendi sunt. Non admittuntur autem ad examen concursuale macula morali affecti Presbyteri seculares, prout nec Religiosi pro beneficiis secularibus.

## §. 31. Examinatores Synodales.

Examinant in examine pro Parochiis concursuali examinatores Synodales, qui, et quidem numero sex annue in Synodo dioecesana eligendi essent, ideo etiam vocantur Synodales: quod si usque aliam Synodum dioecesanam ex electis aliqui decedant, aut secus munus eorum cesset, potest Episcopus cum consensu Capituli juxta Decretum Clementis VIII. alios substituere; quodsi autem Synodus dioecesana non celebretur, Episcopus implorandam habet facultatem a S. Sede Apostolica alios examinatores extra Synodum nominandi, quae etiam datur Episcopis eligendi de consensu Capituli duodecim examinatores loco Synodalium, ad triennium duraturos; qui in examinibus promovendorum ad

[1]) I. Petri C. 3. v. 15.
[2]) Ad. Timot. I. C. 5. v. 17.
[3]) Vide Dr. Schöpf III. Band Seite 369. sub 3.

parochiales ecclesias perinde adhiberi valeant, ac si in Synodo dioecesana fuissent electi; ita tamen, ut si qui ex electis in ultima Synodo supersint, iis etiam una cum a se electis Episcopus utatur; omnium vero, etiam dicto termino exspiret potestas, quando celebrata fuerit Synodus. Examinatores Synodales, vel substituti loco Synodalium, debent esse viri idonei, Doctores vel Licentiati Theologiae, vel secus idonei, qui praevie jurare debent, se suo munere, rejecto humano respectu perfuncturos esse. (Benedict. XIV. de S. D. L. IV. Cap. VII. Nr. I—XI.)

## §. 32. Objecta Examinis concursualis quoad doctrinam.

Objecta examinis concursualis pro parochiis quoad doctrinam sunt: Dogmatica, Moralis, Catechetica, Homiletica, Jus Canonicum et Liturgica, juxta constitutionem Benedicti XIV. scripto elucubranda, et quidem lingua latina, excepta catechesi et concione.

## §. 33. Effectus examinis Concursualis.

Effectus examinis concursualis est 1) Quod examinatus et approbatus in beneficiatum Parochiae pro qua concurrit eligibilis sit. 2) Electus examinatus jus habet ad Investituram, sub praesidio canonum constituitur, et nisi processu canonico mediante possit e possessione sui beneficii exturbari.

## §. 34. Investitura.

Investitura sunt literae Episcopales, quibus electa persona ecclesiastica in Beneficium canonice instituitur et confirmatur, quarum virtute beneficiatus in suum beneficium introducitur et installatur; quam tamen praecedere debet professio fidei catholicae, juramentum item fidelitatis et obedientiae Episcopo Ordinario, et ejus successoribus praestandum.

## §. 35. Tenores Investiturae.

Nos N. N. Episcopus etc. (plenus titulus) Inducti sufficientia tua, Aetatis maturitate, Literarum stientia, Morum gravitate, ac necessitate Ecclesiae N., cujus Parochia legitime vacaret, recepta a Te fidei catholica professione, nec non juramento, quod nobis Ordinario tuo, successoribus nostris, nec non Vicario generali pro tempore constituto, ac Ecclesiae fidelis eris, obedientiam et reverentiam debitam exhibebis, item: quod jura Ecclesiastica et Cathedralia, nec non Protopopalia persolvendo, in spiritualibus et temporalibus, in divinisque bene et laudabiliter deservies, oneraque ecclesiae parochialis feres, ac debite suppor-

tabis; terras, domos, et alias possessiones, jura ecclesiae pro posse manutenebis et defendes, nihilque quod ad Ecclesiam pertinet abalienabis, distrahes, aut vendes, sed potius abalienata, distracta et vendita ad jus et proprietatem Ecclesiae parochialis reduces, et reduci procurabis; item quod Ecclesiam Parochialem sine licentia Nostra, aut successorum Nostrorum non permutabis, neque deseres, Auctoritate Nostra Ordinaria te in Parochum praefatae Ecclesiae N. erga praesentationem N. (si ecclesia sit patronata) canonice instituimus et confirmamus, volumusque, ut per Protopresbyterum N. in realem ejusdem parochiae et pertinentiarum illius possessionem vigore praesentium introducaris.

## §. 36. Explicatio Investiturae.

### a) *Inducti sufficientia tua.*

Per sufficientiam exprimitur idoneitas, quam sacri canones in providendis beneficiis requirunt: „Grave nimis est et absurdum inquiunt Patres Concilli Lateranensis, ad ecclesiastica beneficia indignos promovere, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur.“ Inducti ergo sufficientia tua seu idoneitate omni respectu considerata, praevio examinatorum judicio recognita.

### b) *Aetatis Maturitate.*

Cum cura amimarum Ars artium a veteribus compellata, sit onus gravissimum, nec humeris cujuscunque accommodatum, canones Ecclesiae pro ea certam aetatem requirunt; sic Concilium Lateranense sub Alexandro III. statuit: „Paroecialis ecclesiae regimen nullus omnino suscipiat, nisi qui iam 25. aetatis annum attigerit.“

### c) *Literarum scientia.*

S. Apostolus Paulus requirit: ut ei regimen animarum committatur, qui potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere, idest refutare. „Si Sacerdos est inquit S. Hieronymus[1]) sciat legem Domini: si ignorat legem ipse se arguit non esse se Domini Sacerdotem; Sacerdotis etenim scire legem, et ad interrogationem respondere de lege, sicut Propheta dicit:[2]) Quia tu scientiam repulisti; et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi,“ et St. Leo Magnus ait: „si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis qui praesunt, nec

---

[1]) Com. ad. Cap. 2. Aggaei.
[2]) Oseae Cap. 4. v. 6.

excusatione digna est, nec venia." Per scientiam autem intelligitur imprimis scientia Theologiae, Sacrarum Scripturarum et Canonum.

*d) Morum Gravitate.*

Sacerdotum vita debet esse speculum, in quo quilibet qualis esse debeat conspiciat; sacerdotum vita debet esse aliorum eruditio, et salutis continua praedicatio. S. Paulus[1]) de Ministris altaris praescribit: „ut probentur prius et sic ministrent nullum crimen habentes." S. Hieronymus autem inquit: „Vehementer Ecclesiam Christi destruit meliores esse Laicos quam Clericos." Imprimis autem illos Sacerdotes quibus animarum cura commissa est, quive immediatum in Gregem Christi exercent influxum relate ad gravitatem morum probandi sunt, ut non modo ab omni crimine immunes, sed et habitu quoque omnis virtutis christianae polleant, sint sobrii, non vinolenti, non turpis lucri cupidi, non leves, sed constantes in proposito, non austeri, sed discreti, charitatem habentes cum omnibus; non vani, sed temperantes, pacifici, modesti, compatientes, zelo salutis suae, et animarum concreditarum flagrantes cum prudentia. De qua prudentia pastorali egregie scribit S. Gregorius Nazianzenus[2]) sequentibus: „Eorum singuli (de populo) cupiditatibus magis et affectibus inter se differunt, quam corporum figuris ac lineamentis — proinde nec facile regi gubernarique possunt. — Alios sermo ducit, alii exemplo componuntur, aliis calcaribus opus est, aliis freno; nam qui segnes sunt, atque ad bonum aegre impelluntur, hi verborum stimulis excitandi sunt, hos orationis freno coercere, ac cohibere praestiterit. Aliis laudatio utilitati fuit, aliis reprehensio; utraque videlicet tempestive adhibita. Alios cohortatio ad officium dirigit, alios objurgatio: atque haec rursum alios, si palam arguantur, alios, si remotis arbitris admoneantur; quin etiam cum nonnullis ita agendum est, ut non irascentes irascamur, non contemnentes contemnamus; quatenus videlicet illorum cura id requirit. Alii rursum lenitate, et humilitate curandi sunt. Alios vincere, et ab aliis vinci plerumque utilius fuerit; atque aliorum opes et potentiam; aliorum inopiam et calamitatem vel laudare, vel deprecari. Talis morborum nostrorum cura est, tantusque bono pastori labor incumbit, qui gregis animas scite cogniturus est, eisque juxta pastoralis artis leges praeiturus."

*e) Ac necessitate Ecclesiae N. cujus Parochia legitime vacaret.*

Superiori §. 27. expositum est qualis parochia legitime vacans et conferibilis sit.

[1]) I. ad Timoth. Cap. 3. v. 10.
[2]) Oratione 1-a de fuga.

*f) Recepta a te fidei catholicae professione, nec non juramento.*

Probatae fidei debent esse illi, qui regimen animarum suscipiunt, de quo ut Ecclesia convincatur, professionem fidei eos elicere praescripsit, et quidem Episcopos in actu consecrationis[1]). Parochi autem fidei professionem eliciendam habent in manibus sui Episcopi, aut ejus Vicarii, juxta formam ab Urbano Pontifice pro graeco-catholicis praescriptam, addito juramento fidelitatis. Quale autem sit hoc juramentum, sequentia indicant.

*g) Quod Nobis Ordinario tuo, successoribusque nostris etc. fidelis eris.*

Fidelitas designat sinceritatem, non fucatam quampiam et dolosam simulationem, sed germanum illum animi candorem erga Praelatum, qui nihil obvelare, sed secundum facti veritatem omnia adaperire consuevit; quam indicat Canon[2]) sequentibus: „Ministri infucata Episcopo suo debent exhibere obsequia, specialiter autem ad fidelitatem ejus qui jurat requiruntur: ut illi cui jurat non sit in damnum in corpore, et in rebus, ac in justitia sua, et alias ad honorem et honestatem ipsius pertinentibus in domo sua, et extra consilio, auxilio, vel permissione; imo debet et tenetur omnibus talibus quantum potest obsistere et obviare; non debet etiam secreta sibi manifestata revelare; sed nec debet se reddere difficilem ad faciendum ea quae sunt facilia; nec debet facere sibi impossibile quod facere potest. Et quia secundum Apostolum non sufficit solum non nocere, sed oportet et prodesse, idest ut jurans assistat ei, cui sinceram fidelitatem juravit omni consilio et auxilio, cohibitione aliorum quoque ne noceant, et animando, ut et illi prosint.

*h) Obedientiam et reverentiam debitam exhibebis.*

Canones Orientales aperte enunciant, omnem Presbyterorum potestatem in gregem Domini a Deo per Episcopum dimanare, utque Presbyteri et Diaconi nihil faciant sine, eo minus autem contra sententiam Episcopi, cum principaliter Episcopo cura gregis Domini et responsabilitas commissa sit.[3]) Unde patet Presbyteros in omni suo officio secundum voluntatem sui Episcopi versari, mandataque ejus prompte exequi, nihil item contra voluntatem ejus agere debere, dicente S. Ignatio in Epistola ad Trallianos: „Cuncti obediant Episcopo ut Christo.“ S. Hieronymus autem[4]) inquit: „Salus Ecclesiae in summi Sacerdotis (Episcopi) dignitate pendet; cui si non eminens quaedam in Clerum datur

---

[1]) Vide ritum consecrationis Episcoporum Ecclesiae Orientalis.
[2]) Can. XIV. Cau. 11. qu. 3.
[3]) Canon SS. Apostolor. 39.
[4]) Dialog. advertus Lucif.

potestas, tot in Ecclesia erunt schismata quot Sacerdotes." Haecque, voluntatem Episcopi exequendi promptitudo, seu obedientia, tantum est officium, ut etiam in dubio, an id quod praecipitur licitum sit nec ne? semper sit obsequendum.[1]) Sed nec simulata virtutum affectatione obedientia denegari potest[2]) imo nec ulla praescriptio in contrarium obtendi. Inobedientes juxta Canones depositionis poena plectuntur.[3])

Reverentia autem denotat devotionem et cultum, amorem et timorem Episcopo debitum, Can. LV. SS. Apostolorum decernit: „Si quis Clericus Episcopum contumelia affecerit deponatur: Principi enim populi tui non maledices." S. Ignatius Martyr autem[1]) „Cuncti inquit revereantur Episcopum ut Jesus Christus Patrem." Quae jura reverentialia etiam ab iis, qui ei non subsunt, et reverentiam exhibituros non jurarunt, praestanda sunt. Sunt autem haec jura reverentialia praecipua.

1) Ut Episcopo superior ac eminentior in ecclesia tribuatur locus.

2) Ad Ecclesiam procedenti ab universo Clero comitiva processus tribuatur.

3) Observetur in sacris functionibus caerimoniarum praescriptarum majestas; neque negentur Insignia honoris episcopalis propria.

4) Competens Episcopo titulorum magnificentia tribuatur.

5) Benedictio Episcopalis inclinato capite excipiatur, ceteraque eximia honoris et venerationis indicia, quibus Episcopi ab antiquo ornabantur, tribuantur.[4])

*i) Item, quod jura Ecclesiastica et Cathedralia, nec non Protopopalia.*

Per haec jura intelliguntur sic dicta legis dioecesanae, seu praestationes, quae sunt ecclesiasticae, quia praestantur ob curam generalem omnium ecclesiarum dioecesis, et cathedratica, quae ob honorem cathedrae dependi debent: protopopalia item quae Protopresbyteris qua Episcoporum Vicariis aut Commissariis praestanda sunt. Iuxta antiquos canones cathedraticum alias synodaticum a quolibet Beneficio efficiebat duos Aureos, item quarta pars proventuum singularium Episcopum concernebant, ideo praestatio quartadecumana, seu quarta pars decimarum; quartamortuariorum, sive funeralium, seu quarta pars legati, aut donationis alicui ecclesiae factae. Praeter has praestationes erat adhuc in usu subsidium charitativum, quod Episcpus ex necessitate aut rationabili causa exigebat. Legibus autem Uladislai Regis Hungariae [5]) cautum est, ut charitativum subsidium

---

[1]) Can. 4. Cau. 23. qu. 1.
[2]) Cap. 11. qu. 3. C. 13.
[3]) Cap. 2. 5. de Mai et obed. Can. 11. Cau. 11. qu. 3.
[4]) Vid. Thomassin V. et N. Eccl. Disciplina Libr. 2. Cap. 58. et Concil Carthag. 4. Can. 35.
[5]) Decret 3. Art. 69. et Decret. 5. Art. 12.

nisi semel occasione redemptionis Bullarum Praelati exigere audeant; item Procurationes, seu modici ad frugalem victum necessarii sumptus, qui Episcopo debentur Parochias visitandi [1]; denique competentia Protopresbyterorum, si pro Episcopis visitationes parochiarum instituunt.[2])

Hodie hae praestationes in Dioecesibus graeco-catholicis in usu non sunt, excepto frugali victu, qui Protopresbyteris visitantibus praestatur, insuper praejuncturae, et secundum arbitrium Episcopi diurnum e cassa ecclesiae visitatae, quod duos florenos excedere non debet.

*k) In spiritualibus et temporabilus, in divinisque bene et laudabiliter deserviam, oneraque Ecclesiae parochialis feram, et debite supportabo.*

Quoad spiritualia Patres Tridentini [3]) obligationes Beneficiatorum sequentibus enunciarunt: „Praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus cura animarum commissa est oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere.“ Itaque in spiritualibus et divinis bene, et laudabiliter deservire significat: comparare sibi comissi gregis exactam notitiam ut aptam cujuslibet morbo in tempore medicinam spiritualem porrigere possit; pro credito sibi populo assidue Deum orare, incruentumque sacrificium offerre; Divinorum ordinem praescriptum secundum typicon exacte observare; tam publice quam privatim, et quotiescunque se offert occasio populum docere et catechizare; in administratione sacramentorum se promptum et zelosum praestare et pauperum curam gerere. Quod autem concernit temporalia, animarum Curatores debent habere curam omnium bonorum ecclesiae, sive mobilia, aut in pecuniis fundationalibus consistant, ut non deteriorentur aut quocumque modo pessumeant. Nec minus ad sollicitudinem Beneficiati spectat, ut annui reditus in eos in quos destinati sunt usus convertantur.

*l) Terras, Domos, et alias Possessiones, Juraque Ecclesiae pro posse manutenebis, et defendes, nihilque quod ad Ecclesiam pertinet abalienabis, distrahes, aut vendes, sed potius abalienata, distracta et vendita ad jus et proprietatem ecclesiae parochialis reduces, et reduci procurabis.*

Defensio hic intelligitur, quae privatas injurias, rapacitatem, fraudulentiam, et furtivam subductionem pro objecto habet.

---

[1]) Cap. 19. et 23. de Censu.
[2]) Cap. 10. De offic. Archi-Diaconor. et Cap. 23. de censu.
[3]) Sessione 23. Cap. 1. de Reformat.

Non item eo sensu intilligenda est, quasi jura possessionaria Ecclesiae suae vel Beneficii in litem coram legitimo judice deducta per se ipsos Beneficiati tueri et defendere obligarentur; quoties enim talis casus occurrit, seu dum jura ecclesiae et Beneficii juridice defendenda sunt, ad supremum per dioecesim bonorum rerumque ecclesiasticarum administratorem Episcopum, recurrendum habent, qui medio Advocatorum negotium coram judice prosequetur.

Nomine autem abalienationis vetitae intelligitur non solum dominii translatio quocunque titulo facta, sed et permutatio et omnis ille actus, per quem res ipsa ecclesiae vel beneficio quocunque modo adimitur, reditus diminuuntur, aut ecclesia impeditur, quominus re illa plene et libere uti, aut ejus emolumentum et proventum percipere queat. Hinc res ecclesiae nec vendi, nec donari, nec permutari, nec infeudari, nec in emphytheusim[1]) concedi possit. Nec licet bona et res ecclesiasticas impignorare.[2]) Nec de rebus ecclesiasticis transigere, quia est via ad abalienationem.[3]) Nec subditos manumittere.[4]) Nec praedia in longius tempus elocare.[5])

*m) Item, quod Ecclesiam parochialem sine licentia nostra, aut successorum nostrorum non permutabis neque deseres.*

Per investituram ecclesia fit sponsa Beneficiati, quam illi perfide, nisi perEpiscopum e rationabili causa a vinculo solvatur, deserere non licet. Quosuper concilium Nicaenum I. Canone 16. statuit: „Si qui sine respectu agentes, et timorem Dei ante oculos non habentes, neque ecclesiastica statuta scientes ab ecclesia sua recesserint sive Presbyteri, sive Diaconi, hi nunquam recipi debent in ecclesia, sed cum omni necessitate cogantur, ut redeant ad ecclesias suas, aut si permanserint excommunicatos eos esse oportet.‟ Duo autem in hac pollicitatione includuntur, 1) desertio possessionis per longiorem inconsulto Episcopo, sive sine licentia ejus absentiam. 2) Abdicatio tituli et omnis juris. Quoad 1-um Canone XVI. Concilii Sardicensis statuitur: Ne praesumant Presbyteri et Diaconi ultra tres septimanas gregem suum deserere; quoad 2-dum, totalis renunciatio beneficii nonnisi e rationabilibus causis per Episcopum acceptari potest, quas Innocentius III. Cap. 9. et 10. de Renunciatione enumerat, inter quas tamen consecutio beneficii pinguioris non occurrit; imo si quis legitime sortitus est ecclesiam, et quaerit occasionem ut eam

---

[1]) Emphytheusis est, dum rei alicujus utile dominium ad tempus, vel pro perpetuo traditur, erga pensum in recognitionem juris dominalis. Can. 52. Caa. 12. q. 2.

[2]) Art. 31. 1567.

[3]) C. 2. et 8. de Trans.

[4]) C. 3. de reb. eccl. alienand. vel non.

[5]) Extravag. de Reb. Eccl. non alienand.

dimittat, quia alia pinguior est et uberior, secundum poenam canonibus statutam puniendus est, et in ea manere cogatur omni tempore vitae suae. Hoc principium obtinet etiam relate ad permutationem beneficiorum, quae si fiat cum pactionibus, ut unus alteri aliqua emolumenta praestet, labem simoniae continet et jure vetatur.[1]) Quia tamen aliquando contingere potest, ut qui uni loco minus utilis, alteri loco utilius deservire queat, poterit Episcopus beneficiatum ex uno loco ad alium transferre, ut alibi valeat se utilius exercere.[2])

His concluditur Juramentum parochiale, Formula autem Investiturae continuative sequentia adhuc continet.

*n) Auctoritate nostra Ordinaria te in Parochiam praefatae Ecclesiae N. (erga praesentationem N.) canonice instituimus et confirmamus.*

Clausula : erga praesentationem N. indicat praesentationem Beneficiati per Patronum si ecclesia sit patronata, secus clausula illa exmittitur. Praesentatio autem per Patronum jus tantum ad Beneficium tribuit; jus vero in Beneficium nonnisi per canonicam ab Episcopo institutionem sive Investituram acquiritur. Hodie Patroni sunt ad propositionem Episcopi adstricti, cum de idoneitate alicujus ad beneficium ad Episcopum spectet judicare.

*o) Volumusque, ut per Proto-Presbyterum (apud Latinos : Archi-Diaconum) in realem ejusdem Parochiae, et pertinentiarum illius possessionem vigore Praesentium introducaris.*

Institutio realis Installatio dicta, est solemnis traditio Beneficii perlecta Investitura, seu mandato Episcopi, ac traditione in conspectu fidelium clavium Ecclesiae, in symbolum potestatis in eam traditae. Peragitur per Proto-Presbyterum, qua Commissarium Episcopalem ex delegatione, in praesentia Patroni, si adsit, aut ejus vices gerentis; qua occasione omnes res ad Ecclesiam et Parochiam spectantes penes inventaria ab utrinque subscribenda et per Beneficiatum recipienda sunt.[3])

## §. 37. De Jure Patronatus.

Primis quinque Ecclesiae christianae saeculis officia et beneficia minora conferebantur per Episcopos sine omni alieno influxu, saeculo autem VI. in Oriente benefactoribus Ecclesiarum jura attributa sunt, et initio quidem nomina ipsorum dipticis ecclesiae inscripta, dein influxus in administrationem bonorum

[1]) Cap. 8. de Praep. et Cap. 5. de rerum permut.
[2]) Cap. 5. de rer. permut.
[3]) Vide Methodus gubernandi Parochiam Tom. 2. Tyrnaviae 1803.

ecclesiae, demum jus praesentandi. Beneficiatum tributum est, quod tamen leges civiles[1]) ita restrinxerunt, ut acceptatio personae ecclesiasticae per benefactorem electae ab Episcopo dependeat. Ex hinc ortum est jus Patronatus, quod initio benefactori ad personam tantum collatum est, tardius ad heredes quoque et quidem non solum naturales, sed etiam successores legitimos in possessione Dominji, aut Boni cui adjunctum est, jus patronatus devolutum.

## §. 38. Modi acquirendi Jus Patronatus.

Patronum faciunt fundus, aedificatio, dos, singula tamen ex dictis liberalitas sufficit ad obtinendum Patronatus honorem, unde si plures concurrant ad dotandam, fundandam et exstruendam Ecclesiam, omnibus simul patronatus competere potest; quo in casu aut insimul praesentant, aut per turnum, sive per vices. Etiamsi autem his jus patronatus acquiri possit, attamen cum in genere dici debeat jus Patronatus esse privilegium ab ecclesia concessum, praeter jus patronatus reale datur etiam jus tale personale, quod non fundo, sed personae inhaeret.

## §. 39. Diversitates juris Patronatus.

Jus patronatus vel est ecclesiasticum, vel laicale; ecclesiasticum est, quod competit personae ecclesiasticae qua tali relate ad bonum ecclesiasticum, quale est Episcoporum in bonis episcopatus, vel Capitulorum, aut coventuum Religiosorum, qua corporationum ecclesiasticarum relate ad bona Capituli vel Ordinis; vel denique si laicus patronus jus suum Claustro vel Capitulo tradit. Jus patronatus laicale autem est, quod alicui sive Laico Clerico competit ratione proprii patrimonii, vel acquisiti cum jure patronatus privati boni.

Distinguitur autem jus patronatus ecclesiasticum a laicali in sequentibus: 1) quod Patronus ecclesiasticus intra sex, laicus vero intra quatuor menses praesentare obligetur. 2) Quod patronus laicus intra quatuor menses re adhuc integra, mentem suam mutare, et succesive pluribus praesentam dare possit, quo jure eccles asticus patronus caret. 3) Quod laicus patronus praesentando indignum, jure praesentationis non privetur, dummodo terminus quatuor mensium non exspiraverit, ecclesiasticus vero praesentans indignum, jus praesentationis pro illo casu amittat.[2])

## §. 40. De Juribus Patronorum.

Jura Patronorum, sunt alia honorifica, alia utilia, onerosa. Jura honorifica sunt: 1) praesentationis ad beneficium vacans.

---

[1]) Vide Nov. Justin. 57. C. 2. et Nov. 123. C. 18.
[2]) Vide Canonistas.

2) Patronus habet praecedentiam in ecclesia, cujus patronus est, et quidem non tantum in sessionibus, aut conventibus occasione visitationis canonicae Episcopalis, aut Commmissarii ejus, verum etiam in publicis supplicationibus. 3) Patronus defunctus in crypta Ecclesiae si existat sepelitur. — Utile jus Patroni est, quod casibus adversis ad incitas redacto e proventibus ecclesiae superfluis alimentatio competat. Onerosa denique jura Patroni sunt: ecclesiam et jura ejus defendendi, et procuratorem cum consensu Episcopi eo scopo conducendi, seduloque invigilandi ne bona ecclesiae dissipentur, aut male administrentur; ideo habet jus praesentiae in examine et approbatione rationum ecclesiae, non potest tamen e reditibus ecclesiae quidquam assignare, aut eos solus administrare; denique Patroni officium est sarta tecta Ecclesiae et Parochiae conservare. Quae omnia Patroni jura his versibus exprimuntur:

Patrono debetur honos, onus, utilitasque; Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus.

# CAPUT IV.

## DE MODIS OBTINENDI BENEFICIA MAJORA, SEU DIGNITATES ECCLESIASTICAS.

### §. 41. Dignitates Ecclesiasticae.

Suprema in Ecclesia dignitas est Pontificatus, post hunc Cardinalitia, dein Patriarchica, Metropolitica et Episcopalis. Dignitatibus adnumeratur etiam Canonicatus, Vicarii item Episcopalis, et Capitularis munus, sicut et Proto-presbyteratus, Archimandria et Hegumenatus.

### §. 42. De electione Romani Pontificis.

Supremum in Ecclesia christiana officium et dignitas est Pontificatus. Summus Pontifex primis temporibus eligebatur modo per Apostolos observato, videlicet convenientes in unum vicini Episcopi cum Clero civitatis Romanae et populo praemissa divini Spiritus invocatione, qui dignissimus communi sensu videbatur, in successorem sancti Petri per acclamationem proclamabatur. Concilium quoque Romanum 964-to celebratum Can. 10 statuit: „Constituendus Pontifex convenientibus Episcopis et universo Clero eligatur, expetente Senatu et populo qui ordinandus est.“ Posterioribus temporibus autem Clerus et populus sensim ab electione Pontificis ob factiones admissas excludi coepit, et instituto Collegio Cardinalium, qui Synodum perpetuam Episcoporum penes Pontificem constituerent, vigore Decreti Pontificis Nicolai II. electio Pontificis ad Cardinalium

Collegium devoluta est. Eligitur autem Pontifex per scrutinium, seu votisatione secreta a Cardinalibus corporaliter in loco electionis (conclavi dicto) praesentibus, et quidem absoluta majoritate duabus tertiis praesentium votorum.

## §. 43. Modus obtinendi dignitatem Patriarchalem.

Modus eligendi Patriarcham observabatur canonicus, videlicet, Metropolitae dioecesis patriarchalis convenientes in unum eligebant Patriarcham, qui recognitionem electionis suae a summo Pontifice qua Ecclesiae universalis capite impetrabat; qui, si electio factiosa fuisset, eandem reprobabat, novamque electionem ordinabat, vel indigne depositi restitutionem decrevit, prout factum est cum electione Patriarchae Photii, et restitutione Ignatii. Postquam autem Patriarchae orientalium ditionum se ab unione et communione sanctae matris Ecclesiae Romanae et Apostolica Sede Beati Petri Apostolorum Principis sejunxissent, titulus sedium patriarchalium Orientis latinis Episcopis, aut graecis catholicis conferri coepit.

## §. 44. De electione Metropolitarum.

Quoad Metropolitarum electionem Synodus Sardicensis Canone VI. decrevit: „Non tantum per Episcopos provinciae metropoliticae, sed propter majorem dignitatem, etiam ex vicina provincia ad electionem Metropolitae accersiri Episcopos.“

## §. 45. De electione Episcoporum.

Episcopi sunt eligendi juxta Canonem IV. Concilii Nicaeni 1-i per Episcopos provinciae, absentibus scripto in electionem consentientibus, electionem Metropolita confirmante. Concilium autem Antiochenum Canone XXIII. decrevit: „Non licet Episcopo alium pro se successorem constituere, etiam si sit in fine vitae; si quid autem fiat ejusmodi irrita sit constitutio, servetur autem ritus ecclesiasticus, qui dicit, non aliter fieri debere Episcopum quam cum Synodo et judicio Episcoporum, qui post defuncti dormitionem potestatem habent dignum provehendi.“

## §. 46. Nominatio Regia.

Augustissimus Imperator Austriae et Apostolicus Hungariae Rex privilegio gaudet praesentandi seu nominandi Episcopos ad Apostolicam Sedem pro eorumdem canonica institutione, prout desumitur ex paragrapho XIX. Conventionis anno 1855. inter Apostolicam sedem et Augustissimum Imperatorem initae. Sed prestat super hac re Sanctissimi Pontificis Pii Papae IX. saltem aliqua verba, quibus hanc conventionem firmavit, referre. = Divinae, inquit Pontifex, miserationis argumentum est,

quod amplissimi Imperii Austriaci ditioni eum Principem novissime praeposuerit, in quo summa sunt omnia, et cui hoc est maxime persuasum sic a Deo fuisse mortalia composita et distributa, ut inter se copularentur Sacerdotium et Imperium ad humani generis incolumitatem. = Et revera religiosa atque ecclesiastica ejusdem inclyti Imperii gravissima negotia apostolica virtute Summi Pontificis atque insigni pietate religione Augustissimi Imperatoris per conventionem ut supra, initam, feliciter composita conspiciuntur. Ad privilegium vero, quod adtinet nominandi Episcopos ac dignitates Ecclesiarum cathedralium sequentia statuuntur. Artic. XIX. „Majestas sua Caesarea in seligendis Episcopis, quos vigore privilegii Apostolici a Serenissimis Antecessoribus suis ad Ipsam devoluti a Sancta Sede canonice instituendos praesentat seu nominat, imposterum quoque Antistitum imprimis comprovincialium consilio utetur.“ Artic. XXII.: „In omnibus metropolitanis seu archiepiscopalibus suffraganeisque ecclesiis Sanctitas sua primam dignitatem conferet, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituetur. Ad ceteras dignitates et praebendas canonicales Majestas sua nominare perget, exceptis permanentibus iis, quae liberae collationis episcopalis sunt, vel juri patronatus legitime acquisito subjacent.“ Jus Episcopos imprimis Patriarcham nominandi etiam Imperatores Constantinopolitani exercuerunt, et etiam Imperator Russorum, exercet. In Valachia autem et Moldavia Archi-Episcopi et Episcopi per Conventum nationalem eliguntur, ut adeo forma electioni canonica amplius vigeat, nisi in quibusdam provinciis titulo privilegii vel de consuetudine. Institutio tamen electi canonica seu praeconisatio, sine qua nemo in Episcopum consecrari, et per quam missionem ad gregem electus obtinet, ad inalienabilia supremi Ecclesiae Capitis summi Pontificis Romani jura spectat.

# SECTIO II.

## DE JURE RERUM ECCLESIASTICARUM.

## CAPUT I.

### DE REBUS SACRIS.

### §. 47. Notio Rerum Sacrarum.

Per res sacras intelliguntur res spirituales, prout sunt omnes actus cultus divini externi, professio fidei, sacra Liturgia,

et Sacramenta, quae in se et per se sacra sunt, sunt autem aliae res sacrae, quae in se et per se sacrae non sunt, sed ritu sacro ad scopum spiritualem consecrantur, ideo et sacratae compellantur, qualia sunt tempora et loca sacrata, de quibus Canones Ecclesiae praescribunt, et de quibus distinctis capitibus tractandum est.

## §. 48. De Symbolo Fidei.

Per Symbolum fidei intelligimus complexum articulorum fidei Christianae, qualia plura existunt et quidem: 1) Symbolum Apostolorum, 2) Symbolum Nicaenum, 3) Nicaeno-Constantinopolitanum, quod apertius enunciat Divinitatem Spiritus Sancti contra haeresim Macedonii, 4) Symbolum S. Athanasii.

Praeter haec Symbola existunt et aliae formulae professionis fidei, Articulos fidei clarius explicantes, talis est formula professionis fidei Episcoporum orientalium occasione consecrationis eliciendae. Item Concilii Lateranensis IV. qua uberius declaratur Mysterium sanctissimae Trinitatis, imprimis quod Spiritus Sanctus tam a Patre quam a Filio procedat. Occurrit haec formula in capite seu ab initio Libri 1-i Decretalium Cap. II.; insuper praeter Tridentinam a Pio IV. Pontifice contra erroneas Protestantium doctrinas in Bulla quae incipit: „Injunctum nobis" 1564. promulgatam, formula per Pontifices Gregorium XIII. et Urbanum VIII. pro Graeco-Catholicis in sensu decisionum Concilii Florentini praescripta. In sacris tamen functionibus recitatur Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum.

## §. 49. De Liturgia Ecclesiae Orientalis.

Liturgia seu officium divinum sensu latiori est definitus cultum divinum externum obeundi modus. Huc igitur spectant omnes actus et ritus, orationes et preces, quibus Ecclesia ad excitandum, firmandum, augendumque cultum Dei internum utitur. Unde etiam patescit jus constituendi, atque curandi Liturgiam, potestatis ecclesiasticae partem esse praecipuam. Sensu autem stricto Liturgia orientalibus est Ritus celebrandi ipsum divinum altaris sacrificium, quod cultus divini principalem partem efficit. Ritus liturgici in arctissima cum essentialibus fidei connexione constituti sunt, horum enim subsidio fidei morumque praecepta traduntur, sacramenta ministrantur, ipsaque religionis substantia sustinetur. Liturgia, uti in actibus et ritibus tacitam, ita in orationibus et precibus expressam fidei professionem exhibet, proinde liquet hos ritus, in eo quod fidei dogmata respiciunt constantes nec variabiles esse debere.

## §. 50. Concordantia Liturgiae Graecae cum Latina.

Omnes Liturgiae orientalium et occidentalium tantopere inter se concordant, ut communem illarum fontem apostolicam

nempe traditionem quilibet agnoscere debeat. Omnes a Sacerdotibus sacram Eucharistiam confici praescribunt, qui sacra vasa, eaque pretiosa, et vestes itidem sacras adhibeant, et in altari celebrent. Omnes exhibent praeparatorias orationes, et caeremonias, scripturarum lectiones, psalmorum cantus, orationes pro vivis et defunctis, memoriam sanctorum, osculum pacis, praefationem, orationes pro donorum oblatione, symbolum fidei, recitationem historiae institutionis Eucharistiae, cum Christi verbis, quae vice Ejus a Sacerdote proferuntur, invocationem Spiritus Sancti, orationem dominicam, fractionem Hostiae, atque ejusdem communionem, ac confessionem corporis, et sanguinis ejusdem Domini nostri Jesu Christi; rituumque diversitas, quae in iis inest, tota est circa ritus, qui mere caeremoniales dicuntur, et circa formulas et ordinem precum, quarum tamen sensus cum latinis plerumque convenit; quae proinde institutam a Patribus perficiendae Eucharistiae normam non variant. Quae quidem concordantia Liturgiarum quemadmodum unitatis Ecclesiae Christi Symbolum est, ita monet quemlibet Christi discipulum, ut corde et animo, eadem indivisa dilectione, cujus sacra Liturgia, qua dilectionis Christi pignus, perpetuum unionis vinculum exhibet, concordes sint, monito S. Pauli obsequentes, ut id ipsum dicant omnes, nec sint inter eos Schismata, sed perfecti in eodem sensu et eadem scientia.

## §. 51. De Libris Ritualibus Ecclesiae Orientalis.

Libri Ecclesiae Orientalis sunt praeter Scripturas sacras, alii Liturgici pro celebratione SS. Eucharistiae, alii Euchologici pro administratione sacramentorum et aliis functionibus sacris; item libri Chorales, Horarium, latinis Breviarium, Minea (pro cultu sanctorum), Octoichion, octo tonorum pro celebranda resurrectione Domini diebus dominicis, Triodion, officium quadragesimale, Liber „Officium hebdomadae sanctae,“ Pentecostarion, complectens officium paschale usque diem Pentecostes. Hi libri, cum a sanctis catholicis Patribus promanaverint, catholici omnino sunt, tota proinde Episcoporum circa eos sollicitudo in eo consistit, ut incorrupti conserventur, et non modo nihil interpolari admittant, sed nec ullas additiones imprimis cultus sanctorum, quos Catholica orientalis Ecclesia non recipit, tolerent. Quocirca Benedictus XIV. Pontifex constitutione: Etsi pastoralis inquit : „Quia in ecclesiasticis graecorum libris nonnulli errores irrepsere, quibus primaevam Ecclesiae graecae puritatem fraude potissimum ac dolo schismaticorum corruptam esse orthodoxi dolent, Ordinariorum locorum vigilantiam excitamus, ut nonnisi librorum probatorum usum admittant.“

## §. 52. De Lingua Liturgica.

Proprium est Ecclesiae Orientalis, ut in sacris lingua nationali utatur, ita praeter linguam graecam, linguis slavica,

romanica [1]), arabica, siriaca, armenica et coptica in sacris apud respectivos populos adhibetur et etiam sacra Liturgia celebratur. Plurimum autem propagatae sunt consuetudines Ecclesiae Constantinopolitanae, librique Ecclesiae hujus rituales in memoratas linguas versí sunt. Sacra Sedes Apostolica, quae de cetero gravibus e rationibus linguae popularis usum in mysteriorum celebratione, eo ipso quod mysteria sint, non admittit; Orientalem Ecclesiam in suo usu relate ad propriam linguam ritualem permittit.

## §. 53. De Sacrificio Altaris.

Praecipuam partem cultus divini efficit sacra Liturgia seu sacrificium altaris; celebratur autem illud semel in die super eodem altari. Quam proprietatem ritus Graeci S. Sedes Apostolica conservatam esse voluit; cum enim Graeco-Melchitae a Sacra Sede postularent, ut ad satisfaciendum pietati Sacerdotum, et multiplicibus fidelium oblationibus, praedictum ritum antiquitate commendatum mutari permitteret, et in Ecclesiis Libani et Antilibani plures Liturgias eodem die super eodem altari offerendi Sacerdotibus fieret potestas, Benedictus XIV. Constitutione: „Demandatam“ petitioni minime indulgendum censuit.

---

[1]) Gens Valachica (romena vel daco-romana) scribit Porubszky pag. 855. 20. in Transilvania a vicini imperii byzantini Sacerdotibus ad fidem Christi perducta, cum ritu orientali linguam quoque graecam recepit. Post Concilium Florentinum, in quo Metropolita Moldaviae quoque sacram unionem amplexus est, quidam Monachi Rasciani et Moscovitae cum schismate linguam quoque rascianam in divinis Valachis Transilvaniae obtruserunt (v. Demetrii Cantemir. Principis: „Historia Moldaviae.“) Ea lingua usi fuisse videntur Valachi in sacris usque ad tempora Georgii Rákóczy I., Transilvaniae Principis, qui, Calvinista, ut Valachos ad amplectendam confessionem helveticam alliceret, edito 10. Oct. 1643. decreto mandavit Archi-Episcopo et Sacerdotibus Valachorum, ne amplius audeant alia lingua quam Valachica sacra celebrare et aliquas functiones sacras obire. Romani Transilvani linguam quidem maternam adoptarunt, a ritu tamen suo nunquam defecerunt. Postulato eorum quod expresserant, dum ipsorum Archi-Episcopus et magna pars Cleri ac populi agente cumprimis Regni Hungariae Primate ad unionem Catholicam cum Ecclesia Romana redire constituerat, et reapse d. 21. Martii 1697. redierat, ut nempe ritum orientalem et linguam maternam porro quoque in sacris adhibere queant, delatum est. Valachi tacito consensu Pontificum modo quoque lingua sua romana in sacris utuntur.

— Olim Valachi in scribendo usi sunt characteribus latinis, at vero Theoctistus Metropolita Moldaviae, antea Marci Ephesini Diaconus, parsuaserat Alexandro Principi (Voda) Moldaviae, ut eliminet litteras latinas et suscipiat cyrillicas, (vide Petri Major, Historia de initiis Valachorum in Dacia 1812.). Formae litterarum daco-romanarum (civilium) hodiernarum auctor est quidam Russus, qui e scribendi ratione russica rejiciendo aliquas literas cyrillicas introduxit alias latinas. Libri sacri Romanorum, uti: rituales, missalia etc. nisi successive sunt versi in linguam valachicam, et cum versionum auctores plerumque in monasteriis vixerint, nec nomina eorum, nisi forte paucorum recentiorum, sunt nota. Editi fuerunt typis etiam cura Episcoporum Fogarasiensium, postquam Blasii circa a. 1760. typographia est erecta.

Permisit tamen juxta Decretum latum 30. Martii 1829-i [1]) ut alia altaria in loco Ecclesiae apto erigi possint [2]). Si autem altarium numerus celebrantium et offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus Sacerdotibus ubi ejusmodi consuetudo viget, super eodem altari, una cum episcopo vel alio Sacerdote sacrificium peragente concelebrare; ita tamen ut sacris vestibus more celebrantium induti unusquisque totam Liturgiam integre recitet, et verba consecrationis proferat perinde, ac si sacrosanctum sacrificium singillatim conficerent. Hujusmodi autem Sacrificium singuli Sacerdotes juxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licite valeant applicare. Quodsi secundae et ulteriores oblationes pro ejusdem Sacrificii applicatione superaddantur, Sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere fideles posteriori loco offerentes, de aliis oblationibus ad eundem finem acceptis; et nisi iidem offerentes unica Liturgiae celebratione se voti compotes fore declarent, sciat se unico Sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum. Eorum vero mentem, qui pro Sacrificio obtulerant, nunquam a Sacerdotibus impletum iri per solam adjectionem particularum, et commemorationem, quae in panis praeparatione ante Missae Sacrificium fieri solet; cum omnino necessaria sit, integra celebratio, nisi de eorumdem offerentium voluntate aliter fiat.

## §. 54. De Liturgiis privatis.

Benedictus XIV. in Epistola Encyclica ad Missionarios orientales: „Nonnulli inquit, occasionem arripuerunt revocandi in dubium, an privatis Missis, quae ab uno Sacerdote celebrantur, in orientali Ecclesia locus esse possit, cum in graecis templis unicum altare existat, unicum ad illud Missae Sacrificium offeratur, et Sacerdotes cum Episcopo celebrent, aut cum Sacerdote, qui primi Sacerdotis munere fungitur. At privatae etiam Missae usus colligitur juxta orientalis Ecclesiae disciplinam ex Canone XXXI. Concilii Trullani, ad quem Canonem notat Interpres Aristenus: „Quinquagesimus quidem octavus Synodi Laodicensis Canon Sacrum Ministerium in Oratorio, quod intra domum est, ab Episcopo fieri aut a Presbytero vetat. At praesens Canon illud evertit, et mandat: Episcopo loci ita volente, Sacerdotes in Oratoriis, quae sunt intra domum, sacra facere.“

In commodum vero Sacerdotum, qui privatum Missae Sacrificium offerre cupiunt, salva semper consuetudine, ut ad unum altare, unum tantummodo Sacrificium in dies singulos offeratur, Graeci constituerunt Pareccclesias; sunt autem hae Oratoria quaedam Ecclesiae contigua, in quibus altare inest, in quo Sa-

[1]) Bullarium S. Congregat. de propag. fide Append. II. pag. 105.

[2]) Concessio haec particularis pro illis tantum valet, quibus concessa est, nec aliis personis vel locis potest suffragari absque speciali S. Sedis Apostolicae permissione.

cerdos celebret, qui in alio, ubi alter celebraverit, sacrum facere nequit. Possunt autem Graeci in latino altari, si proprium desit, et vicissim Latini in graeco altari celebrare, quin exinde rituum permixtio sequatur, quae vetita est; sed urbanitatis officia ita exercentur, vel potius praecepta implentur, aequitatem cujusdam juris exposcentia, ut non habenti opportunum locum, ad ea peragenda quae jure aliquo praestare jubetur, locus ipse lubenti animo concedatur, concludit idem summus Pontifex in provocata Encyclica. Idem Benedictus XIV. anno 1751. constitutione quae incipit: „Imposito Nobis," justis de causis concessit Sacerdotibus latinis, in Russia polonica commorantibus, ut in Ecclesiis Ruthenorum unitorum, super eorum Antimensiis ritu tamen latino celebrare possint. Clemens autem VIII. 1602. permisit, ut Sacerdotes graeci ritus in casu necessitatis, in Ecclesiis catholicorum ritus latini, altaribus, calicibus, et vestibus sacris eorundem catholicorum uti, et Liturgiam celebrare possint, cum licentia Rectorum ipsarum Ecclesiarum.

## §. 55. De celebratione Liturgiae Praesanctificatorum.

In Ecclesia Orientali tota quadragesima praeter Sabbatum et Dominicum diem, item diem magnum Veneris et Festum Annunciationis B. M. V. Missa non celebratur, sed solum Praesanctificatorum, qualem Ecclesia latina, die magno Veneris, idest feria sexta majoris hebdomadae celebrare solet. Patriarcha autem Antiochenus Graeco-Melchita petiit ab Apostolica Sede ut in praedictis Quadragesimae feriis, Sacerdotibus suis integram Liturgiam celebrandi facultatem concederet. Sed Benedictus XIV. Pontifex hanc petitionem rejecit, mandavitque, his de rebus veteres Ecclesiae graecae rubricas servari, eorumque executionem Sacerdotibus inculcari.

## §. 56. Recitatio horarum Canonicarum.

Ad cultum divinum spectant etiam horae Canonicae, seu officium divinum ex psalmis, hymnis, variisque precibus et lectionibus eum in finem compositum, ut Clerici illud, ceu peculiarem cultus divini partem, in Ecclesia cui adscripti sunt, tum recitando, tum canendo certis quotidie horis peragerent. Ad opinionem autem illorum refutandam, qui adstruunt, Clericos orientalis ritus non obligari horas Canonicas extra chorum persolvere, interrogatione hac de re a Maronitarum Patriarcha apud S. Sedem Apostolicam facta, Gregorius XIII. Pontifex respondit: Tenentur etiam omnes ordinati ad horas Canonicas, saltem illi nationi Maronitarum consuetas, non solum beneficiati, sed etiam qui sunt in sacris sine beneficio. (Vide Pravila C. 66. et 73.)

## §. 57. De Cantu Ecclesiae Orientalis.

Ea est proprietas Ecclesiae Orientalis, ut Cantum instrumentalem in Ecclesia non admittat; Cantus in Ecclesia Orientali in regula melodicus est, et unisonus, ut singula verba clarius intelligantur, et eorum sensus ab auditoribus assequatur, ut dum intellectus sensu cantus occupatur, melodia animus ad pietatem excitetur. Per exceptionem Rutheni cantum proprium harmonicum habent, et in parte etiam figuralem, quem etiam Russica Ecclesia adoptavit.

# CAPUT II.

## DE SACRAMENTIS.

## §. 58. Prologus.

De Sacramentis late disserunt Theologi; Canonistae vero communiter ea tantum tradunt, quae vel Canonicam disciplinam, vel externam spectant rationem administrandi Sacramenta. Quamobrem pro nostro instituto breviter proponere intendimus ac discutere disciplinam, quam praesertim SS. Canones, Synodalia Decreta, ac Ritualia in eorum administratione servandam praescribunt.

## §. 59. De Sacramento Baptismi, Materia ejus.

Materia Baptismi ex institutione Christi est aqua naturalis; adhibetur autem aqua tam graeco, quam latino ritu de regula benedicta; quae benedictio aquae apud Graecos fit in Vigilia et festo Epiphaniae. Valida autem est materia aqua etiam non benedicta.

Juxta Goarium adhibent Graeci etiam aquam calidam vel tepidam in Baptismo; ut constat ex Canone Synodi provincialis sub Germano Amathuntis Archi-Episcopo celebratae, quo statuitur: „In aqua frigida baptizare non oportet, sed in calida, manifestante nempe calida aqua Baptismi fervorem; si autem necessitas urgeat, fiat etiam in frigida.“ Qui ita agunt reprehendi quidem non possunt; si autem quis credat aquam calidam uberiorem gratiam conferre, aut non recte aqua frigida Baptismum administrari, superstitio est.

## §. 60. De Modo adhibendi Materiam Baptismi.

Quoad modum adhibendi materiam Baptismi divina institutio expressa nulla existit; proinde, quocunque modo abluatur homo in Baptismo, et num semel, vel pluries abluatur, validus est Baptismus. Ecclesiasticae tamen constitutiones exstant, qui-

bus modus adhibendi materiam Baptismi praescriptus est. Et quidem dubitandum non est, a tempore Apostolorum usque ad saeculum XIII. ablutionem in Baptismo ordinarie per immersionem, qua denotaretur sepultura Christi, viguisse, atque per trinam immersionem ad indicandos tres dies, quibus Christus in sepulcro jacebat. Qui huic modo baptizandi adhaerent, prout Constantinopolitani, provocant ad S. Paulum Apostolum in Epistola ad Romanos Cap. VI. v. 4. dicentem: „Consepulti enim sumus per Baptismum cum illo in mortem", item ad Colossenses Cap. II. v. 12.: „Consepulti ei in Baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei", et asserunt, ad validum Baptismum SS. Trinitatis invocationem non sufficere, cum praeter fidem in sanctissimam Trinitatem requiratur in regenerandis etiam fides in mortem Domini, quae in Baptismo per trinam immersionem perinde exprimi debet, sicut fides in sanctissimam Trinitatem. Verum si secus collatum Baptisma rejiciant, prout Constantinopolitani Baptisma Latinorum non per trinam immersionem collatum rejiciunt, errant; nec enim immersio sola, sed ablutio, nec trina ablutio, sed solum ablutio per Christum praescripta est: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua, ait Christus, item, baptizantes, idest abluentes eos, qui crediderint in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti." Sed Constantinopolitani Latinos non immergentes damnantes nec in sacris Canonibus invenire possunt suae sententiae de absoluta immersionis in Baptismo necessitate praesidium; Canon enim L. SS. Apostolorum statuit: „Si quis non tria unius Mysterii baptismata perfecerit, sed unum baptisma, quod datur in mortem Domini, deponatur, non enim dixit Dominus in mortem meam baptizate." Et Canone VII. Concilii Constantinopolitani I.: Eunomiani autem, qui una mersione baptizant, rebaptizandi praecipiuntur; adeoque ex his Canonibus nihil in praesidium dictae sententiae allegari potest, priore enim Canone refutantur, qui in mortem Christi baptizant semel immergendo, sed invocationem SS. Trinitatis omittendo, quam non necessariam esse, sed solo facto unius immersionis in denotationem mortis Christi semel sepulcro immersi Baptisma perfectum esse credebant. De Eunomianis autem, aperte Theodoretus Libro 4. de Haereticorum fabulis Cap. 3. testimonium perhibet dicens: „Eunomius sancti etiam Baptismatis legem olim a Domino et Apostolis traditam evertit, et contrariam sanxit, non oportere inquiens ter illum immergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem." Ideo, ipsi quoque Photianorum multi non tantum qui in Imperio Austriaco sunt, sed et in Graecia non per immersionem, sed per infusionem, quem baptizandi modum nec Pidalion damnat, baptizant; id testatur Rhodinus Graecus, in Graecia diu versatus, in Synopsi sua Doctrinae Christianae de Baptismo scribens: „Ter aquam super eum, qui baptizatur infundimus, ut S. Trinitatem, cujus nomine baptizamur, declaremus."

Non defuerunt autem etiam inter latinos Theologos, inter quos Coresius, ad quem in Pidalion, Nota ad Canonem L. Apostolorum provocant Constantinopolitani, qui in Graecorum sententiam de absoluta necessitate trinae immersionis in Baptismo abierat, verum contra hunc latinum Theologum, adferimus Graecum Theologum Prodromum, qui in interpretatione ad Canonem L. Apostolorum, in hunc modum Coresii stultitiam damnat: „Sunt, inquit, qui adeo necessarias immersiones existiment, ut dicant non conferri Baptismum non immerso illo, qui venit ad baptisterium. Errant hi tamen, quando id aperte Canon minime jubet. Is immersionem non ad constitutionem Sacramenti decernit, sed ad ejusdem perfectionem, ut triduo sepultum Christi corpus commemôret. Fit enim verum Baptisma per aquae consecratae infusionem, et quocunque modo hominem contingat unda sacra, recitans divina verba cum invocatione S. Triadis eum baptizabis. Hoc autem scito perutile, ne cui baptismatis in necessitate desit auxilium. Et docendae hoc ipsum obstetrices, ut in nativitate periclitantem puellum norint salutaribus undis intingere, quocunque in membro prodeunte, illum tangentes aqua, cum Trinitatis verbis. Et siquidem caput contingant aut pectus, et sinum, non iteratur baptismus, sed in Ecclesia quae defuere supplentur ad perfectionem. Quodsi tetigerit aliud aliquod membrum, superstes infans iterum baptizandus, quo sit securior; nam anceps est Sacramentum.“[1]) Refert Papadopoli (praenot. Mixtag. respons. 5. Sess. 3.) hanc Prodromi sententiam, imo ipsius verba approbasse Patriarchas plures, inter quos recenset Methodium, Nicephorum, et Veccum Catholicos; item Nicolaum Muzalonem, Georgium Xiphilinum, et Philotheum Palamitam Schismaticos; eademque recepisse Photium, et post eum Balsamonem, Aristenum, Leonem Numodotem, et Georgium Syncellum.

*Nota*: Ubi viget adhuc consuetudo baptizandi per trinam immersionem observanda est. Ita vero trina sive immersio, sive infusio fieri debet, ut ad uniuscujusque personae divinae invocationem baptizandus immergatur, aut ei aqua infundatur.[2])

## §. 61. De Forma Baptismi.

Orientalium Forma Baptismi haec est: „Baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,“ cujus formae mentionem facit Chrysostomus, eaque reperitur in plerisque Euchologiis, quam etiam Florentina synodus approbavit. Discrimen inter Graecorum, et Latinorum formam ex eo nonnulli ortum esse arbitrantur, quod Orientales Patres, ut Nova-

---

[1]) Praestare, ut iteretur Baptismus dum non in Capite, sed in aliqua alia corporis parte aqua cadat, velut in dubio in re gravissima. (Consul. Bened. XIV. de Synod. dioec. Libr. VII. Cap. V. et VI.

[2]) Vide Antoin. de Sacris Ritibus pag. 101.

tianis, qui magna in copia in Oriente versabantur, occasionem praeriperent docendi, fidem ministri necessariam esse ad baptismi valorem, prudenti oeconomia constituerint, ut ministri baptizantes non amplius dicerent: „Ego te baptizo, sed baptizatur,[1]) quae forma ex sequentibus Christi verbis per aliquos deducitur: baptizabimini non post multos hos dies. Latini autem suam formam: Ego te baptizo etc. ex Christi verbis: „Euntes baptizate omnes gentes“ deducunt.

## §. 62. De Baptismi Ministro.

Photianorum nonnulli in ea versantur haeresi inquit Arcudius, ut credant nefas omnino esse laicis hominibus baptizare, etiamsi in extrema hominis, aut infantis necessitate. Haec sententia etiam in Codice canonum graeco Pidalion, Nota ad Canonem 47. Apostolorum defenditur sequentibus argumentis: 1) Juxta Canonem hunc Apostolorum soli Episcopi et Presbyteri habent potestatem baptizandi, 2) Juxta Canonem I. Basilii magni qui dicit: „a laicis baptizatos baptizamus, quoniam quod fit in casu periculi, et in casu extraordinario, non est regula in Ecclesia.“ 3) Quoniam et Dionysius Alexandrinus rebaptizavit Judaeum, in casu necessitatis per laicum baptizatum. 4) Quodsi laici possent baptizare, possent etiam sacro chrismate ungere seu confirmare. Attamen (prosequitur Pidalion) „est opinio aliquorum, quod proles laicorum in periculo baptisatae, si morerentur, inter orthodoxos commemorandae sint, qua tales, quae constituuntur in spe obtinendi divinam misericordiam. Qui autem extra casum periculi baptizati sunt a laicis, vel ementito Presbytero, non commemorentur mortui inter fideles, quia baptizati non sunt.“

Ad quae respondemus 1) citatus Canon Apostolorum loquitur de Episcopis et Presbyteris qua ordinariis Baptismi ministris, eo quod cum Baptismo etiam unctio Chrismatis conjungi soleat, quae ab aliis fieri nequit; ipsum vero Baptisma etiam a Diaconis collatum esse probat exemplum Philippi Diaconi Act. Apost Cap. VIII. et continua praxis Ecclesiae. Ad 2) et 3) citatus S. Basilii, et factum Dionysii Alexandrini, refertur ad eos, qui ab haeresi transeunt ad Ecclesiam, de quorum baptismo juxta modum et fidem Ecclesiae collato dubium est. Ad 4) si laicus posset baptizare, posset et confirmare, negatur consequentia, namque Actuum Apostolorum Capite VIII. v. 15. et 16. exemplum exhibetur baptismi et confirmationis non ad semel collati; postmodum per Apostolos eatenus edoctos confirmati sunt; hinc quemadmodum Diaconi baptizare possunt, non item confirmare, ita de laicis dicendum est. Cum autem Graeci parvulorum in casu necessitatis per laicos baptizatorum baptisma

---

[1]) Arcudius lib. 1. C. 3. et C. 8.

acceptant, et sic baptizatos inter fideles cooptant, et tamen laicos valide conferre baptismum negant, ipsi sibi contradicunt. Quod autem fidem Ecclesiae et antiquitatis concernit, testimonium perhibet Tertullianus saeculi II. Scriptor in Libro de Baptismo scribens: „Et laicis jus est baptizandi.“ Idem testatur Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Augustinus Libr. 2. contra Julianum, et innumeri Graeci et Latini Patres, quos citat Prodromus.[1]) Contra omnes autem deviantes opiniones Concilium Florentinum decreto de Sacramentis enunciavit: „Minister hujus sacramenti (Baptismi) est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.“ In casu autem necessitatis non solum sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus, vel haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia.

## §. 63. De caeremoniis ad Baptisma pertinentibus.

Tota Ecclesia Christiano-Catholica, et uterque ritus graecus et latinus praescriptas habet in administratione Baptismi certas preces, et caeremonias, tum ad conciliandam Sacramento venerationem, tum ad beneficia indicanda quae Deus per illud confert, tum demum ad offerendum hominum memoriae, eorum, qui Christianae religioni initiantur, officia. Has caeremonias ex Ecclesiae praecepto adhibendas, vel cito supplendas esse, si gravi de causa omittantur, tota Ecclesia utriusque ritus docet. Tales caeremoniae sunt ante baptismi collationem Exorcismi, satanae abrenuntiationes et insufflationes, dein unctio oleo catechumenorum, quod in Ecclesia orientali per ipsos Presbyteros benedicitur; dein post Baptismum novae et mundae vestis ex tela nova traditio, et tonsio capillorum in forma crucis. Simul autem de praxi et disciplina Ecclesiae Orientalis baptizato confertur sacramentum Chrismatis seu Confirmationis, Chrismate die coenae Domini sub sacra Liturgia consecrari solito. In quibusdam Ecclesiae orientalis ditionibus baptizatis et confirmatis mox etiam sacra Eucharistia porrigitur. Qua de re Constitutio Benedicti XIV. „Etsi Pastoralis“ sequentia continet: „Cum administratio sacramenti Eucharistiae, quo sub una vel sub utraque specie infantibus in Baptismo, et pueris in Missa solent Graeci exhibere, nihil contra fidem bonosque mores contineat, dummodo iidem Graeci credant firmiterque teneant, communionem hujusmodi non esse necessariam ad salutem, ac Baptismum sine communione valide ac licite posse administrari.“ Sed et in Concilio Lateranensi IV. probatae sunt consuetudines Graecorum, aliorumque Orientalium, quae neque fidei, neque honestati adversantur. At mos confirmandi, ac Eucharistiam administrandi pueris illico post baptisma, antiquior laudato Concilio, neque fidei neque honestati contrarius est. Imo etiam in Latina Ecclesia quandoque viguit;

[1]) Antoine de Baptismo pag. 104.

nam in Sacramentario, quod Gregorio Magno adjudicatur, habetur: „non prohibetur infantes lactari ante sacram communionem si necesse fuerit.“[1]) Quod si tamen non obstante hac Ecclesiae orientalis consuetudine, Confirmationem ad essentiam Baptismi pertinere, aut Eucharistiam necessariam esse parvulis ad salutem, deque jure divino tria haec Sacramenta conjungenda esse, aliqui adstruerent, manifesta in haeresi versarentur. Namque quamvis laici extra casum necessitatis, ac Diaconi praeter Episcopi vel Sacerdotis licentiam sacramentum Baptismi licite conferre nequeant, tamen Ecclesia semper professa est eos, qui vel a Laicis, vel a Diacono juxta praescriptum Canonem Ecclesiae et Tertulliani doctrinam, qui dicit: „Baptismi Minister est Episcopus, vel de licentia Episcopi Presbyter vel Diaconus,“ rite baptizati sunt, verum sacramentum regenerationis suscipere, fierique aeternae gloriae capaces et haeredes, etiamsi sacramentum Confirmationis, quod Diaconi administrare non possunt, non recepissent. Ex quibus patet, quod prout Latini non debent reprehendere Orientales propter propriam disciplinam, ita vicissim Orientales non debent arguere Latinos: habent suae consuetudinis idoneas causas Graeci: habent et quidem validissimas Latini[2]) quos et Graeci imitati sunt, nostris temporibus Eucharistiam parvulis baptizatis in pluribus ditionibus non amplius administrantes. Usus enim conjungendi haec tria sacramenta ex eo ortus est, quod antiquis temporibus, in quibus statis diebus, uti in Paschate, Pentecoste, et Epiphania, qui solemni Baptismo initiabantur plerumque adulti erant, quibus tria sacramenta successive eodem die conferebantur; inde factum est, ut in Euchologiis in officio sacramentorum, haec tria sacramenta conjuncta ponerentur. At Ecclesia Latina, dum sine fidelium scandalo et commotione, disciplina mutari potuit, satius duxit tria haec Sacramenta sejungere, ac Confirmationem tunc tantum conferre, cum homines ad rationis usum pervenerint; Eucharistiam autem tunc tantum, cum homines distinguere potuerint inter spiritualem et materialem cibum, atque tanti sacramenti efficaciam intelligere.

## §. 64. Disciplina Ecclesiae Orientalis quoad Sacramentum Confirmationis.

Orientalis Ecclesia confitetur Confirmationem esse Sacramentum a Baptismo diversum, quo Spiritus sancti robur, et fortitudo baptizatis confertur, ut christianam fidem firmiter teneant, eamque animo invicto profiteantur. Quamquam autem Apostoli manuum impositione confirmarunt, Actorum Cap. 8. sicut et eo-

---

[1]) Antoine de Sacram. Baptismi pag. 106.
[2]) Consul Bened. XIV. de Synod. lib. 7. Cap. X.

rum successores [1]) Firmiliano teste, item Cypriano [2]) et Tertulliano' [3]) apud Graecos tamen, manuum haec impositio ipsa frontis consignatione continetur. Patet id ex Libr. 3. Consitutionum Apostolicarum Cap. 15., ubi Confirmationis ritus ita describitur: „in manus impositióne caput ipsius (baptizati) unget Episcopus". Hinc etiam Innocentius III Pontifex inquit : Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio modo dicitur Confirmatio. Ergo rite Confirmatio perficitur, etiamsi alia a frontis consignatione distincta manus impositio non adhibeatur.

Praeter hanc autem manuum impositionem, etiam unctio, necessaria est hujus Sacramenti materia, cujus mentionem facit S. Paulus 2. ad Corinth. 1. v. 21. inquiens: „Qui confirmat nos Christus, et qui unxit nos Deus, qui signavit nos et dedit pignus Spiritus sancti in cordibus nostris," quae verba de sacramento Confirmationis sumi debere communis est SS. Patrum sententia.

Unctio haec, juxta Concilium Florentinum Chrismate fieri debet confecto ex oleo, quod nitorem conscientiae significat, et balsamo, quod odorem designat bonae famae, per Episcopum consecrato, graece Myron dicto; Graeci autem addunt etiam alias 33. fragrantium rerum species cum vino; S. Basilius ipse testatur, oleo et balsamo odora etiam nonnulla et aromata fuisse permixta, ita tamen, ut oleum olivarum cum balsamo praevaleant.

Unctio autem fieri debet in signo crucis; Graeci non solum in fronte ungunt, sed etiam oculos, nares, os, aures, pectus, volam manuum et pedes, qui usus antiquissimus est, cujus meminit Cyrillus Hierosolymit. Catech 3. Basilius et Concilium Const-Can. 7. Principalis tamen et essentialis est unctio in fronte; sed nec reliquas unctiones Orientales negligere debent, verum eo praecepto adhibere, quo propriae Ecclesiae ritum servare obligantur.

## §. 65. De forma sacramenti Confirmationis.

Forma Sacramenti Confirmationis juxta Euchologia Graecorum est haec: Signaculum doni Spiritus Sancti; eaque semel duntaxat, simul cum unctione proferri debet, sicut rubricae Euchologii praescribunt; de qua Cyrillus Hierosolymitanus Cath. 18. ait: „Signaculum datum est illi (confirmato) ex communicatione spiritus sancti," et Benedictus XIV. Epist. 2. de nova Euchologii graeci editione haec habet: „Forma Sacramenti Confirmationis, in Graeca Ecclesia juxta communem receptamque sententiam sequentibus verbis continetur: „Signaculum doni spiritus

[1]) Epist. 75.
[2]) Epist. 73.
[3]) Tertullian. de Bapt. C. 8.

sancti;" quae verba pronunciantur ab eo qui Sacramentum ministrat, dum cum sacro unguento crucis signum imprimit.

## §. 66. De Ministro sacramenti Confirmationis.

Quoad Ministrum sacramenti Confirmationis in Parte I. hujus Operis demonstratum est, Ecclesiae etiam Orientalis Doctores et Canones Ministrum Sacramenti Confirmationis ordinarium Episcopum, et solum ex ejus delegatione non sine tamen Apostolicae Sedis conniventia ac tacita delegatione [1]) Presbyterum hoc Sacramentum conferre cum Chrismate ab Episcopo consecrato.

## §. 67. Error Photianorum Graecorum quoad iterationem Confirmationis.

Constantinopolitani Graeci recognoscunt quidem Confirmationis Sacramentum animae hominis characterem imprimere, hoc non obstante tamen illud iterari posse adstruunt. Utque sibi ipsis non contradicere videantur dicunt: Baptismi et Ordinis Sacramentum non propterea iterari non posse, quia imprimunt characterem indelebilem, sed quoniam haec Sacramenta repraesentant mortem Domini quae non iteratur, „Christus mortuus jam non moritur amplius." Quosuper Codex Canonum Graecus, in Nota ad Canonem LXIX. SS. Apostolorum sequentia tradit:

„Propter quam causam e septem Sacramentis solum Baptismus, et Ordo non iteratur? Responsum: scholastici dicunt, quia haec Sacramenta imprimunt characterem indelebilem. Qui character secundum illos [2]) existit in anima, et vis supernaturalis. Hanc sententiam sequuntur omnes fere Theologi nostri, imprimis Coresius. Mihi tamen videtur, quod illa duo Sacramenta Baptismus et Ordo ideo solum iterari non possint, quia fiunt in typum mortis Domini, quae non iteratur. Qui enim baptizantur, in mortem Domini baptizantur secundum Paulum, et Canonem 47 Apostolorum; Presbyteri autem depositi e Presbyteratu, propterea restituti suo muneri non reordinantur, quia repraesentant magnum et primum Sacerdotem, qui intravit semel in Sancta Sanctorum aeterna redemptione inventa, et manet in aeternum, habens Sacerdotium perpetuum. Haecque est, dicit Pidalion causa, quod secundo non ordinetur Sacerdos, habens perpetuum Sacerdotium in Christo. Altera causa, quoniam Sacerdos pro eo constituitur, ut offerat sacrificium incruentum, per quod designatur mors Christi una. Si namque ea esset ratio sufficiens non iterationis horum Sacramentorum, quia imprimunt characterem per Scholasticos inventum; quare ergo Con-

---

[1]) Consulatur Arcudius Lib. 2. confirm. C. 15. Benedictus XIV. de Syn. lib. 7. C. IX.

[2]) Vide Nicol. Bulgarus Parte 4. Theolog. in Catechismo.

firmationis Sacramentum iteratur? non obstante, quod signaculum vocetur, atque sigillum et characterem imprimat animae; dicit enim Evangelista Joannes.[1]) „Et vos gratiam, quam accepistis ab illo, in vobis manet" et Paulus[2]) „Qui signavit vos et dedit pignus Spiritus in animabus vestris." Sed et David[3]) Saulum unctum Domini vocat. Propterea etiam, propter hanc causam, unicam mortem Domini, unum solum Diaconum, aut Presbyterum, aut Episcopum, sub una Liturgia oportet ordinari, et non duos aut plures, si autem plures ordinentur sub eadem Liturgia, non sunt ordinati secundum traditionem Ecclesiae. Ac propter hanc ipsam causam, ut non iteretur unica mors Domini, statuit Synodus Antisidorensis, temporibus Heraclii Immperatoris 615. celebrata, ut non fiant duae Liturgiae eadem die in eodem altari, quod etiam transgrediuntur Latini."

Ex his patet, Photianos in ea esse sententia, quod Confirmationis sacramentum et iteretur, et iterari debeat, inducti in hanc sententiam Canone VII. Concilii Constantinopolitani I. in quo praescribitur, quomodo haeretici ad Ecclesiam recipiendi sint. Verba canonis huc spectantia sunt: „Et Quartodecimanos sive Tetraditas, et Apollinaristas recipimus, dantes quidem libellos (professionem fidei) et omnem haeresim anathemizantes, quae non sentit ut sancta Dei Ecclesia; et signatos, sive unctos primo sancto Chrismate, et frontem et oculos et nares, et os, et aures, et eos signantes dicimus: signaculum doni Spiritus sancti." Rubrica autem Euchologii graeci quoad receptionem haereticorum sic sonat: „Postea accipiendo Chrisma, ungit eum secundum ritum eorum, qui baptizantur, signando cruce et dicendo: signaculum doni spiritus sancti." Et haec quidem clara sunt, sed fons ipse haud clarus est. Eruditi viri, quos inter Beveregius, demonstrant, citatum canonem genuinum haud esse, et posteriori tempore saeculo V. Canonibus dicti Concilii adjectum. Nec exstat Canon ille in antiquioribus Canonum editionibus, nec etiam in Nomocanone. Consuetudo Ecclesiae Constantinopolitanae pro statuenda fidei regula non sufficit; imo hic quoque manifesto errore circa fidem detecto, Sancta Sedes Apostolica imprimis Pontifex Urbanus VIII. et Benedictus XIV. in Epistola 1. de nova Euchologii editione monuerunt, in caeremonia illa, qua per unctionem Chrismatis haeretici reconciliantur, non esse usurpanda verba illa: „Signaculum doni Spiritus Sancti" quae formam sacramenti Confirmationis constituunt.

## §. 68. Disciplina Ecclesiae Orientalis quoad Sacramentum Eucharistiae „Materiam" ejus.

Materia Eucharistiae est panis triticeus et vinum de vite

---

[1]) 1. Joann. Cap. 2. v. 7.
[2]) 2. ad Corinth. Cap. 1. v. 22.
[3]) 2. Regum C. 1. v. 12.

aqua mixtum; panis autem juxta consuetudinem Ecclesiae Orientalis fermentatus, et quidem ex lege ecclesiastica; namque Concilium Florentinum statuit: „Sacerdotes in altari ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae consuetudinem.“ Ideo Pius V. Pontifex constitutione, quae incipit „Romani Pontificis“ 13. Kal. Sept. 1566. edita, „Quibusvis Presbyteris, tam Graecis, quam Latinis in Virtute sanctae obedientiae inhibemus, ne deinceps Presbyteri graeci latino more, et Latini graeco ritu, obtentu quarumcunque licentiarum, aut facultatum, aut quovis alio praetextu Missas, aut alia divina officia celebrare, aut celebrari facere praesumant.“ Idem et Benedictus XIV. Constitutione: „Etsi Pastoralis“ qui insuper prohibet, ne Latinus Parochus pyxidem in Ciborio cum particulis sub specie fermentati, pro communione Graecorum, ac Parochus graecus sub specie azymi pro communione Latinorum in quocunque Ecclesiae suae altari retineat, jubetque, ut unusquisque Sacerdos nonnisi in suo sive graeco sive latino ritu Eucharistiam fidelibus porrigat.

Vino parum aquae miscet tum Occidentis, tum Orientis Ecclesia, eo quod ipsum Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur.

Graeci autem praeter frigidam aquam, quam ante consecrationem solent vino miscere, ante Eucharistiae sumptionem ferventem aquam infundunt in calicem, ut scilicet sanguis et aqua, quae fluxerunt a sancto latere Domini, et Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi tempore salutaris passionis ejus vivificasse constet, veluti ex vivifico deificato corpore vivifica. Benedictus XIV. constitutione „Etsi pastoralis“ §. VI. Nr. 2. hanc disciplinam probat, et permittit, facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet, juxta Ritum in Liturgia praescriptum, aquam ferventem seu tepidam in sacrum calicem infundere.

## §. 69. De Forma Sacramenti Eucharistiae.

In sacris Graecorum Liturgiis post verba a Christo in novissima coena prolata, per quae panem ac vinum in corpus et sanguinem suum mirabiliter convertit, quaedam orationes et preces ex antiqua traditione adjectae fuere, quae consecrationem non adhuc perfectam esse innuere videntur. Quapropter in Concilio Florentino magna conquisitio ac disceptatio inter Graecos et Latinos facta fuit, ac tandem feliciter composita. Eugenio siquidem summo Pontifici sciscitanti cur illas preces adderent post Christi verba, perinde ac si nondum esset peracta consecratio, doctissimus Bessarion nomine totius Ecclesiae Orientalis respondit = se didicisse, a Patribus suis ac praesertim Chrysostomo sola virtute verborum Christi panem in corpus, et vi-

num in sanguinem mutari; iisque solis admirandam istam mutationem et transsubstantiationem adscribendam esse, atque haec semper credidisse et in aeternum credituros esse [1]). = Professi insuper sunt preces illas eo sensu esse exponendas, ut fructus ac utilitas ex tanto sacrificio Sacerdotibus ac fideli populo proveniant. Illud insuper fide divina inter Catholicos constat, in sacramento Eucharistiae (sive adhibeatur Liturgia Orientalis sive Occidentalis) corpus ac sanguinem Christi vere realiter, ac substantialiter contineri, atque in Missa offerri Deo verum ac proprium sacrificium, illud idem nimirum, quod Dei Filius Deus verus et homo in ultima coena, atque in ara crucis pro nobis obtulit. Sacerdotes denique Ecclesiae Catholicae utriusque ritus fideli mente ac corde teneantur omnia pie ac integre in sacra Liturgia praescripta, sed unusquisque juxta probatam Ecclesiae suae sive Orientalis, sive Occidentalis disciplinam.

Ex eo autem, quod ante sacram Eucharistiae consecrationem nudus panis et nudum vinum in altari adsit, monet Benedictus XIV. Episcopos aliosque curam animarum gerentes, ut populum docere non intermittant, quod dum sacra dona a Prothesi ad Aram transferuntur (sub cantu Cherubimorum), solemni ritu, cum ea nondum sint consecrata, sub eorum speciebus nequaquam existit corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi, prout futurum erit post consecrationem, ideoque exteriores illi venerationis actus, qui erga praefata dona nondum consecrata exhibentur, non ea ratione peraguntur, ut cultus latriae soli Deo debitus iisdem praestetur, sed ut inferioris speciei cultus exerceatur, cujus objectum est futura transsubstantiatio eorundem donorum, in corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi.

## §. 70. De Communione sub utraque specie.

Etiamsi Ecclesia Latina Communionem eucharisticam sub utraque specie, inde a saeculo XIII. abrogaverit, et pro fidelibus sub una solum specie e gravibus rationibus praescripserit; Ecclesiae tamen Orientalis disciplinam non damnat, dummodo hanc sub utraque specie Communionem absolute necessariam, aut sub una specie totum Christum non recipi non credant. Benedictus XIV. in Constitutione: „Etsi pastoralis“ hanc de re inquit: „Permittimus ita tamen, ut sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quod ad fructum adtinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt.“

[1]) Vide Acta Concilii Florentini. — Raynald ad An. 1439. §. VI. — Fleury lib. 108. §§. 35. et 36. — Arcud. lib. 3. a cap. XXXI. ad XXXIV.

## §. 71. Disciplina Ecclesiae Orientalis, circa Sacramentum Poenitentiae.

Duplicem Orientales distinguunt poenitentiam, publicam, et privatam. Publica poenitentia est, quam Episcopus, vel Presbyter poenitentiarius ad Canonum Ecclesiae normam decernit, atque a confessis peccatoribus publice peragitur. Privata vero, quae a Confessario poenitentis fidei et conscientiae privatim ac secreto peragenda committitur.

## §. 72. Poenitentia publica, varii poenitentium gradus.

Publice poenitentium gradus erant sequentes: 1) Flentium, qui extra portam templi constituti a fidelibus Ecclesiam intrantibus et egredientibus veniam postulabant. 2) Audientium, qui intra portam templi constituti hymnos, sacrarumque Scripturarum lectionem audiebant. 3) Substratorum, qui intra templum consistentes substernebantur, et cum catechumenis ad vocem Diaconi „vocati exite" egrediebantur. 4) Comprecantium, qui poenitentiam egerant, atque poenam canonicam sustinuerunt, ideo cum fidelibus comprecabantur, sed ad Communionem Eucharistiae nondum admissi erant. 5) Participantium, qui dignos poenitentiae fructus fecerunt, et divinae Communioni participabant.

His ad intelligendos Canones poenitentiales praemissis, id quoque observandum est, non modo ob crimina publica, verum etiam occulta gravia, Episcoporum e sententia publicam poenitentiam imponi potuisse. Ex arbitrio autem et voluntate Episcoporum pendebat, ut poenitentes per omnes, aut vero pauciores transirent poenitentiae gradus, atque de tempore poenitentiae propter zelum poenitentis remittatur, sive Indulgentia concedatur. Indulgentiae proinde etiam in Ecclesia Orientali semper obtinuerunt, quae e potestate ligandi et solvendi Episcopis collata derivantur.

## §. 73. De Poenitentia privata.

Abrogata in Ecclesia Orientali sub Nectario Constantinopolitano Episcopo ad finem saeculi IV-i poenitentia publica, quod exemplum sensim imitatae sunt aliae quoque Orientalium Ecclesiae, remansit in Ecclesia sola poenitentia privata, sive secreta peccatorum confessio, secreta pariter operum poenitentiae injunctio, et eorum adimpletionis conscientiae poenitentis commissio. Haec autem secreta peccatorum confessio exceptis quibusdam ditionibus, non genibus flexis, sed sedendo vel stando cum reverentia fit; quod etiam in Ecclesia Latina antiquitus

obtinebat. In Confessione autem omnia et singula peccata mortalia post Baptismum commissa, et quae post omnes excussas animae suae latebras diligenter cogitanti occurrunt, Sacerdoti confessario aperire oportet, qui pro sui prudentia opportunis interrogationibus poenitentes adjuvare curabit. Insuper patefaciendae sunt circumstantiae, quae speciem peccati mutant[1]): prout praescribunt etiam Libri poenitentiales Joannis Jejunatoris Patriarchae Constantinopolitani, Joannis item Monachi discipuli S. Basilii Magni, atque Libellus Simeonis Archi-Episcopi Thessalonicensis, et Gabrielis Philadelphiae Metropolitae de Sacramento Poenitantiae scripti. Post Confessionem datur quidem absolutio imposito opere Poenitentiae, sed ad Communionem Eucharistiae pro ratione peccatorum, et poenitentium ad agendam poenitentiam fervore et zelo, in longum vel brevius tempus differtur, ut eo dignior ad sacram Communionem evadat, neve temere accedat.

## §. 74. De Canonibus poenitentialibus.

Ecclesia Occidentalis et Orientalis suos habet Canones poenitentiales, praecipuos isthic recensere juvat.

### *A) Canones poenitentiales Ecclesiae Latinae ex Instructione S. Caroli Borromaei.*

Ad 1) Decalogi praeceptum: Qui a fide desciverit, poenitentiam aget annis decem. Qui auguriis et cantationibus diabolicis serviverit, poenitens erit annis septem. Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, poenitens erit annos duos. Si quis Magos consuluerit, in poenitentia erit annis quinque.

Ad 2) Decalogi praeceptum: Quicunque sciens pejeraverit, XL. dies in pane et aqua, et septem sequentes annos poeniteat, et post haec Communionem percipiat, ad testimonium autem nunquam recipiatur. Si quis Deum, B. Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, diebus Dominicis septem prae foribus Ecclesiae, dum Sacra celebrantur, stet, et pauperes pascat; recusans, Ecclesiae ingressu interdicatur, et in obitu ecclesiastica careat sepultura. Qui votum simplex violaverit, poenitentiam agat tribus annis.

Ad 3) Decalogi praeceptum: Qui opus aliquod servile die dominico, festove fecerit, poenitentiam aget tres dies in pane et aqua. Si quis jejunia a sancta Ecclesia indicta violaverit poenitentiam aget dies viginti in pane et aqua. Qui in quadragesima jejunium violaverit pro uno die poenitentiam aget dies septem. In quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens in Pascha non communicet, ac praeterea a carne abstineat.

Ad 4) Decalogi praeceptum: Qui parentibus maledixerit

[1]) Trid. Sess. 14. C. 5.

XI. dies poenitens sit in pane et aqua. Qui parentes injuria affecerit, tres annos. Qui parentes percusserit, annos septem. Si quis contra episcopum, Pastorem, et Patrem suum insurrexerit, in Monasterio omnibus vitae suae diebus poenitentiam agat. Si quis Episcopi, aut Ministrorum ejus, vel Parochi sui praecepta contempserit, vel irriserit, poenitentiam agat dies XI. in pane et aqua.

Ad 5) Decalogi praeceptum. Qui Presbyterum occiderit, poenitentiam agat annis XII. Si quis autem occiderit patrem, matrem, fratrem et sororem, tota vita abstineat a carne et vino, jejunet secunda quarta et sexta feria, et nisi in agone sacram Communionem percipiat. Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiae semper erit, et in obitu tantum Communionem percipiet. Qui consilio homicidii auctor fuit, septem annos poenitebit. Mulier sponte abortum faciens, poeniteat annos tres; si nolens, quadragesimas tres. Si quis per iram subitam, aut in rixa hominem necarit, poenitebit annos tres. Si quis alium vulneraverit, vel aliquod membrum praeciderit, poenitentiam aget uno anno per legitimas ferias. Si quis hominem percusserit, nec ei nocuerit, triduo poenitentiam agat in pane et aqua.

Ad 6) Decalogi praeceptum. Si laicus solutus cum soluta concubuerit poenitentiam aget annis tribus. Qui turpiloquio vel aspectu polluitur negligens, poenitentiam aget XX dies. Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, poenitens erit XI dies. Qui cum duabus sororibus, aut cum filia spirituali fornicatus fuerit, poenitantiam aget tota sua vita. Qui incestum non ita enormem commiserit, poenitens erit XII. annis. Si qua mulier cerussa, alioque pigmento se se oblinivit, ut aliis viris placeat, poenitentiam aget annos tres. Si quis adulterium commiserit, decennium; si autem osculo, sive amplexu impudico peccavit, triginta dies poenitebit.

Ad 7) Decalogi praeceptum: Si quis minus furtum commisit, poenitentiam aget annum unum. Si quis ex Ecclesia subripuerit, annos septem. Qui usuras accipit, rapinam facit, poenitentiam aget annis tribus, uno in pane et aqua.

Ad 8) Decalogi praeceptum: Qui falso testimonio consenserit, poenitens erit annos quinque. Falsarius in pane et aqua, tota vita poenitentiam agat. Si quis proximo detraxerit, poeniteat dies septem in pane et aqua.

Ad 9. et 10) Decalogi praeceptum: Rem alienam nefarie concupiscens, et avarus, poenitens erit annis tribus. Si quis concupiscit fornicari, poenitens erit annis duobus.

*B) Canones poenitentiales Ecclesiae Orientalis.*

In Ecclesia Orientali Canones S. Basilii Magni Codicem poenitentialem constituebant, ex quibus aliquos exempli ad instar

exprimere juvat, cum ii omnes Codici Canonum graeco adjecti sint:

Qui Christum negaverit, per totam vitam poenitentiam agat. Si quis vatibus se addicit ut secreti aliquid discat, seu superstitiosus, sex annis poenitentiae subjaceat. Qui vi coactus pejeraverit post sexennium suscipiendus, si vero citra necessitatem, post duodecim. Involuntarius homicida decennio poenitentiae subjacebit. Voluntarius homicida, viginti annos poenitentiae subjiciatur, Fornicator septennium, Virgines post professionem lapsae, quindecim annos. Quae de industria foetum corrumpit, poeniteat annos decem, fratrum et sororum coitus, puniatur annis XX. Fur annis duobus, sepulcrorum violator annis X. Adulter sicut homicida etc.

Horum et aliorum Canonum poenitentialium, qui Codice Canonum complexi sunt, rigorem saeculo VI. temperavit Joannes Jejunator Patriarcha Constantinopolitanus editis propriis Canonibus poenitentialibus, juxta quos Orientales opera poenitentiae injungenda esse tenent, ideo etiam haec opera *Κανονα* vocant. Goarius pag. 697. hanc Graecorum disciplinam sic describit: „Patres Spirituales sedentes, poenitentes pro exomologesi audiunt. Si leves, et venia dignas poenitentium culpas deprehenderint, nullam adhibent absolutionem, sed de pio, devotoque quodam opere exercendo monitum amice poenitentem dimittunt; si lethifera crimina detegunt, illa in Nomocanone juxta se posito examinant, censurarumque districtioni, prout legunt, cuncta subjiciunt, et tandem poenitenti bene precantur, his aliisque orationibus aut in remedium praeteriti delicti, vel in cautelam futuri impositis. Peccata tandem cuncta ad Canonum rigorem examinata, poenis in eis perlectis castigant et emendant. Et licet publica poenitentia nemini amplius imponatur, aliquos tamen Confessione expiatos a sacra Communione per annum ac etiam plures arcent."

Et haec quidem est disciplina canonica Ecclesiae Orientalis, quam sacra Sedes Aqostolica non reprobavit, quin imo obligatio est eam ubi viget observandi. Ubi autem rigor ejusdem canonicae disciplinae apud Orientales quoque exolevit, sancta Sedes Apostolica rigorem literae Canonum non praescribit; apposite enim in hanc rem monet Muratorius sequentia: „Quod si Episcopus in sua Synodo antiquos Canones poenitentiales renovaret, suisque constitutionibus adnecteret, animo inducendi Confessarios ad poenitentias imponendas, quae pro uno quoque crimine sunt in illis praescriptae, non solum rigidissimae Ethices sectatorem se ostenderet, sed rem plane impossibilem attentaret: etenim hac nostra aetate, qua fideles a pristino morum nitore et sanctitate defecerunt, tot interdum gravissimis onerati ad sacramentale forum quidam accedunt, ut, si iisdem secundum antiquos Canones poenitentiales foret injungenda poenitentia, haec ad tot annos esset protrahenda, qui integrum eorundem vitae cursum

non exaequarent modo, sed etiam excederent.". Sancta autem est cujusvis Confessarii obligatio spiritum Canonum poenitentialium in eo observare, ut pro magnitudine delictorum, graviora quoque poenitentiae opera, tam ad cautelam futurorum imponant, ipsisque poenitentibus confitentibus enuncient: qualem juxta Canones Ecclesiae subeundam haberent poenam; imprimis autem, si quis ob occulta peccata in poenam irregularitatis vel suspensionis, vel excommunicationis incidit, hoc confitenti patefaciendum est. Id monet etiam Catechismus Romanus ad titul. „de Poenitentia" his verbis: „Ut poenitentes suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, operae pretium erit eis interdum significare, quae poenae quibusdam delictis, ex veterum Canonum praescripto, qui Poenitentiales vocantur, constitutae sint." Unde patet, quod Confessariis Canones poenitentiales ignorare non liceat.

## §. 75. Species Operum Poenitentiae.

Operum poenitentiae praecepta in tres generales species dividuntur: 1) In ea, quae Communionis Eucharistiae privationem spectant; is enim est principalis, Canonum spiritus, ne cui indigno sacra Eucharistia praebeatur, et ideo post absolutionem Communionem diutius differendam, interdum usque ad finem vitae, praecipiunt, eousque scilicet, donec ex renovandis Confessionibus Confessarius certus esset, poenitentem dignos fecisse poenitentiae fructus, vereque conversum esse, „nolite sanctum dare canibus, neque margaritas projicere ante porcos." 2) In ea, quae jejunia, et ciborum abstinentias respiciunt. 3) In ea, quae preces siugulis diebus recitandas, item opera charitatis et eleemosynas adtinent.

## §. 76. Speciatim notanda de poenitentia Clericorum.

Circa poenitentiam Clericorum tria sunt speciatim observanda: 1) Juxta Canonicam Ecclesiae Orientalis disciplinam, Confessarius a Clerico confiteri volente promissionem praevie exigere debebat ab Officio cessaturum, si crimina confiteretur, pro quibus Canones depositionem aut suspensionem dictant.[1]) 2) Clericum propter crimen sic secreto in Confessionis auricularis tribunali depositum, aut suspensum, communione ecclesiastica non privari, poena priore juxta Canones crimini sufficiente. 3) Si Clerici conjugati resciverunt uxores suas adulterio pollutas, eas dimittere tenentur, si autem iis postmodum quoque, vel habentes uxores aliis commisceantur, ab officio ecclesiastico cessare, secus absolutionis capaces non sunt.

Quod hodiernam disciplinam concernit, refert Morinus, Archi-Episcopum Trapaesuntensem, dum Parisiis morabatur, interroga-

[1]) Constitutio Joannis Jejunatoris Constantinopolitani Patriarchae.

tum respondisse: „de praxi recentiori, si Clericus vel Monachus in carnis vitium lapsus sit, illudque publice probatum, licet semel tantum perpetratum sit, Clericus ille deponitur; si autem accusatus, sed non convictus se jurejurando purgat, et innocentiam suam confirmat, communione fruitur. Si vero crimen sit occultum, et Confessione secreta Sacerdoti aperit, semei bisve condonatur, tertia vero, ut a sacro Ministerio cesset, severe injungit Confessarius, nec aliter, quam si cessaturum ab exercitio functionum Ordinis promittat, absolutionem concedit."

## §. 77. Forma Sacramenti Poenitentiae.

Formam Sacramenti Poenitentiae exhibet Euchologion Graecum hanc: „Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus cum sua gratia, et misericordia remittat tibi Fili N. omnia peccata tua, et ego indignus Sacerdos, potestate mihi data condono tibi et absolvo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen."

## §. 78. De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

Hujus Sacramenti Minister est juxta Orientalis Ecclesiae Canones Episcopus, vel Presbyter, cui Episcopus absolvendi facultatem tribuerit; vel cui animarum curam commiserit, atque taliter subditos designaverit, in quos jurisdictionem absolvendi a peccatis exerceat. Benedictus XIV. in Constitutione „Etsi pastoralis" hac de re statuit: „Sacerdotes quoque conjugati, aliique quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum parochialium regimen per Episcopos committitur, licite ac libere possint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque poenitentiam injungere pro peccatis; quia cui licet, vel conceditur, quod est majus, competit quoque, nec negari potest, quod est minus."

In casu autem necessitatis juxta Canonem L. Carthaginensem, quilibet Presbyter potest absolvere, unde etiam consequitur, quod in casu necessitatis Presbyter latinus, graecos, et graecus latinos absolvere possit. Graecus vero Sacerdos quando Latinos absolvit, utatur forma absolutionis in generali Concilio Florentino praescripta, postea vero si voluerit, dicat orationem illam deprecativam, quam Graeci pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.[1]) Extra casum autem necessitatis solum cum jurisdictione ab Episcopo respectivi Ritus obtenta; imo, si jurisdictio non sit restricta ad unius ritus fideles, possunt Sacerdotes tali generali jurisdictione instructi alterius etiam ritus fidelium confessiones audire, et absolvere; existit enim Decretum Congregationis de propaganda fide, anno 1630. editum, quo referente Cardinali Bandino statutum fuit, non debere lati-

[1]) Bened. XIV. loco citato §. V. N. V.

nos Episcopos prohibere subditos suos, ne Confessiones faciant Sacerdotibus Ruthenis unitis, ab Ordinariis locorum approbatis, nec e contra Episcopos Ruthenos unitos subditos suos simili prohibitione ligare, ne Confessarios latinos approbatos ad expianda sua peccata adeant; nam cum Rutheni uniti sint veri Catholici, ubi Ritus diversitas non repugnat, discordias et dissidia inter eos excitantes et nutrientes introducere, inconveniens et damnosum est.

Observandum autem est, quod Graeco-Catholicos etiam Constitutiones generales Romanorum Pontificum, in quantum et pro illis editae sunt, obligent, talis est Constitutio Benedicti XIV. Kalendis Junii 1741. edita Nro. 20.: „Ne ullus Confessarius extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quoque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi, ipso jure, quacunque auctoritate et jurisdictione, ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam.“ Quae Constitutio pontificia tanto magis congruit cum Canonibus orientalibus, cum juxta eos, talis delicti reus de Canone sit irregularis, et a functionibus Ordinis, omnique exercitio spiritualis jurisdictionis cessare debeat.

Similiter Constitutio ejusdem Pontificis, qua confirmat Constitutionem Antecessoris Gregorii XV. Bulla 84. „contra sollicitantes“ qua praecipitur poenitentibus ut denuncient locorum Ordinariis, et ut ad hoc Confessarii admoneant poenitentes sub denegatione absolutionis sacramentalis, ad denunciandos Confessarios, qui personas quascunque ad turpia, seu peccatum contra VI. decalogi praeceptum patrandum, in actu sacramentalis Confessionis, sive antea, sive post, sive praetextu Confessionis in loco pro Confessione destinato simulantes Confessionem audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum illis inhonestos sermones vel tractatus habuerint.

Denique obligat Graeco-Catholicos etiam Decretum Concilii Lateranensis IV. Cap. 21. „de Sigillo Confessionis“ cujus tenor sequens est: „Caveat omnino Confessarius, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat; quoniam qui peccatum in poenitentiali judicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.“

## §. 79. Disciplina Ecclesiae Orientalis circa Sacramentum Extremae Unctionis, Materia hujus Sacramenti.

Materia Sacramenti Extremae unctionis est oleum olivarum, per Presbyteros hoc Sacramentum conferentes eadem occasione benedici solitum, dum quilibet Presbyter orationem benedictionis olei recitat. Benedictus XIV. Constitutione „Etsi pastoralis“ de hac Materia Sacramenti Graecorum statuit: Non sunt cogendi Graeci Presbyteri, olea sancta ab Episcopis latinis dioecesanis praeter Chrisma accipere, cum hujusmodi olea ab eis, in ipsa oleorum et Sacramenti exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, et benedicantur. Unctio autem fit ab omnibus praesentibus Sacerdotibus. Quae vero partes corporis inungi debeant, Euchologion non praescribit. Simeon Thessalonicensis dicit: „Ungit Sacerdos in crucis modum aegri frontem, ob contrarias in ea cogitationes, faciem quoque inungit ob sensuum organa, et postremo manus; a pravis cogitationibus et operibus eum explicans, sanctoque oleo muniens illum, et perfecte justificans. De pectore autem unde prodeunt pravae concupiscentiae et affectus, et pedibus ad iniquitatem attingendam velocibus, mentionem non injicit Simeon Thessalonicensis, quamvis hae etiam partes corporis inungi soleant.[1])

## §. 80. Forma Sacramenti Extremae Unctionis.

Formam Sacramenti Extremae Unctionis exhibet Euchologion in precatione sequenti: Pater sancte, animorum et corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum omnem morbum curantem, et ex morte nos liberantem misisti, sana quoque (ungendo dicit) servum suum N. a detinente corporis infirmitate, et vivifica illum per Christi tui gratiam intercessionibus Beatae Mariae semper Virginis etc. dicitur seu recitatur haec Oratio qua forma Sacramenti a quolibet Presbytero, dicit enim S. Jacobus, ut orent Presbyteri ungentes aegrum in nomine Domini.

## §. 81. De Ministro Sacramenti Extremae Unctionis.

Minister Sacramenti Extremae Unctionis est Presbyter, vel Presbyteri: Graeci litera textus S. Jacobi inhaerentes plures Presbyteros adhibere solent, nempe 7. 5. vel 3. numero impari; Synodus autem Ruthenorum anno 1720. Zamoscae celebrata, quam Benedictus XIII. Pontifex approbavit, declaravit: „Si septem aut tres haberi commode non possint sacerdotes, ab uno

[1]) Vide Arcudius Libr. 5. Cap. 7.

conferatur, qui totius Ecclesiae personam gerens, ejusque virtute hoc Sacramentum perficiens, infirmo conferat atque ministret.“ A Benedicto autem XIV. Const. „Etsi pastoralis,“ § V. num. 2. haec statuta leguntur: „Infirmis juxta verbum Jacobi unctio exhibeatur extrema Unctio per unum vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo, dummodo credant et asserant, illud Sacramentum servata debita forma ab uno Presbytero licite et valide conferri.“ Rationem autem, quare plures Presbyteri ad administrandum hoc Sacramentum adhibeantur, reddit Synodus dicta Ruthenorum Zamoscensis sequentibus: Quamquam in Graeca Ecclesia receptum fuerit, prout aliquando etiam in Latina, ut septem Sacerdotes, hisce deficientibus tres saltem advocarentur ad ministrandum hoc Sacramentum, hique omnes Materiam administrarent (sive ungerent), et formam proferrent; sciant autem Ecclesiarum Pastores, plures, ea de causa adhiberi solitos Sacerdotes, tum ob reverentiam ejusdem, et gratiae copiam quam confert, tum ut plurium Sacerdotum preces effectum Sacramenti coadjuvent.“

## §. 82. De subjecto Sacramenti Extremae Unctionis.

Subjectum hujus Sacramenti est aeger, infirmatur enim quis in vobis ait S. Jacobus. Si autem Graeci Sacerdotes ob mercedem sanos quoque inungere soleant, circa hanc Unctionem benevalentium respondet Benedictus XIV. de Synodo dioecesana Libr. VII. C. 20. in hunc modum: „A silentio Concilii Florentini rectius deducimus, sapientissimis illis Patribus fuisse persuasum, sanctam Unctionem a graecis Sacerdotibus non adhiberi hominibus benevalentibus tamquam Sacramentum; sed meram caeremoniam et sacramentalem quamdam benedictionem; Graeci enim, qui de singulis suis ritibus coacti sunt rationem reddere, gravem utique reqrehensionem non evasissent, si comperti fuissent hac in re a communi Ecclesiae Catholicae traditione et praxi aberrare.“ Idem autem Pontifex approbato Euchologio Graecorum quoad administrationem hujus Sacramenti addit: quod quamvis Graecis diserte vetitum fuerit Extremae Unctionis Sacramentum aliis conferre, praeterquam aegrotis et quidem gravi morbo laborantibus; iisdem nihilominus interdictum non est, quominus oleo lampadis, quod ad sanandas infirmitates in Ecclesia asservatur, inungant energumenos, aliosque, qui devotionis gratia, vel ut ab aliquo incommodo liberentur hujusmodi Unctionem petunt; cum oleum in ea lampade asservatum, nequaquam ab Episcopo vel Sacerdote consecratum sit, ad effectum utendi eo in Extremae Unctionis administratione.[1])

[1]) Vide Antoine Part. II. pag. 260.

## §. 83. Disciplina Ecclesiae Orientalis circa Sacramentum Ordinis. De Gradibus Ordinis.

Gradus Ordinis, quibus praemittitur Tonsura clericalis, sunt Lectoratus, Subdiaconatus, minores; Subdiaconatus autem, recte observante Benedicto XIV. Const. „Etsi pastoralis“ Acolytatum quoque et Ostiariatum involvit; quod inducitur ex oratione ordinationis Subdiaconi, apud Goar. pag. 398. hujus tenoris: „Domine Deus noster, qui per unum et eundem Spiritum Sanctum, singulis eorum, quos elegisti gratias distribuis, qui diversos Ordines Ecclesiae tuae largitus es, et in ea Ministerii gradus differentes ad sanctis et illibatis Mysteriis tuis famulandum constituisti; qui praesentia tua ineffabili hunc quoque servum tuum dignum, qui sanctae tuae Ecclesiae ministret, esse definivisti; ipse Domine inculpatum illum in omnibus conserva, et domus tuae decorem diligere, sancti tui templi foribus adstare (quod est Ostiariatus) et tabernaculi gloriae tuae lucernam accendere (quod est Acolytatus) concede.“ — Subdiaconatum pro ritu Latino solum Urbanus II. Pontifex in Concilio Beneventano anno 1091. dum permisit, ut interdum sed rarissime, oportunitate exigente, et non sine Romani Pontificis vel Metropolitani sententia Subdiaconus eligi possit in Episcopum, quem e solo coetu eorum, qui sunt in sacris constituti assumendum veteres Canones sanciverunt, inter majores Ordines retulit. Addit autem idem Pontifex Canone I. dicti Concilii: „Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum et Presbyteratum, hos quidem solos legitur primitiva Ecclesia habuisse, super his solum praeceptum habemus Apostoli.“

Benedictus XIV. hac de re, Const. „Etsi pastoralis“ §. 7. Nr. 6. sequentia decrevit: „Episcopi Graeci in Ordinibus conferendis Ritum proprium graecum in Euchologio descriptum servent, in quo etsi nonnulli de minoribus Ordinibus praetermissi videantur (putat Exorcistatum [1]) eos tamen vel nunquam habuisse, vel eorum exercitium aliis Ordinibus esse adnexum, (Ostiariatus et Acolytatus Subdiaconatui, ut supra observatum est) iidem Graeci affirmant. Nro. autem 7. idem Pontifex prosequitur: „Inde tamen dubitationes quandoque oriri solent, quinam nimirum Ordines supplendi sint ab eo, qui primum ritu graeco aliquibus Ordinibus fuit initiatus, deinde ritu latino ad reliquos est promovendus. Quas controversias ut de medio penitus tollamus, certamque tradamus regulam imposterum servandam, ita decernimus: Qui ritu graeco Clericus et Lector fuit tantum initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit, ut

[1]) Exorcista inquit Auctor Constitutionum Apostolicarum Libr. 8. Cap. 26. non ordinatur; hoc enim est spontanea concessio divinae erga homines benevolentiae et gratiae (donum curationum.)

majores Ordines latinis caeremoniis sibi conferantur, is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omissos (Acolytatus, Ostiariatus, et Exorcistatus) debet ritu latino suscipere. Si vero praeter Lectoris Ordinem ad Subdiaconatum etiam graeco ritu ascendit, et ex dispensatione pariter Apostolica facultas sibi facta sit ceteros Ordines ritu latino suscipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, Exorcistatum tantummodo supplere cogitur; cum per Subdiaconatum graeco ritu collatum, Acolytatum, et Ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus Diaconatum, aut etiam Presbyteratum graece suscepit, et latino postea ritu ad sacrum Presbyteratus Ordinem aut Episcopatum promovendus sit ex Apostolica concessione; nimirum Exorcistatus Ordinem in ipso, antequam Presbyter ordinetur, aut Episcopus consecretur, esse supplendum.

## §. 84. De Materia et Forma Ordinis.

Materia Sacramenti Ordinis est manuum impositio, Forma vero sunt Ecclesiae preces, quibus invocatur et datur Spiritus Sanctus juxta Euchologia Graecorum, quas, sacra Sedes Apostolica non modo idoneam formam Sacramenti constituere non controvertit, quin potius juxta eadem Euchologia approbata Graecos ordinari praecipit.

## §. 85. De Ministro Sacramenti Ordinis.

Minister Sacramenti Ordinis est Episcopus proprii ritus, quoad quem notandae sunt sequentes regulae: 1) Hominem unius ritus non posse licite ab alterius ritus Episcopo ordinari. 2) Ordinatum ab alterius ritus Episcopo suspensum manere, ac ita ministrantem fieri irregularem. 3) Idem dicendum si sine proprii Episcopi dimissoriis ordinetur. 4) Requiri dispensationem ab Apostolica Sede, ut quis rite ab alieni ritus Episcopo ordinetur. 5) Ordinatos ab haereticis et schismaticis servata debita materia ac forma valide esse ordinatos, sed manere ab Ordinum exercitio suspensos; nec posse, dum in Orthodoxae Ecclesiae communionem recipiuntur, Ordines exercere, nisi prius ab irregularitate dispensentur. 6) Demum apostatas, et ad haeresim lapsos dum ad Ecclesiam redeunt non esse iterum ordinandos, quippe ex haeresi, vel apostasia non amittitur Ordo, indelebilem praesefert characterem.

## §. 86. Disciplina Ecclesiae Orientalis circa Sacramentum Matrimonii, Matrimonii Definitio.

Matrimonium Orientalibus est conjunctio maris et feminae, et omnis vitae consortium, divini et humani juris communicatio,

sive per benedictionem, sive per coronationem, sive per instrumentum contrahatur. Quae autem praeter hosce modos facta sunt, pro non factis et contractis habeantur. -- Haec definitio est juxta Codicem Justiniani.[1]) Alias Matrimonium, si spectetur generice tamquam naturae officium et prout est contractus naturalis ac civilis, stricte definitur. = Viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens. Cum vero in lege evangelica hujusmodi maritalis conjunctio a Christo Domino ad Sacramenti dignitatem fuit elevata, et revera pro baptizatis ratio contractus conjugalis a ratione Sacramenti separari nequeat, ideo Christianorum conjugium definiri seu describi solet. = Viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens a Christo Domino in lege Evangelica ad Sacramenti dignitatem elevata = vel = Sacramentum novae legis, quo significatur conjunctio Christi cum Ecclesia, et gratia confertur ad sanctificandam viri et mulieris legitimam conjunctionem et ad prolem in Christiana fide pie instituendam.

## §. 87. Corollaria ex Definitione Matrimonii.

Matrimonium ergo Christianorum est Sacramentum novae Legis conjunctionis maritalis viri cum muliere ex sententia Ecclesiae perfectae. Dicitur matrimonium Christianorum, quoniam soli christiani sunt capaces Sacramentorum; dicitur Sacramentum novae Legis, quale esse dicit S. Paulus in Epistola ad Eph. C. 5. v. 25. „Sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo et Ecclesia“ ideo monet hic Apostolus: „Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam“; tale namque vinculum intercedit inter virum et mulierem sicut inter Christum et Ecclesiam; sive, quemadmodum Christus ab Ecclesia indissolvibilis est, ita vir mulieri et vicissim invinculatus est. Conformiter proinde doctrinae Apostolicae inquit S. Augustinus: „Apud christianos Matrimonium est etiam in dignitate Sacramenti, per quam nefas est repudio discedentem alteri nubere“; sive causa indissolubilitatis Matrimonii Christianorum est Sacramentalitas, quae ipsi Matrimonio inest, secundum doctrinam Salvatoris Matth. Cap. XIX. v. 6. Matrimonium per Deum conjungi, quod homini separare non licet. Dicitur porro Matrimonium conjunctio maritalis sive conjugalis, ut distinguatur a quacunque alia conjunctione temporali, quaeve finem habet generationem et educationem prolium christianam, et individuum vitae consortium. Dicitur denique Matrimonium conjunctio maritalis ex sententia Ecclesiae perfecta; jam enim S. Ignatius Martyr monuit: conjugia fieri ex sententia Ecclesiae, ut nuptiae sint secundum Deum, et non secundum concupiscentiam. Sive, illa tantum

[1]) Vid. Math. Blastares Syntagma Lit. B. Cap. II. apud Bevereg Tom. II.

conjugia sunt Dei voluntate et conjunctione inita, quae probat Ecclesia, cujus est conditiones digne et valide suscipiendi Sacramenti defigere. Quamvis autem conjugia a Sacerdote non benedicta, non contracta videlicet coram Parocho ac testibus sint prorsus prohibita, graviter peccaminosa atque illicita, tamen ubi non viget Concilii Tridentini Decretum „Tametsi" (sess. 24. de reform. matrim.) hujusmodi matrimonia, quae vulgo clandestina dicuntur, juxta Ecclesiae declarationem valida censeri debent.[1])

## §. 88. De Ministro, Materia, et Forma Sacramenti Matrimonii.

Ministrum Sacramenti Matrimonii prout reliquorum Sacramentorum, Orientales Sacerdotem esse tenent, quam sententiam eruditissimi quoque Theologi Latini propugnarunt, juxta quorum sententiam materia hujus Sacramenti est consensus mutuus, Forma vero preces per Sacerdotem qua Ministrum prolatae, in specie precatio, quam Goarius pag. 317. ex Graeco genuine versam sit exhibet: „Deus sancte, qui e pulvere hominem formasti, et ex ejus costa mulierem aedificasti, copulans eam illi ut adjutorium simile ipsi, quia sic magnitudini tuae placuit, non esse hominem solum super terram: ipse nunc Domine, emitte manum tuam de sancto habitaculo tuo, et consocia servum tuum N. et ancillam tuam N. quia a te viro coaptatur mulier. Copula illos unanimi consensu: corona illos in carnem unam, tribue illis fructum ventris, prolis fruitionem." Non desunt tamen etiam inter Orientales, qui ipsos contrahentes Ministros esse Matrimonii tenent, atque juxta hos Materia hujus Sacramenti est consensus conjugum mutuus, forma vero, verba quibus consensum suum mutuum in Matrimonium de praesenti declarant. Pro qua sua sententia proferunt argumenta: Eugenius IV. in Decreto pro instructione Armenorum post Concilium Florentinum edito enunciavit: Causam efficientem Matrimonii esse mutuum contrahentium consensum per verba de praesenti expressum; unde concludunt consensum ipsum contrahentium esse Materiam, formam vero declarationem consensus per verba de praesenti factam: Ego sponsus accepto sponsam N. in uxorem. Ego sponsa accepto sponsum N. in Maritum. Cui concordat Codex Graecus qui dicit: Nuptias matrimonialis conjugum consensus facit [2]) hinc, Minister Matrimonii ille est, qui facit Matrimonium, seu contrahentes per consensum mutuum invicem praestitum et verbis, sive forma enunciatum. Ex eo autem, quod Euchologia Ecclesiae Graecae prout et Latinae ritum sacrum Matrimonii exhibeant, atque exinde, quod ad valorem Matri-

[1]) Consul Bened. XIV. de S. D. lib. 8, C. 12. et Instructio de propaganda fide Episcopis provinciae Alba-Juliensis 1858.

[2]) Matth. Blast. Cap. 1. Lit. G.

monii ritus hujus persolutio legibus praescripta erat et sit, haud necessario concluditur Matrimonii Sacramenti Ministrum esse debere Sacerdotem ; non enim Sacramentum distinctum est ab ipso Matrimonio, ita ut precibus Sacerdotis et benedictione Sacramentalitas ipsi Matrimonio superinducatur, sed Matrimonium ipsum mutuo consensu conjugum ex sententia Ecclesiae perfectum per se ipsum Sacramentum sit; ob quod etiam Ecclesia non dicit septimum autem Sacramentum est Matrimonii, sed Matrimonium, quod Christus elevavit ad dignitatem Sacramenti, atque restituit illud ad primam conditionem et indissolubilitatem, in qua Deus conjunxit primum Matrimonium in Paradiso. Porro dicunt posterioris sententiae propugnatores; si Sacramentalitas primum ritu sacro sacerdotali Matrimonio communicaretur, neque Matrimonium Christianorum in se esset Saeramentum, ritus talis sacer semper obtinere debuisset, sed contrarium perhibet antiquitas, qua de re testimonium perhibet ipse Graecus Matthaeus Blastaris Cap. VIII. Lit. G. apud Beveregium inquiens: Enimvero antiquis temporibus nuptiae solo consensu coibant. At nostro tempore non contrahuntur absque sacris precibus; ergo dicendum esset juxta priorem sententiam Matrimonium usque ad praescriptos sacros ritus nen fuisse Sacramentum, quod absonum est. Dein si Sacerdos esset Minister hujus Sacramenti, per quemcunque etiam vagabundum Presbyterum benedictum validum esset, quod tamen ipsi non uniti negant, sed proprium Parochum requiri ut Matrimonium validum sit praescribunt.[1]) Sed et id considerandum esse dicunt, quod haereticorum ad Ecclesiam conversorum Matrimonia absque benedictione sacerdotali in haeresi adhuc inita, Ecclesia ritu sacro validari, et ad sacramentalitatem juxta priorem sententiam eodem ritu elevari non praescribat; eo tamen non obstante eadem Matrimonia ut sacramenta tractari jubet, et qua Sacramento indissolubilitatem adtribuit. Hinc concludunt hujus sententiae patroni, quales et Romani Theologi sunt [2]) preces et sacros ritus matrimoniales non ipsas conficere matrimonium, ergo nec sacramentum, sed eas exprimere solum et celebrare sacramentalitatem, quae Matrimonio ipsi inest, gratiarumque ubertatem conjugibus a Deo efflagitare.

## §. 89. De Polygamia.

Orientales Polygamiam quoque successivam, id est plures nuptias successive initas reprobant; pro secundis quidem nuptiis habetur in Euchologiis praescriptus ritus, quas tamen ipsas post 45. aetatis annum reprobant; tertiae nuptiae censurae ecclesiasticae subjiciebantur, quartae vero tamquam brutales damna-

[1]) Vide Joannovits Jus Ecclesiasticum Neoplantae pag. 150
[2]) Vide Perrone de forma hujus Sacramenti.

bantur. S. Basilius Canone suo LXXX. hac de re inquit: „Nuptiarum pluralitatem silentii caligine Patres obvelarunt, veluti bestialitatem et alienam ab honesta consuetudine, ampliusque quam scortationem esse puniendam.“ Juxta hodiernam praxim Episcopi dispensatione subvenitur, dum ea petitur, cum secus post Concilium Florentinum plures successive nuptiae prohibitae non sint.[1])

## §. 90. De Sponsalibus.

Sponsalía juxta §. 2. Instructionis pro Tribunalibus in Austria Matrimonialibus praescriptae definiuntur: „sunt conventio, qua mas et foemina sibi matrimonii inter eos ineundi fidem dant.“ Graecis sponsalia sunt promissio futuri Matrimonii sacerdotali benedictione robarata. Circa sponsalia memorata Instructio sequentia praescribit:

§. 3. Sponsalia valide iniri nequeunt, nisi per voluntatis declarationem libere, ac debita cum deliberatione factam ab iis, qui matrimonium inter se valide ac licite contrahere possunt. Impuberum nomine inita impuberes ad Matrimonium contrahendum haud obligant, nisi, postquam ad pubertatem pervenerint, rata eadem habuerint.

§. 4. Sponsalia, licet jurejurando firmata sint, mutuo tamen consensu dissolvi possunt.

*Nota.* Graeci quidem Sponsalibus per Sacerdotem benedictis maximam virtutem mutuamque obligationem tribuunt. Quare S. Basilius per quamdam analogiam Canone 69. inquit: „Qui talia contraxit sponsalia si aliam ducat, aut si ea alteri nubat, vel una pars fornicetur, poenis adulterii subjiciatur.“ Canon autem 98. Concilii Trullani statuit: „Qui alteri desponsatam mulierem eo adhuc vivo cui desponsata est, in nuptiarum ducit societatem, adulterii crimini subjiciatur.“ Etsi enim non revera ac proprie, tamen per quamdam similitudinem reus vel rea adulterii non immerito censetur, qui fidem sponsalium violare non timuit. Ceterum putant nonnulli allatis Canonibus sermonem fieri de sponsalibus de praesenti, nempe de matrimonio non consummato, neque ab hac interpretatione abhorrent Balsamon et Zonaras, quippe qui Beatissimam Virginem fuisse sponsam S. Josephi ad mentem Canonis asserunt, cum aliunde constet eam fuisse conjunctam per sponsalia de praesenti.

Quia vero Canones recensiti de sponsalibus per Sacerdotem benedictis, seu uti Orientales dicunt, interventu Dei pactis sonant, hoc vero tempore juxta Euchologia Graecorum benedictio sponsalium immediate ante actum copulationis sponsorum peragitur, evenire vix potest, ut talia sponsalia rescindantur; non

---

[1]) Concilii Florentini speciale decretum ad Armenos: Declaramus non solum secundas nuptias, sed et tertias et quartas et ulteriores, licite contrahi, nisi aliquod impedimentum obstet.

benedicta autem Sponsalia e sententia Graecorum mutuo consensu, tamquam privatae promissiones rescindi possunt. Expressus proinde paragraphus Instructionis disciplinam Graecorum haud afficit.

§. 5. Sub paterna potestate constitutorum sponsalia solvenda sunt, quoties parentes juste contradicant.

Eadem est disciplina etiam Ecclesiae Orientalis, quae sic sonat: Dissentientibus parentibus in electione sponsae, patris valet judicium; item: Paterfamilias sponsalia dissolvere potest, non etiam emancipatae.[1])

§. 6. Quando una pars fidem sponso debitam violaverit, altera promissis stare non amplius tenetur. Quod si post sponsalia inita talis intercedat mutatio ut merito supponatur hoc obtinente rerum statu haud eventurum fuisse, ut ad sponsalia pacta procederetur, horum obligatio pro ea cessat parte, in qua ejusmodi mutatio haud contigit. Casu quo talia rerum adjuncta jam sponsalium initorum tempore locum habuere, parti cui ignota tunc fuerunt jus competit a sponsalibus resiliendi.

§. 7. Sponsi obligatione, quam sibi imposuerunt, non impediuntur, quin religionem ingrediantur, aut Deo in statu clericali militent. Professione religiosa, aut Ordinis sacri susceptione sponsalia dissolvuntur. Qua de re inquit Blastaris Canonista Graecus: „propter veram tonsuram (clericalem) et transitum ad vitam solitariam (monachalem) sponsalia solvuntur.“

§. 8. Matrimonio, quod una pars cum tertia quadam persona contrahit, sponsalia quidem dissolvuntur, salvum tamen permanet jus, quod alteri parti quoad damnum resarciendum pro re nata competit.

§. 9. A sponsalibus absque legitima causa resiliens, nec non qui legitimam resiliendi causam vel celaverit, vel sua culpa adduxerit, tenetur ad resarciendum alteri pro personarum et rerum adjunctis damnum, quod resiliendo ipsi infertur.

§. 10. Obligatio standi promissis per contractum sponsalitium datis tunc quoque cessat, quando omnibus perpensis circumstantiis supponendum merito sit, matrimonium a sponsis contrahendum infaustum fore. Quod si autem circumstantiae, quibus suppositio ista innititur, culpa unius partis exortae sint, haec alteri damnum quod ipsi frustratis justis ejus expectationibus illatum est, pro viribus resarcire tenetur.

## §. 91. De Clericorum sponsalibus.

Qui de Clericis secunda sponsalia ante Ordines init ad ulteriores Ordines non promovetur[2]). Quod de Lectore intelligendum est, Subdiaconus enim si sponsalia inire attentaret deponendus est.

---

[1]) Vide Matth. Blastar. pag. 78.

[2]) Constitutio Synod. sub Joan. Xiphil. Const. Patriarcha. vide Blastaris pag. 76.

## §. 92. De Impedimentis Matrimonii.

Cum Christus Matronium elevaverit ad dignitatem Sacramenti, Ecclesia qua Sacramentorum dispensatrix leges praescripsit valide contrahendi Matrimonii Sacramenti. Prohibitio ergo Ecclesiae ab ineundo matrimonio, impedimentum est Matrimonii estque impedimentum vel dirimens, quod nullum reddit matrimonium, ac si contractum non fuisset; vel tantum impediens, quo prohibetur quidem, sive impeditur matrimonium, si vero tamen factum sit, illud non irritat.

## §. 93. De Impedimentis Matrimonium dirimentibus.

Impedimenta dirimentia sunt alia juris naturalis, qualis est defectus naturalis sive incapacitas absoluta ad respondendum scopo matrimonii praestandumque consensum matrimonialem, de quo late disserunt S. Canones, ac etiam lex Austriaca. Instructionis §. 13. sic sonat: Amentes, furiosi, infantes, et quicunque impares sunt, talem, qualem rei natura exigit, consensum praestando, matrimonium contrahere nequeunt. — Sunt autem Impedimenta dirimentia etiam juris naturalis ac divini, prout videre est apud probatos Theologos. Denique sunt Impedimenta dirimentia juris ecclesiastici canonica compellata. Impedimenta dirimentia his versiculis complecti solent:

Error, conditio, votum, cognatio crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Haec facienda vetant, connubia facta retractant.

## §. 94. De Impedimento Erroris.

Impedimentum Erroris contingit circa personam, dum per errorem aliam duxit personam, quam intendit; voluit ducere Liam, et duxit Semproniam, putans hanc esse Liam. Aut versatur error circa qualitatem personae puta nobilitatem, divitias, virtutem, virginitatem, indolem etcet. qualis tamen error non dirimit matrimonium, nisi sit consensus expresse ad certam qualitatem qua conditionem v. g. virginitatem alligatus. Potest autem error circa qualitatem aliquando redundare in ipsam personam, et in hoc casu dirimit matrimonium v. g. siquis ducere voluit primogenitam, et obtrusa est illi secundogenita. Lex Austriaca circa impedimentum erroris sic sonat.

Instructionis § 14.: Ne consensus detur, et matrimonium contrahatur, impedit error, qui versatur circa personam futuri Conjugis, aut qui in personam redundat. In personam autem re-

dundat error in ea tantum qualitate, qua sola futuri conjugis persona determinatur.

## §. 95. De Impedimento conditionis.

Conditio servilis ignorata, dum persona libera contrahit matrimonium cum persona serva putans esse liberam, dirimit matrimonium. Valet temen matrimonium, si persona libera cognoscebat alterius servitutem. Ratio enim hujus impedimenti est, ut tollatur magna contractus inaequalitas, et ut impediatur gravis injuria personae liberae ignoranti illata, si quis autem sciens libere consentit in matrimonium cum serva volenti non fit injuria. Nomine personae servae non intelligitur serva domestica, sed mancipium, servi stricte sumpti, in quos dominus plenum jus habet vendendi, donandi, et quibuslibet operibus servilibus occupandi, quorum meminit et S. Paulus in suis Epistolis.[1]) De hoc impedimento Lex Austriaca, Instructionis § 15. sic enunciat: Quodsi contingeret, ut homo liber contraheret cum servo, vel serva, quos liberos putet, irritum foret matrimonium.

## §. 96. Impedimentum Impotentiae.

Distinguenda est sterilitas, seu impotentia generandi, ab impotentia coeundi, seu copulam carnalem perficiendi[2]) prior, seu sterilitas non est impedimentum dirimens, posterior autem sive impotentia copulam carnalem perficiendi tunc est impedimentum dirimens, si sit matrimonium antecedens, atque perpetua, id est mediis naturalibus absque periculo mortis insanabilis. Est autem impotentia alia absoluta, respectu cujuscunque foeminae, et hoc in casu impotens est absolute incapax matrimonii, vel impotentia est tantum relativa, relate ad unam, vel aliquas tantum personas, et qui hac laborat, matrimonium cum his valide contrahare nequit, et si contractum sit, dirimitur. Circa hoc impedimentum textus legis Austriacae hic est:

§. 16. Impotentia debitum conjugale praestandi matrimonium antecedens et insanabilis, ne matrimonium valide contrahatur impedit.

*Nota*: 1) Observandum est nullitatem matrimonii declarari posse quando per inspectionem resultat ex signis visibilibus impotentiam esse physice certam; quando autem certitudo haec non est physica sed moralis, idest ex rationibus deducta, tunc admittitur juramentum partium et septima manus.[3]) 2) Dubio post contractum matrimonium orto, num impotentia vera perpetuaque sit, Ecclesia permittit, ut conjuges convivant per trien-

---

[1]) Ephes. C. 6. v. 8. ad Co'oss. C. 3. v. 11.

[2]) Ad valorem matrimonii non satis est potentia vas foemineum penetrandi, sed requiritur potentia seminandi intra illud, et ex parte foeminae, potentia recipiendi semen. Sanchez.

[3]) Schulte Eherecht pag. 94. et sequ.

nium, et an matrimonium consummare valeant experiantur.[1]) Elapso triennio si inveniatur matrimonium non esse consummatum, id judicio Ecclesiae, non sola partium voluntate dissolvitur; et pars copulae idonea, aut siquidem impotentia relativa sit, pars utraque matrimonium cum alia persona poterit contrahere. Quod si autem alterutra pars petat separationem, et nolit triennio habitare, vel morale sit periculum incontinentiae, nullitas matrimonii pronuncianda est, dummodo verosimile sit impotentiam subversari, quod constabilitur per juramentum utriusque conjugis se non posse coire, item juramentum propinquorum se credere conjuges verum fateri. 3) E principio, quod tantum insanabilis impotentia dirimat matrimonium, si contingat ut pronunciata e capite impotentiae nullitate matrimonii, pars quae putabatur impotens potens evadat, prius matrimonium restaurandum est, si altera pars ad alia vota transivisset, eo, quod impotentia facto demonstrata tantum temporaria fuerit. Quam in rem Benedict. XIV. (de Syn. dioec. lib. 13. C. 21.) Non inficiamur inquit, soluto matrimonio ex capite impotentiae, quae judicetur esse perpetua, si forte contingat, ut post novas nuptias a non impedito conjuge celebratas, conjux ille, qui perpetuo impotens credebatur, subeundis matrimonii oneribus reddatur idoneus, debere alterum illum conjugem, secundo thoro relicto, ad primi jura redire juxta sanctiones canonicas. Matrimonium enim ab impotente impeditoque contractum non alia de causa dirimitur, nisi ratione impotentiae impedimentique perpetui; nam si haec perpetua non esset, sed temporaria, nullus profecto fuisset locus matrimonii vinculo dissolvendo, itaque impotentia impedimentoque cessantibus secundi matrimonii nullitas detegitur et primi stabilitas reviviscit.

## §. 97. Impedimentum aetatis.

Ad matrimonium requiritur corporalis et spiritualis maturitas, quae in certa solum aetate supponitur, quam Ecclesia determinat; qui igitur infra defixam aetatem matrimonium ineunt, impedimento aetatis laborant, eorumque matrimonium irritum est. Aetas haec 14. pro masculo, et 12. annorum exactorum pro sexu muliebri defixa est, nisi malitia praevertat aetatem, ut Canonistae exprimunt, seu praematuritas ante defixam aetatem coram Episcopo dioecesano probetur, qui in dubio rem ad Sedem Apostolicam pro sententia declaratoria perferre debet. Quoad hoc impedimentum Synodus provincialis Graecocatholicorum, Ruthenorum, Zamosciae an. 1720. „Si quis non habuerit aetatem legitimam, vir scilicet 14. annum completum, femina vero 12. nullatenus admittatur ad contrahendum.“ Idem

---

[1]) Justinianus Imperator biennium praescripsit L. in causis C. de Repudiis. Vide Pravila C. 217.

etiam Synodus graecorum Maronitarum de anno 1736. praescripsit. Legis autem Austriacae tenor sequens est:

§. 17. Cum pueri, qui decimum quartum, et puellae, quae duodecimum aetatis annum nondum absolverint, de regula neque physice ad matrimonium apti, neque ii sint, qui matrimonii contrahendi vim, prout decet intelligant, de jure ad matrimonium inhabiles censentur. Quodsi autem unquam eveniret, ut hac aetate minores et physica et morali ad matrimonium aptitudine pollerent, nihilominus, nisi desuper ab Episcopo dioecesano, vel ab ipsa Apostolica Sede sententiam declaratoriam tulerint, matrimonio jungi non possent.

*Nota* : Praescriptiones civiles interdum propter impedimentum militiae in canonica licet aetate matrimonium prohibent, quae etsi non irritent matrimonium juxta canonicas leges contractum, observandae tamen sunt, ad evitandas etiam poenas in transgressores civiliter statutas. (Vide Instruct. §. 69. et 70.

## §. 98. Impedimentum vis et metus.

Jure naturali et positivo, consensus in matrimonium a plena libertate ejus, qui matrimonium init, promanare debet; coactio igitur ad nubendum, quae fit illata vi, aut incusso metu, irritum reddit matrimonium; coactio fit per vim, si verberibus, animi et corporis afflictionibus, ab iis quorum potestati quis subest inflictis consensus extorqueatur; metu vero fit coactio comminatione gravis mali, quod certe contingeret, nec evitari posset. Metus autem debet esse gravis, qui cadit in virum constantem, cum nonnisi talis metus praesumptionem admittat consensum haud libero, sed coacte, invite fuisse praestitum, sicque consensum non verum sed fictum fuisse. Est autem metus absolute, vel solum relative gravis ; hinc cognitio, num in speciali casu, spectata individualitate personae, et teneritudine, praetensus metus gravis, aut solum levis reputari debeat, Judicis judicio relicta est, ex principiis tamen et indiciis certis, quae arbitrium judicis regulant, qualia sunt: metus mortis cruciatus, mutilationis, verberum; porro metus servitutis, vinculorum, metus stupri, infamiae, metus amissionis patrimonii, exheredationis, confiscationis bonorum et exilii. — Metus autem debet esse injuste incussus, nam juris executio non parit injuriam, verbi gratias si quis certam personam gravidam reddidit, et haec minetur, ni illam uxorem duceret eum prodituram; si igitur e metu pudoris et prostitutionis eandem ducat personam, non est metus injuste incussus.

Metus reverentialis erga parentes, avos, dominos, praelatos, tutores, si conjunctus sit cum precibus importunis, aut continua animi afflictione, et molesta cohabitatione, eo quod nolit designatae personae nubere, gravis est metus et matrimonium dirimit.

Quoad hoc impedimentum sequens est tenor Instructionis §. 18.: Consensus, ad quem exprimendum quis, a quocunque per

malum magnum et inevitabile injuste ipsi vel illatum, vel intentatum compellitur, ad matrimonii vinculum nectendum haud sufficit.

Quaeritur autem, an matrimonium ex gravi metu initum, subsequente copula vel cohabitatione ratificetur? Communis est canonistarum sententia: si post matrimonium, quod ex metu gravi injuste incusso contractum habeatur copula sponte et affectu maritali, vel conjugali, seu animo vivendi conjugaliter fiat, omnino validari matrimonium, quia copula consensum in matrimonium supponit. Quod si vero non sponte et libere, sed gravi metu subsequatur copula, non ratificari matrimonium, quia si positivus consensus metu gravi extortus non sufficit ad valorem matrimonii, multo minus valebit tacitus consensus qui per copulam habetur, si pari extorqueatur metu.

Matrimonium autem ratione metus invalidum validatur per spontaneam cohabitationem etiam sine copula, quia cohabitatio spontanea est signum sufficiens novi consensus, qui solum ad matrimonii valorem desideratur. Ut autem matrimonium per cohabitationem aut copulam ratificetur, requiritur, ut pars metum passa sciat matrimonium fuisse nullum, et invalidum; si enim ex errore, quo existimabat validum fuisse matrimonium, cohabitet aut copulam admittat, nunquam ratificabitur prius matrimonium. Rationem addunt canonistae, quia nihil tam contrarium est consensui quam error, atqui cum pars metum passa vel cohabitat, vel alteri copulatur, qui existimat se legitimo matrimonio copulatum esse, revera operatur ex errore, qui ad errorem personae reducitur, cum putet se consentire in eam quae sua sit, et quae tamen sua non est.[1])

## §. 99. Impedimentum Raptus.

Ex defectu liberi consensus matrimonium inter raptorem et raptam dirimitur; est autem raptus violenta abductio personae invitae contrahendi matrimonii causa, quamdiu rapta persona, etsi libere posthac consentiens est in potestate raptoris. Valet autem matrimonium cum raptore, si rapta postquam loco tuto restituta est, extra potestatem raptoris libere in nuptias consentiat. S. Basilius Canone XXII. inquit: Eum, qui mulierem ex raptu habet, non oportet ad poenitentiam admittere prius, quam ab ea separetur. Quod si alteri prius desponsata fuerit, ejus in potestatem reddi debet, si modo eam recipere velit; sin autem adhuc nulli desponsata fuerit, ad parentes redeat, vel ad alios, qui eidem sanguine juncti sunt, et siquidem illi raptoris affinitatem expetant, constituatur matrimonium si modo illa consenserit.[2]) Observandum est: Impedimentum raptus eo modo

---

[1]) Antoin. pag. 308.
[2]) Confer. Can. IX. Conc. Ancyranci.

quo nunc viget invectum esse a Concilio Tridentino, ac proinde obligat Ecclesiam Orientalem, quatenus idem Concilium Orientalem Ecclesiam obligat in omnibus iis rebus, quae fidem et mores respiciunt. Lex autem, Instructionis §. 19. sic sonat:

Mulier, quae matrimonium ineundi causa rapta fuerit, cum raptore quamdiu in ejus potestate manserit matrimonium valide contrahere nequit. Rapta censenda est mulier, quae violentia ipsi illata vel abducitur, vel in loco ad quem dolo allecta est detinetur; nec non ea, quae a viro, cui ante facinus rite desponsata haud fuit, ipsa licet consentiente, insciis tamen vel invitis parentibus, seu tutoribus abducitur.

Ergo raptus committitur non solum per violentam abductionem, sed et per allectionem et fraudem, (raptus seductionis seu subornationis.) Ut autem raptus sit impedimentum dirimens, requiritur, ut abductio fiat fine contrahendi matrimonii, non autem explendae libidinis; atque raptus tunc quoque est impedimentum dirimens, si rapta non invite imo consentienter, insciis tamen vel invitis parentibus aut tutoribus abducatur.[1])

## §. 100. Impedimentum Ligaminis.

Impedimentum ligaminis est vinculum prioris matrimonii sive consummati, sive rati tantum, sed validi; hinc irritum, nullumque est matrimonium, quod superstite legitimo conjuge initur, etiamsi prius solum fuerit ratum, posterius etiam consummatum. Quocirca, si quis bona fide mortuam uxorem existimans, accedente etiam judicis ecclesiastici auctoritate ad alias transierit nuptias, errorem edoctus, relicta hac, ad priorem conjugem redire debet; polygamiam enim Christi religio proscripsit. De hoc impedimento Instructionis §. 20. ait:

Matrimonii vinculum eodem junctos ad aliud matrimonium ineundum inhabiles reddit.

Vinculum autem prioris matrimonii cessat 1) per mortem unius conjugis, 2) quoad matrimonium ratum nondum tamen consummatum etiam per professionem religiosam (monachalem) unius conjugis. Duplex inquit Natalis Alexander, in Matrimonio vinculum inveniri; alterum spirituale, quod solo consensu, alterum carnale, quod copula stringitur. Carnale sola mors corporis solvit, ut docet Apostolus ad Romanos 7-o: Quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Spirituale autem vinculum spirituali morte solvitur, qua nimirum aliquis, mutatione status, a civili conversatione ita removetur, ut ad eam redeundi spem et potestatem ultra non habeat, quod fit solum per professionem

[1]) Nota: Cum Instructio Austriaca vim legis non habeat, per eam definita non est quaestio in jure communi controversa quoad raptum seductionis mulieris non desponsatae consentientis contra parentum voluntatem.

religiosam, qua quis se Deo devovens ita mundo mortuus est, ut jam nec sui corporis potestatem habeat, quod Deo per votum castitatis consecravit, ac solemni ritu tradidit. Et Benedictus XIV.[1]) ait: Integrum est mulieri, quae matrimonium celebravit, non autem et consummavit in monasterium se recipere, ibique solemnia religionis vota nuncupare; per hanc autem votorum nuncupationem matrimoniali vinculo vir solvitur, ipsique liberum est ad alias nuptias convolare.[2]) Leges quidem civiles Orientalium ulterius progressae sunt, matrimonium etiam consummatum professione religiosa dissolvi statuentes Novella 23. Justiniani C. 4. quam tamen legem rejecit Ecclesia.[3]) Cur autem matrimonium non consummatum per professionem religiosam solvatur, rationem reddit Innocentius III.[4]) „Conjugium illud inquit, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum et Ecclesiam, per incarnationis mysterium est contractum", ideo etiam Pontificis dispensatione dirimi potest. Qua de re Instructio pro tribunalibus matrimonialibus §. 21. sic sonat:

Vinculum matrimonii valide contracti sed nondum consummati per solemnem religionis professionem alterius conjugis, vel summi Pontificis dispensatione dirimitur. Matrimonium a Christianis contractum, postquam consummatum fuerit, nonnisi morte solvi potest.

*Nota* 1) Ex eo, quod matrimonium in conceptu catholico ratum, consummatoque nonnisi morte sit dissolubile; enunciatio nullitatis matrimonii per tribunal Acatholicum quoad Catholicos conjuges, dum adhuc vel uterque, vel unus conjugum Acatholicus erat, facta, invigorosa est, nec matrimonium eorum dirimit. Quocirca Instructionis §. 22. ait:

„Quodsi Christiani non Catholici autument, matrimonii vinculum solvi posse, Ecclesia errantes deplorat, verum pati nequit, ut error legis suae sanctitatem contaminet. Inter catholicum et Christianum non catholicum, qui conjugem superstitem habet, matrimonium consistere nequit, licet tribunal, apud quod causae matrimoniales Christianorum non catholicorum tractari solent, separationem quoad vinculum pronunciaverit.

*Nota* 2) Sed neque infidelium matrimonium legitime contractum dissolvitur ex eo, quod alter conjugum ad Christi fidem convertatur et baptizetur, unde Apostolus (Cor. I. C. 7.) hortatur conjuges ad fidem conversos ut non dimittant conjuges infideles cohabitare volentes. Quodsi infidelis discedit, discedat. Si conjux nimirum infidelis canonice interpellatus a conjuge converso, num voluerit ad fidem converti vel saltem innocue ac sine

---

[1]) De Synodo dioec. Libr. 13. C. 12.
[2]) Vid. Kutschker pag. 270. Tom. I.
[3]) S. Gregorius Magnus L. 9. Epist. 39. et 44.
[4]) Cap. Debit. Extravag. De Bigamis non Ordinandis.

contumelia Creatoris cohabitâre, utramque conditionem obfirmate recusat, tunc ob privilegium in favorem fidei a Christo concessum ac ab Apostolo promulgatum, integrum erit conjugi converso ac baptizato ad alias nuptias, cum persona tamen Catholica, convolare, et sic solvitur vinculum prioris matrimonii in infidelitate contracti.[1]) Qua de re §. 23. Instructionis sonat:

Quum per Sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur, matrimonium ab infidelibus contractum conjugibus ad Christum conversis firmum manet non obstantibus impedimentis ecclesiastica lege institutis. Quodsi autem altero tantum conjuge converso alter in infidelitate persistens cum eodem cohabitare interpellatione neglecta omnino renuat aut cohabitare nolit absque contumelia Creatoris, eidem petenti concedendum est ut ad novas convolet nuptias; quibus rite celebratis, vinculum conjugii infidelitate contracti dirimitur.

## §. 101. Impedimentum Ordinis, et Voti, seu Professionis Monachalis.

Num in Ecclesia Orientali etiam Ordo sit impedimentum dirimens matrimonii, disputant Theologi et Canonistae. Equidem e Canone III. Concilii Trullani dubium esse non potest matrimonium post Ordines sacros Subdiaconatum, Diaconatum et Presbyteratum initum non modo irregularem facere ordinatum, sed ipsum matrimonium irritum esse et nullum. Ipse etenim Imperatur provocavit Patres Concilii Trullani ut dedecus a Sacerdotibus avertant, qui se nefariis nuptis post Ordines implicarunt; ad quam provocationem Patres Concilii pro praeterito veniam faciunt illis Presbyteris bigamis, qui uxorati susceperunt Ordines, post hos autem iterum duxerunt uxorem, sed iis tantum, qui errorem suum ante latum hunc Canonem agnoverunt, pro eo poenitentiam egerunt atque adulterinam, et alienam congressionem abegerunt. Quae expressio „adulterina congressio“ per Patres Concilii hujus adhibita, manifeste nullitatem connubii post Ordines initi satis indicat. Dein addit Concilium: „Eos autem, qui post ordinationem uni matrimonio se applicarunt (ante Concilium hoc) Presbyteros, Diaconos et Hypodiaconos brevi aliquo tempore a sacro ministerio prohibitos et punitos rursus (per veniam) propriis gradibus restitui ad alium gradum nunquam promovendos, eis nefario manifeste dissoluto conjugio.“ Nefariae autem nuptiae juxta Codicem legum orientalium sunt nuptiae invalidae prout refert Blastaris pag. 54.: „Lex inquit, quae nefarias contraxit nuptias, solvere matrimonium potest, et alteri deinceps nubere.“ Quis ergo ex hoc Canone Concilii Trullani validitatem matrimonii post Ordines initi asserere audeat?

[1]) Consul. Bened. XIV. de Synod. Lib. VI. Cap. 4. a. Num. 3. et Lib. XIII. Cap. XXI.

cum Concilii hujus Patres tale connubium nefarium, adulterinum, et qua tale etiam pro praeterito solvi jubeant. Quem Canonem sic interpretantur atiam graeci-nonuniti, recentissime quidem Metropolita Valachiae proscripsit Librum, cui titulus: „Elementa Juris Canonici“ ab Andrea Saguna Episcopo nonunito Transilvaniae 1855. pro suo Clero Cibinii editum, ob hanc imprimis rationem, quod in eodem libro per Episcopum Saguna statuatur: Matrimonium Clericorum post sacros Ordines initum validum esse, quae assertio fidei et sensui Ecclesiae Orientalis Canonibusque adversetur. De qua proscriptione sui libri conqueritur Saguna in secunda sua praefatione ad eundem librum pag. XI. Ideo Benedictus XIV. Constitutione sua „Eo quamvis tempore“ §. 49. merito observavit: „Cum apud fideles etiam Ecclesiae Orientalis, nulla sint et irrita matrimonia post Ordines sacros celebrata, dispensatio grave illis scandalum ingereret, et acerbe quererentur maximum infligi vulnus ecclesiasticae disciplinae [1]).“ Adeoque mirandum est, quod nonnulli ad doctrinam Romanorum Pontificum appellent pro demonstrando, conjugium post Ordines initum validum esse [2]). Quam parum enim Romani Pontifices hujus sententiae sint, testis est ipse supra provocatus Benedictus XIV. Pontifex, qui in Const. „Etsi pastoralis“ pro Italo-graecis decernit: „Praeterea si quis Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter post sacram Ordinationem uxore mortua aliam duxerit, vel si uxorem non habeat ducere praesumpserit, statim ab Ordine erit deponendus, et ab illegitima uxore separandus, matrimonium enim post recensitos Ordines nullum, irritumque declaramus.“ In Constitutione autem pro Coptis verum est ab Apostolica Sede decretum esse: recurrant ad Apostolicam Sedem in casibus particularibus, in quibus, si ob graves causas super matrimonio inito post Ordines sacros concedenda dispensatio videbitur, tunc nullum verbum fiat de renovatione consensus. Verum quis non videt in hoc ipso decreto, nullitatem matrimonii post Ordines contracti, pro omnibus graecis et toto orientali ritu comprehendi, in quantum in particularibus casibus e rationibus gravissimis tantum, ab impedimento Ordinis, quod est constitutionis sive legis ecclesiasticae, in quo proinde suprema in Ecclesia potestas summus Pontifex dispensare eo magis potest, quod non quidem apud Apostolicam Sedem, uti patuit e supra citata Benedicti XIV. Constitutione pro Italo-Graecis, sed apud Graecos controversa res esset, dispensatio petenda est. — Porro idem Pontifex prosequitur: „An matrimonium in Ecclesia Orientali post Ordinem sacrum contractum perinde nullum sit, ac in Ecclesia Occidentali, an potius sit solummodo illicitum? licet Tribunalia hujus almae urbis (Romae) opinioni

---

[1]) Vide Pravila Cap. 124. pag. hujus Operis 45.

[2]) Samuel Klein de Szád in sua Dissertatione de Matrimonio Vindobonae 1781. edita.

eorum adhaereant, qui haec matrimonia nulla existimant, nihilominus satius visum est, ut adveniente casu concedendi dispensationem, conditio renovationis consensus non exprimatur [1]).« Ex qua clausula „Satius visum est« perinde nihil pro contraria sententia inferri potest, cum recte per dispensationem hanc exceptive concedibilem, ipsum impedimentum dirimens sufferatur, et convalidari potest matrimonium sine renovato consensu, quod etiam aliis ex titulis evenire solet, dum matrimonium per dispensationem Pontificis in radice sanatur; adeoque hac ipsa summi Pontificis enunciatione Ordinem, etiam pro ritu orientali impedimentum dirimens esse comprobatur, cum secus dispensatione Apostolicae Sedis ab eo, opus non esset.

Unde autem invaluerit ut in quibusdam regionibus Ecclesiae Orientalis matrimonia etiam post majores Ordines contracta tolerarentur (in aliis enim prout supra de Valachia dictum est, non tolerantur) fontem detegit Balsamon, ad Canonem VI-tum Concilii Trullani inquiens: „Vigesimus sextus Canon SS. Apostolorum decernit, ut soli Lectores et Cantores legitima matrimonia contrahant. De aliis autem Clericis nihil dicit. Et propterea eorum (Apostolorum nempe) doctrinam sancti Patres consequenter extendentes, hic quidem Lectores et Cantores uxores ducere posse decernunt; nullum autem alium praeter hos, sive Hypodiaconum, sive Diaconum, sive Presbyterum, post Ordinationem legitimam uxorem accipere, vel propter Canonis transgressionem deponi.

Quomodo autem hi degunt, qui Ordinationem recusant et uxores accipiunt, disces ex septuagesima nona Imperatoris Leonis Sapientis Novella, haec partim expresse dicentis: non admittentes ergo hac in re veterem legislatorem (Justinianum), qui vult Presbyterum, vel Diaconum, vel Subdiaconum, post sui ordinationem uxori conjunctum, a tali omnino habitu recedere et ad vitam laicam converti, decretum infirmamus: sancimus autem sufficientem eis esse poenam, si solo Ordine careant, in quo ante matrimonium dignoscebantur; non autem a clericali habitu et alio in Ecclesiis ministerio, quod tangere non est illicitum, omnino alieni esse condemnentur. — Est autem lex quae ab hac Novella sublata est Cap. XXX. tit. XI. Libr. III. Basilic, quod est XXVII. Novellae Justiniani XXIII., cujus tenor est: „Si Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, matrimonium contraxerit, et poenae Canonum obnoxius erit qui non minus quam leges valent et Sacerdotium amittit. Quin etiam liberi, velut ex incestis et nefariis nuptiis procreati, neque spurii sunt, neque per successionem aut donationem aut mutuum fictitium, aut aliam obligationem, quidquam a patribus vel ipsi, vel eorum matres accipiunt: sed ejusmodi res Ecclesia ipsorum vindicat.« Justinianus Imperator igitur nullitatem matrimonii post Ordines

[1]) Vide Kutschker 3. Band Eherecht §. 135.

recensitos contracti etiam quoad effectus civiles enunciat, atque proles ex tali matrimonio genitas nec pro naturalibus quidem, quales sunt ex concubinatu genitae, relate ad successionem in boni parentum, haberi decernit, ab omnique hereditate proscribit. Novella autem Leonis Sapientis priorem legem cassantis saltem sacris Canonibus, qui talia matrimonia post Ordines indicatos contracta, incestuosa, adulterina, nefaria, ac proinde invalida et dissolvenda pronunciant, derogare non potest; nec possunt convalidari per legem civilem matrimonia per sacros Canones constanter prohibita[1]) prout Can. SS. Apostolorum 26. Trullanus 3. 6., postquam Patres Trullani Canone XXVI. aperte enunciarunt: „Manifestum esse, quod nefarium conjugium; quale juxta Canonem III. ejusdem Concilii supra citatum, est etiam matrimonium post Ordines majores contractum, dissolvi debeat, nec vir, idest Clericus, cum ea ullo modo consuetudinem (maritalem) habere possit, ob quam sacra operatione privatus est.“ Quibus Canon I. Synodi Neocaesariensis, cujus tenor est: „Sacerdos si duxerit uxorem deponatur tantum, sed non simul ob hoc, honore Clericali exuatur,“ extra vigorem positus. Lex enim posterior derogat priori, atque posteriori Canonicae sanctioni adductae Concilii Trullani, nec per subsequentem Constitutionem Leonis Sapientis derogari potuit, cum Imperantes civiles jure destituantur Canones Ecclesiae mutandi, neque lex civilis contra Canones valere possit, dum de disciplina Clericorum agitur. Unde patet, Canonibus conforme esse, quod matrimonia talia in Valachia, ac Dioecesibus Graeco-Catholicorum Hungariae et Galiciae, aliisque non tolerentur, nec talem indisciplinam introduci admittatur, idque conformiter convictioni ipsius Ecclesiae Orientalis; juxta Codicem enim „Pravila“ (Commune Directorium Legis,) Glava, seu Capite 124. puncto 5-to: haereticis accensentur illi, qui credunt Presbyteros, et Diaconos posse alteras ducere uxores (Vide pag. hujus Operis 45. C. 124.)

Imo Synodus etiam Ruthenorum Zamoscensis anno 1720. diserte statuit: „Si quis Presbyter post collatos Ordines matrimonio jungi, aut prima uxore defuncta, secundas incestas nuptias inire praesumpserit, per Episcopum a communione atque altari arceatur, poenisque canonicis afficiatur, ut peregrinam spuriamque conjunctionem abjiciat.“ Idem et Synodus Maronitarum 1736. decrevit.

Relate ad impedimentum professionis religiosae seu monachalis, sive voti solemnis perpetuae castitatis, Canon XLIV. Concilii Trullani statuit: „Monachus fornicationis convictus, vel ad matrimonii communionem vitaeque societatem uxorem duxit, fornicationis poenis subjiciatur.“ Manifeste ex hoc Canone colligitur Monachi professi subsequum matrimonium, non matrimonium, sed fornicationem, concubinatum esse, ideo per Canonem

[1]) Confer. §. 50. Partis 1-ae hujus Operis.

poenae fornicantium ei infliguntur, Concilium ideo Maronitarum de anno 1736. statuit: „Quemadmodum vivente conjuge post matrimonium consummatum nulla unquam ex causa licitum est alteri ad alias nuptias transire, ita Clerici in sacris Ordinibus constituti, vel Monachi, Monialesque castitatem solemniter profitentes matrimonium contrahere nullomodo possunt. Quod si attentaverint, irritum et nullum est hujusmodi matrimonium.“ Quod etiam Pravila aperte enunciat Glava seu Cap. 123. sequentibus: „Monachus vel Monialis si deserto monasterio matrimonium inierit, hoc non pro matrimonio sed pro adulterio reputetur, et si non dimiserit talis Monachus sociam adulterii, excommunicatus sit.“

De his impedimentis Ordinis et voti Instructio Austriaca §. 24. praescribit:

Clerici in majoribus constituti, et Regulares, qui vota solemnia emiserunt, ad matrimonium ineundum habiles non sunt. In quantum vota simplicia in Congregatione regulari (Jesuitarum) emissa, cum per exceptionem sortiantur effectum ut matrimonium irritent, secundum statuta Ordinis a Sede Apostolica approbata dijudicandum est.

## §. 102. Impedimentum disparitatis cultus.

Cultus disparitas lato sensu obtinet non tantum inter Christianos baptizatos, et non christianos non baptizatos, sed et ipsos Christianos catholicos et acatholicos, haereticos nempe et schismaticos, cum quibus matrimonium inire Catholicis Ecclesia semper prohibuit. Sic Concilium Laodicenum Canone 10. statuit: „Non oportet eos, qui sunt in Ecclesia, suos filios haereticis matrimonio jungere.“ Et Canone XXXI.: „Non oportet cum haeretico matrimonium contrahere, vel dare filios et filias, sed potius accipere, si se Christianos futuros profiteantur.“ Canon autem LXXII. Concilii Trullani decrevit: „Non licere virum Orthodoxum cum muliere haeretica conjungi, neque vero orthodoxam cum viro haeretico copulari. Neque enim ea, quae non sunt miscenda misceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum sortem cum Christi parte conjungi oportet. Si autem aliqui, qui adhuc infideles sunt, et in orthodoxorum gregem nondum relati, sunt inter se legitimo matrimonio juncti; deinde hic quidem eo quod est honestum electo ad lucem veritatis accurrerit; ille vero erroris vinculo detentus fuerit, nolens divinos radios fixis oculis intueri, si infideli uxori placet cum viro fideli habitare, vel viceversa viro infideli cum fideli uxore, ne a se invicem separentur juxta divinum Apostolum. Nam sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.“[1]) Haec tamen prohibitio Ecclesiae scripta impedimentum

[1]) S. Paulus ad Corinth. C. 7. v. 14.

dirimens matrimonii non constituit, et negari nequit prima Ecclesiae Christianae aetate matrimonia inter christianos et nonchristianos inita fuisse. S. Caecilia, nupsit Valeriano adhuc ethnico. S. Monica mater S. Augustini, pariter nupta erat ethnico Patritio. S. Clotildis, nupsit etiam adhuc pagano Clodoveo Regi Francorum, primumque Imperatores christiani Valentinianus, Theodosius et Arcadius lege positiva Christianorum cum Judaeis matrimonium sub crimine adulterii prohibuerunt (Leg. 6. Cod. de Judaeis) sunt verba legis: „Ne quis Christianam mulierem Judaeus accipiat; neque Judaeae Christianus conjugium sortiatur, nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissi hujusmodi crimen obtinebit: libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata.“ Unde sensim invaluit in Ecclesia consuetudine potius quam lege scripta impedimentum hoc dirimens disparitatis cultus, quod sensu strictiori inter christianos et nonchristianos, seu quosvis non baptizatos obtinet, prout Benedictus XIV. (Const. de 6. Febr. 1749.) sequentibus indicat: „Qua quidem in re omnes [1]) sentiunt, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem jure sacrorum Canonum sed generali Ecclesiae more, qui pluribus ab hinc seculis viget, ac vim legis obtinet.“ Hoc impedimentum enunciatum etiam est in Concilio Maronitarum de anno 1736. verbis: „Cultus disparitas, idest, matrimonia Christianorum cum non baptizatis, sive Judaei sint, sive infideles cujuscunque sectae, sive etiam catechumeni.“ Circumscribitur autem hoc impedimentum a Theologis sequenti modo: Cultus seu religionis disparitas inter baptizatos et non baptizatos, etiam catechumenos, quales sunt Judaei, Turcae, Gentiles, ex consuetudine legitime introducta et ab Ecclesia approbata matrimonium irritat ob periculum perversionis. Atque hoc intelligendum modo de matrimonio contrahendo; non autem etiam de contracto, quod omnino validum est, neque dirimitur juxta Canonem etiam supra citatum Trullanum si pars infidelis, altera Christiana facta porro quoque ei pacifice cohabitare velit.

Instructio Austriaca hoc impedimentum sequentibus exprimit:

Inter baptizatos, et eos, qui regenerationis Sacramentum (Baptisma) haud susceperunt, matrimonium consistere nequit.

Juxta hoc ergo impedimentum disparitatis cultus nullum est matrimonium *a*) quod Catholicus cum Judaeo, Turca, aut Pagano iniret; *b*) quod schismaticus Christianus, aut Protestans cujuscunque Confessionis valide tamen baptizatus cum Judaeo, Turca, aut Gentili, aut quocunque non baptizato contraheret, adeoque si tales Catholici fierent, consensus renovatione eorum matrimonium validari debet. Cum autem existant Sectae ex Protestantismo enatae, prout sunt Sociniani, Unitarii, aliique, imo

---

[1]) Stapf über die Ehe pag 185.

in quibusdam locis ipsi etiam Protestantes, quorum baptismus aut dubius aut invalidus est, ad quaestionem: An Calvanistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium aut suspectum est, infideles habendi sint ita, ut inter eos et Catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? Feria 4-ta die 17. Novembris 1830. in Congregatione generali S. Romanae universalis Inquisitionis proposito supra scripto dubio decretum est: *a*) Quoad haereticos quorum Sectae Ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. *b*) Quoad illos, qui juxta eorum Ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. *c*) Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.

Corrolarium: Inter Catholicos et Acatholicos Christianos valide baptizatos impedimentum dirimens disparitatis cultus non obtinet, quamvis Ecclesia id genus matrimonia mixta dicta improbet, et ab iis ineundis suos dehortetur; quod Instructio sequentibus expressit:

Ecclesia detestatur fidelium cum apostatis conjugia; improbat quoque matrimonia inter Catholicos et Christianos Noncatholicos, et ab iis ineundis suos dehortatur.

Quodsi tamen hoc non obstante inter Catholicos et Acatholicos matrimonium contrahatur, nisi utriusque sexus prolium catholica educatio assecuretur, Ecclesia denegat in signum reprobationis talibus matrimoniis benedictionem sacerdotalem; atque aut passive solum assistente Catholico Parocho, coram eo et testibus enunciato per partes consensu matrimonium contrahitur, aut vero coram Ministro confessionali Acatholico in Hungaria, sic consentientibus partibus instituitur.

Clericis autem matrimonium cum haereticis absolute prohibetur Canone XIV. Concilii Chalcedonensis.

## §. 103. Impedimentum Cognationis.

Cognatio est propinquitas personarum, quas aut sanguinis communio, aut religionis ratio, aut legum vis constringit ac jungit.[1]) Triplex ideo est cognatio matrimonium dirimens. 1) Cognatio naturalis, seu consanguineitas, quae est conjunctio personarum, quarum una ab altera, vel ambae a communi et propinquo stipite per generationem carnalem descendunt, atque in ea distinguuntur procreati ex nuptiis legitimis, et vulgo quaesiti, seu illegitimi. 2) Cognatio spiritualis, seu propinquitas ex baptismi et confirmationis collatione, et perceptione proveniens. 3) Cognatio legalis ex adoptione consurgens.

---

[1]) Kutschker Eherecht 3. Bnd. §. 139.

## §. 104. Rationes prohibitionis Matrimonii inter consanguineos.

Matrimonia inter consanguineos justis de causis prohibita sunt, et quae certis in gradibus contraherentur irrita declarata. Prima ratio petitur ex reverentia quae parentibus et aliis consanguineis debetur. Altera ex caritate, quae necessitudinum multiplicatione latius diffunditur et corroboratur. Tertia ex concupiscentiae compressione, cui frenum laxari videretur, si Matrimonium inter illas personas contrahi posset, quas simul habitare et conversari necesse est.[1])

## §. 105. De propinquitate cognatorum.


Quo propinquiores sunt cognati ad communem Patrem seu stipitem, eo propinquiores inter se, et quo remotiores a communi generante, eo remotiores inter se ; ad quod determinandum, stipitem, lineas et gradus probe secernere oportet. Per stipitem intelligitur persona (masculina vel feminea) a qua originem ducunt illi, quorum conjunctio inquiritur, qualis est pater, respectu fratris et sororis, avus, respectu nepotis et neptis, proavus, respectu pronepotis et proneptis, abavus, respectu abnepotis et abneptis. Linea est collectio personarum ab eodem stipite descendentium. Linea triplex est, ascendentium, descendentium, recta; ascendentium, cum a persona generata ascenditur recte ad personam generantem, uti pater, avus, proavus, abavus, atavus; descendentium autem, dum a progenitore generationes vel personae progenitae numerantur, ut sunt filii, nepotes, pronepotes, trinepotes. Alia linea nuncupatur transversa, collateralis, obliqua, seu indirecta, quae est ordo personarum descendentium quidem ab uno communi stipite, a se tamen invicem non genitarum, quales sunt fratres, sorores; patrueles, consobrini ad se invicem collati. Ista collateralium linea rursus duplex est, aequalis, et inaequalis Aequalis linea dicitur, quando consanguinei aequaliter distant a communi stipite, ita duo fratres sunt in linea aequali, uterque enim pariter distat a stipite. Inaequalis, sive mixta linea autem est, cum alter ex consanguineis magis, alter minus remotus est a communi stipite, ita frater et fratris filius sunt in linea inaequali, quia frater distat a stipite, patre stilicet minus, quam fratris filius. Linea iterum est paterna, cujus caput est pater, alia materna, cujus caput est mater. Gradus denique juxta concilium Maronitarum 1736. celebratum, est generationis progressus, sive distantia consanguineorum inter se per unum generationis progressum. Dicuntur gradus,

---

[1]) S. Thomas secunda secundae Quaest. 15. Art. 9.

ad similitudinem graduum scalarum, seu locorum proclivium, quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, idest, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus,[1]) prout in sequentibus figuris intueri licet.

## LINEA RECTA:




## §. 106. De Computatione graduum Consanguineitatis.

Inter ascendentes Patris et Matris, ac descendentes eorum, in scala Lineae rectae nunquam potest contingere matrimonium

[1]) Math. Blastaris Syntagma Lit. A. Caput VIII.

propter continuam generationem posterioris a praecedente, ideo in linea recta computatione graduum opus non est. Quoad collaterales consanguineos vero lineae transversae, diversa est computatio canonica, quam latina Ecclesia observat, a computatione juris civilis romani, quae in Ecclesia orientali adhucdum usu viget.[1]) Secundum hoc, tot sunt gradus, quot sunt ex utroque latere personae; et ideo fratres et sorores, cum duae sint personae, sunt in gradu secundo, consobrini in gradu quarto, sobrini in gradu sexto, sobrinorum filii in gradu octavo. In linea autem transversa inaequali frater cum consobrina, et consobrinus cum sorore in gradu tertio, sobrinus cum consobrina, et consobrinus cum sobrina in gradu quinto, et sobrinus cum sobrini filia in gradu septimo. E. G.

| Stipes Joannes hic genuit (fratres) Josephum et Mariam | | Stipes Maria haec genuit uterinos (fratres) Annam et Joannem | |
|---|---|---|---|
| Josephum hic | Mariam haec | Annam haec | Joannem hic |
| (Consobrini) | | (Consobrini) | |
| genuit Annam haec | genuit Antonium hic | Philippum hic | Mariam haec |
| (Sobrini) | | (Sobrini) | |
| genuit Eliam hic | genuit Barbaram haec | Catharinam haec | Petrum |
| genuit Petrum | genuit Elisabet. | Paulinam. | |

Nunc, Elias vult ducere Barbaram in gradu sexto sibi consanguineam, quia ex utroque latere sunt sex personae, nempe Josephus, Maria, Anna, Antonius, Elias et Barbara.

Nunc, Petrus vult ducere Paulinam in gradu septimo consanguineitatis, quia ex utroque latere septem sunt personae, nempe Anna, Joannes, Philippus, María, Catharina, Petrus et Paulina.

At jus canonicum tantum connumerat lateris unius generationes a communi stipite deductas, ideoque duas personas in uno gradu constituit, scilicet fratres et sorores in primo gradu, consobrinos in secundo, sobrinos in tertio, et sobrinorum filios in quarto, qui est gradus orientalium octavus. Ratio autem diversitatis computationis graduum consanguineitatis inter jus civile, quam Orientales observant, et jus canonicum, quod Latina Ecclesia tenet, ex utriusque juris fine percipi potest. In legibus enim civilibus ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur usque ad quotam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinendum. Ibi praescribitur, ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur: hic vero, ut recte, et canonice nuptiae inter fideles celebrentur.

---

[1]) Schöpf Kirchenrecht 4. Band. pag. 88.

Et quia nuptiae sine duabus personis non valent fieri, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas.[1])

Prioribus sex seculis etiam in Ecclesia latina idem computationis graduum consanguineitatis modus observatus est, qui hodie quoque juxta praescriptionem legum civilium in Ecclesia orientali obtinet; donec pro Ecclesia latina disceptatione inter Petrum Damianum et Jurisperitum de Ravenna, hoc de objecto enata, Alexander secundus Pontifex coacto Romae concilio, ab antiquo jure populorum germanicorum receptam computandi rationem actu in occidentali Ecclesia vigentem praescripsisset.[2]) Juxta hunc jam computationis modum, pro computatione graduum lineae collateralis duae regulae stabilitae sunt:

1) Regula pro linea collaterali aequali haec: Quo gradu personae, de quarum conjunctione quaeritur, distant a communi stipite, eodem etiam distant inter se, seu tot gradibus distant personae a se invicem, quot gradibus distant a communi stipite.

2) Regula pro linea transversa inaequali haec: Tot gradibus distant personae inter se, quot gradibus persona remotior abest a communi stipite.

Quamvis autem juxta hanc posteriorem regulam, gradus remotior trahat ad se propinquiorem, et potior ratio habeatur gradus remotioris, cum tamen petitur dispensatio, exprimendus est etiam gradus propinquior, ea etiam ex ratione, ut sciatur, an casus in facultatibus Episcopalibus contineatur. Sic frater nepti ex fratre suo progenitae est cognatus in secundo gradu consanguineitatis attingente primum. Adeoque dum pro dispensatione recurrendum est, Schema sic dictum consanguineitatis, seu arbor gentilitius construatur, sicut in exemplis superius hoc §. exhibitum est. Construitur autem Schema vel arbor consanguineitatis ea ratione: describantur nomina eorum, qui matrimonio jungi volunt distinctim in certa ab invicem distantia, supra cujuslibet nomen scribantur parentes, et supra hos horum parentes, donec in communem stipitem utraque series desinat.

## §. 107. De extensione impedimenti consanguineitatis.

Juxta disciplinam Ecclesiae Orientalis impedimentum consanguineitatis extenditur usque ad septimum gradum inclusive, octavus ideo gradus prohibitus non est; juxta disciplinam autem Latinae Ecclesiae hic gradus quoque impedit matrimonium, quia integrat quartum gradum juxta canonicam computationem; ideo graeco-catholici dispensatione Episcopi ab hoc gradu opus habent. Imo graeci asserunt septimum quoque suae computationis

[1]) Natalis Alexander pag. 185.

[2]) Vide Schöpf Kirchenrecht 4. Band. pag. 88.

gradum nonnisi impedimentum impediens esse, quod prohibet quidem non tamen dirimit contractum jam matrimonium.[1]) De hoc impedimento consanguineitatis, tenor Instructionis §. 26. sequens est: Qui in linea recta, aut in quarto vel proximiori quodam lineae transversae gradu consanguinei sunt, validum inter se matrimonium contrahere non possunt, neque refert an consanguineitas ex copula licita vel illicita exorta sit.

## §. 108. Matrimonia ob impedimentum Consanguineitatis irrita, nullo temporis tractu convalescunt.

Contracta in gradibus prohibitis matrimonia adeo sunt irrita, ut nullo annorum numero defendi possint et convalescere; prout decrevit concilium Lateranense IV. his verbis: „Quaternarius numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apostolus: quod vir non habet potestatem sui corporis sed mulier, neque mulier habet potestatem sui corporis sed vir; quia quatuor sunt humores in corpore qui constant ex quatuor elementis. Cum ergo jam usque ad quartum gradum (octavum graecum) prohibitio conjugalis copulae sit restricta, eam ita volumus esse perpetuam, ut si quis contra prohibitionem hujusmodi praesumpserit copulari, non longinquitate defendatur annorum; cum diuturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat, tantoque sunt graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam.[2])“

## §. 109. Decretum Concilii Lateranensis IV. quoad gradus consanguineitatis prohibitos obligat etiam Ecclesiam Orientalem.

Superiori §. 107. expositum est Graecos non modo non prohibere matrimonium in octavo suae computationis gradu, sed etsi in septimo gradu, qui quidem prohibitus est, contrahatur matrimonium, ob prohibitionem tamen irritum non reddatur. Graeco-Catholicis tamen regula esse debet decretum Synodi provincialis Maronitarum de anno 1736. per Sanctam Sedem Apostolicam approbatum sequentis tenoris: „In Ecclesia Romana prohibentur matrimonia usque ad quartum gradum inclusive juxta computationem canonicam; in Ecclesia vero Orientali usque ad septimum gradum inclusive juxta computationem civilem; unde cum persona octava Latini matrimonium prohibent, permittunt vero Orientales. Quod tamen improbavit Innocentius IV. (in epist ad Ottonem cardinalem Tusculanum in regno Cypri) in haec verba: „Et quoniam apud eos (Graecos) consueverint contrahi matri-

---

[1]) Vide Blastaris Syntagma pag. 46. Tomo. II. apud Beveregium.
[2]) Kutschker Tom. 3. pag. 302.

monia inter personas contingentes se juxta eorum computationem octavo gradu, si secundum computationem et distinctionem graduum quam nos facimus apud nos quartus habetur: ne id permittatur deinceps, firmiter prohibemus, districte praecipientes, ut quum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in praedicto quarto consanguineitatis vel affinitatis gradu copulari ulterius non praesumant, statutum in hoc generalis Concilii (Lateranensis sub Innocentio III.) observantes. Illos autem qui jam in gradu hujusmodi contraxerunt, dispensative permittimus in sic contracto matrimonio remanere.« Et Benedictus XIV. Const. »Etsi Pastoralis« pariter normae adinstar praescripsit: Quoniam inquit, apud Graecos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se juxta eorum computationem octavo gradu, qui secundum computationem et distinctionem graduum, quam Latini faciunt, apud hos quartus habetur, ne id praesumatur deinceps firmiter prohibemus ac districte praecipimus, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur in praedicto quarto consanguineitatis vel affinitatis gradu copulari ulterius non praesumant, statutum quoad hoc generalis Concilii observantes.[1]) — Cum vero epistola Innocentii IV. pro regno Cypri prudenti oeconomia Apostolicae Sedis non fuerit publicata, neque ad praxim in regno Cypri deducta, Constitutio autem Benedicti XIV. »Etsi pastoralis« Italo-Graecos respiciat, non vero omnes Orientales: ideo non immerito dici potest, tolerantia ac indulgentia ejusdem Sedis Apostolicae factum esse, ut matrimonia in Ecclesia Orientali inita inter consanguineos et affines, qui octavo inter se distant orientali gradu, non essent irrita, nisi agatur de aliqua Graecorum provincia, pro qua ab Apostolica Sede aliter declaratum fuerit, prout constat de Maronitis.

## §. 110. Num conjugia Infidelium et Haereticorum ad Ecclesiam conversorum cum impedimento dirimente consanguineitatis ante conversionem contracta tolerari possint?

Quoad infidelium non baptizatorum post contracta matrimonia ad ecclesiam conversorum connubia conveniunt Canonistae' excepto si matrimonia eorum contracta essent cum impedimento juris naturalis et divini, uti in linea recta inter ascendentes et descendentes, atque linea collateralis primum gradum consanguineitatis non esse separanda, et eorum proles legitimas esse. Aliud autem est Canonistarum circa matrimonium haereticorum judicium; cum enim hi Ecclesiae jurisdictioni subditi sint ex quo baptismum susceperunt, legibus quoque ecclesiasticis obligan-

[1]) Kutcshker Tom. III. pag. 303.

tur, ideoque separandi sunt, si Matrimonium in gradibus prohibitis in haeresi adhuc licet contraxissent, donec impetrata dispensatione iterum contraxerint. Observandi tamen sunt tenores §. 139. Instructionis, ut videlicet in similibus casibus ab omni inquisitione in forma juris instituenda abstineatur, sed medio Cleri parochialis subversantis impedimenti realitas exploretur. Episcopus autem dispensationem, qua opus est, tribuendo, curam habeat, ut convalidatio omni scandalo semoto peragatur. Urgente autem periculo, ne conjuges vel alter eorum, impedimedimento detecto ad consortium vitae dissolvendum abutantur, apud Sanctam Sedem de sanando matrimonium in radice supplicatio fiat.[1])

## §. 111. De Cognatione Spirituali.

Cognatio spiritualis oritur ex Baptismo, quocum in Ecclesia orientali etiam confirmatio de canone[2]) ordinarie confertur; evenire autem solet, ut confirmationis sacramentum distinctim, etiam in Ecclesia Orientali conferri deceat et quidem adultis, dum Lutherani vel Calviniani ad Ecclesiam graeco-catholicam convertuntur, his, eorumque prolibus; hinc dicendum est, cognationem spiritualem ex baptismo et confirmatione contrahi. Concilium Trullanum Canone LIII. de hac cognatione statuit: „Quoniam spiritualis affinitas corporum conjunctione major est, in nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto et salutari baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus eorum viduis matrimonium contrahere, statuimus, ut imposterum nihil amplius fiat ejusmodi, si qui autem post praesentem canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem primo ab illicito istiusmodi matrimonio desistant, deinde et fornicatorum poenis subjiciantur.“ (Addit Blastaris.[3]) „Quippe qui ab hoc malo prompte non semet abstinet, et confitetur, tamquam incestis nuptiis pollutus damnatur. Legis autem tenor est: Qui e sacro baptismate aliquam suscepit, eam postea matrimonio sibi jungere non potest, utpote quae illius filia facta sit. Nec item ducere potest matrem ejus, aut filiam, imo nec ipsius quidem filius id facere potest. Quippe nulla res alia sic paternam affectionem inducere potest, et justam nuptiarum prohibitionem, ut hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animae eorum copulantur. Affirmant igitur aliqui (prosequitur Blastaris) quod cum tam ex canone quam lege major esse illa spiritualis, quam carnalis cognatio statuatur, observare debeant hac colligati prohibitos gradus usque ad septimum: tot scilicet numero, quot etiam in consanguineitate soleant observari. Verum pluribus hoc minime visum est, sed ad eas duntaxat personas pro-

[1]) Idem Kutshker pag. 304.
[2]) Canon. 48. Sinod. Laodic.
[3]) Blastaris Syntag. Lit. B. apud Bevereg. pag. 62.

hibitionem pertinere, quae dicta lege continentur. Quae disciplina etiam nunc ubi in usu est, observanda est.

Jure latino impedimentum cognationis spiritualis exprimit Instructio §. 27. sequentibus: Cognatio spiritualis, quae ex baptismo et confirmatione oritur, dirimit matrimonium inter sacramenti dispensatorem et baptizatum vel confirmatum, nec non baptizati vel confirmati parentes, inter patrinum quoque et baptizatum vel confirmatum, nec non baptizati confirmatique parentes.

Differentia igitur a disciplina graeca in eo consistit, quod secundum Latinos permissum sit filio patrini ducere sororem filii spiritualis patris sui, quod per disciplinam graecam prohibitum est, in quantum inter filios patrinorum atque filium spiritualem, ejusque fratres et sorores fraterna correlatio consistit.

Notant autem Canonistae, hoc impedimentum non contrahi ab eo, qui procuratorio tantum nomine patrini munus obivit.

Insuper impedimentum hoc cognationis spiritualis etiam ex Sacramento Matrimonii contrahi tenent Graeci; nam in Codice Canonum vulgo Pravila, juxta editionem lingua romana seu valachica pag. 189-a legitur Titulus: „De Cognatione ex Matrimonio." quae contrahitur inter testes ad Matrimonium adhibitos quasi patrinos, et parentes sponsorum, filiosque eorum inter se. Haec prohibitio Matrimonii ubi viget, Episcoporum dispensatione tolli potest.

## §. 112. De Adoptione, sive Cognatione legali.

Adoptio est actio solemnis, qua in locum filii vel nepotis adsciscitur is, qui natura talis non est; communiter a Canonistis definitur: extraneae personae in filium vel filiam, vel nepotem legitima assumptio; et haec est adoptio perfecta, quia adoptatus loco naturalis, vel sicut naturalis transit in potestatem adoptantis, et alias arrogatio dicitur; distinguitur ab hac adoptio imperfecta, dum adoptatus non transit in potestatem adoptantis, ideo posterior adoptio non est impedimentum dirimens matrimonii.[1]) Impedimentum hoc, juxta declarationem Nicolai 1-i Pontificis (in respons. ad. consult. Bulgar. C. 2.) est secundum complexum legum civilium dimetiendum, de quo in Austria Instructionis §. 28. praescribit ut sequitur:

Adoptio, qualis arrogationi, seu adoptioni perfectae juris Romani quoad essentialia respondet, secundum nunc vigentem Ecclesiae praxim, etiam postquam dissoluta fuerit, matrimonium dirimit inter adoptantem adoptatumque et ab adoptato descen-

---

[1]) Kutschker Tom. 3. pag. 355. Bened. XIV. de Syn. D. L. IX. C. 10. 1. 2. 4. et 5. Quaestio an ex adoptione imperfecta oriatur cognatio, legalis adhuc definita non est, ideo merito concludit Bouvier, casu adveniente petendam esse dispensationem ad cautelam.

dentes sub paterna ejus potestate tempore adoptionis constitutos, nec non inter adoptantem adoptatique uxorem et adoptatum vicissim et adoptantis uxorem. Praeterea quamdiu adoptio perdurat, inter adoptatum et adoptantis liberos carnales, legitimos, sub potestate paterna constitutos matrimonium consistere nequit. Porro §. 29. Adoptio juris Austriaci intra praefatos terminos matrimonium dirimit, quoties adoptatus paternae adoptantis potestati subjiciatur, vel in ejusdem domum filiorumfamilias adinstar cohabitaturus recipiatur. Quodsi autem neque paternae adoptantis potestati subjiciatur, neque in ejusdem domum cohabitaturus recipiatur, adoptio juris Austriaci imperfectae aequiparanda est, et nullum matrimonii impedimentum involvit.

Haec etiam Graeco-Catholicos in Austria obligant, postquam hoc impedimentum cognationis legalis etiam Ecclesia Orientalis adoptavit, attamen ad illas duntaxat personas exporrigitur, quae determinatae sunt a jure Romano, quas paragraphus sequens indicat.

## §. 113. Impedimentum cognationis legalis, sive Adoptionis in Ecclesia Orientali.

Impedimentum cognationis legalis, sive adoptionis etiam Ecclesia Orientalis sanxit; de quo Blastaris [1]) haec dicit: „Ceterum adoptionis etiam quae successionis causa fit perinde rationem habendam ac consanguineitatis per sacros canones et religiosas leges edocti sumus; idque tum respectu graduum matrimonialium, tum adeundae paternae hereditatis. Non potest pater, qui filium adoptavit, filii adoptivi filiam vel neptem ducere; nec filius adoptivus adoptantis patris uxorem, vel matrem, vel sororem matris, vel neptem ex filio.“ Synodus autem Maronitarum de anno 1736. sequentia statuit: Cognatio legalis est propinquitas ex adoptione proveniens; adoptio autem est personae extraneae, seu carentis gradu filiationis ad quem assumitur, in filium et heredem gratuita assumptio, ad quam requiruntur a Jure hae conditiones: 1) ut adoptans sit sui juris, 2) ut sit major viginti quinque annis, 3) ut sit masculini sexus, nam feminae adoptari possunt sed non adoptare, nisi ex privilegio; 4) ut adoptans habeat naturalem generandi potentiam; non tamen excluduntur ii, qui cum a nativitate habuissent illam, ex accidenti amiserunt, ut scissi gladio, aut facti ex morbo eunuchi, sed excluduntur frigidi ex natura; 5) ut adoptans sit ejus aetatis, quae adoptati aetatem excedat annis decem et octo; 6) ut adoptans sit praesens, non enim fieri potest adoptio per literas aut per procuratorem. His positis conditionibus cognatio legalis, quae ex adoptione oritur, dirimit matrimonium in linea recta ascendentium et descendentium, usque ad quartum

[1]) Blastaris in Syntagmate Lit. B. pag. 52. apud Bevereg.

gradum canonicum inclusive, et in primo tantum gradu canonico lineae collateralis; item affinitatem parit in primo gradu lineae rectae tum ascendentium, tum descendentium, quae matrimonium dirimit; unde non potest adoptans nubere cum uxore adoptati, nec adoptatus cum uxore adoptantis. Talis autem cognatio in linea quidem ascendentium est impedimentum perpetuum, non vero in linea collaterali, adeoque soluta quidem adoptione, remanet adhuc inter ascendentes et descendentes cognatio legalis; desinit tamen haec cognatio in linea collaterali, soluta adoptione vel per mortem adoptantis, vel per emancipationem adoptati.[1])

## §. 114. Impedimentum Affinitatis.

Affinitas est propinquitas quarumdam personarum orta ex copula carnali licita, vel illicita unius cum consanguineo vel consanguinea alterius. Ergo maritus est affinis consanguineis uxoris sicut uxor affinis est consanguineis mariti. Cum enim maritus et uxor consummata copula fiant caro una, consanguinei unius fiunt propinqui alterius. Id dicendum est etiam de concubitu illicito, per quod concumbentes fiunt caro una dicente S. Paulo 1. ad Corinth. 6. „qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur, erunt enim duo in carne una.“ Ideo irritum est matrimonium inter legitimum conjugem, et alterius conjugis consanguineos sibi affines usque ad quartum gradum; atque inter unum concumbentem et alterius complicis consanguineos in primo vel secundo gradu. Gradus autem computantur juxta regulam: Quo gradu quis est cognatus uni, eodem gradu est affinis alteri. Quoad hoc impedimentum Instructio pro Tribunalibus matrimonialibus in Austria praescribit.

§. 30. Matrimonium consummatum inter unam partem, et alterius quartum usque inclusive gradum consanguineos affinitatem parit, qua irritatur matrimonium inter eosdem initum.

§. 31. Concubitus extra matrimonium habitus dirimit matrimonium contrahendum inter unam partem et alterius consanguineos in primo et secundo gradu, vel, ut communiter dicitur usque ad secundum gradum inclusive.

§. 32. Conjux qui cum alterius consanguineis in primo vel secundo gradu copula carnali culpose jungitur, privatur jure debitum conjugale petendi, donec dispensationem obtinuerit. Hic paragraphus agit de affinitate superveniente, dum videlicet unus ex conjugibus cum alterius consanguineis carnaliter commiscetur, et per hanc commixtionem inter ipsos conjuges affinitas enascitur, quoniam conjux alter cognatus est.

---

[1]) Kutschker Tom. 3. pag. 353.

## §. 115. Disciplina Ecclesiae Orientalis circa Impedimentum Affinitatis.

In Ecclesia Orientali relate ad impedimentum affinitatis praescriptiones legis civilis in usu sunt, quas Blastaris in suo Syntagmate [1]) sic exponit: Verba legis (civilis) haec sunt: Socrus est uxoris meae mater, et avia, et proavia, quarum nullam duco. Nurus etiam dicitur uxor filii et nepotis, et pronepotis. Privigna quoque dicitur ex alio nata marito uxoris meae filia, et neptis, et proneptis, quarum nullam duco.

Nec item novercam meam, licet plures pater meus habuerit, quoniam matrum loco sunt. Nec noverca nubit ei, qui privignae meae maritus fuit. Nec filiam mulieris duco, quae a me divertit ex alio marito post divortium procreatam. —

Tomus autem Sisinii Patriarchae prohibet, ne duo fratres amitam, et ejusdem fratris filiam ducant uxores, ac vice versa. Praeterea vetuit ne duo frates ducant duas consobrinas (eo magis duas sorores). Igitur ad quintum usque gradum prohibitae sunt ob affinitatem nuptiae. Quae vero sexti gradus sunt, si nulla interveniat confusio circa generis appellationes non prohibentur. Sin emergat aliqua confusio vetantur. Sic fieri non potest ut duo germani fratres duabus consobrinis copulentur, et vice versa, in gradu sexto. Fiunt enim loco fratrum congeneri, vel coaffines, et hoc modo nomina cognationis confunduntur. Ait autem Magnus Basilius: „In quibus generis appellationes confunduntur, in his illicitae sunt nuptiae." Ex hac causa, cum patruus jam antea fratris habet filiam, fratrisve filius cum amita coire vult in matrimonium, posteriores nuptiae prohibentur. Quippe velut ipso jure patruus fit fratris filius, et fratris filius fit patruus. Nec prohibetur autem ut avus, et nepos copulentur cum amita magna, et ejusdem ex fratre nepte, licet in sexto gradu, quia confusionem generis non inducit. Sicut etiam cum patruus et fratris ejus filius amitam ducunt, et ejus fratris filiam.

Ex eodem autem principio evitandi confusionem generis etiam septimus gradus prohibetur; sic fieri nequit ut filius et pater duabus sobrinis copulenur; patris enim et filii loco fiunt congeneri vel coadfines. Ex eadem ratione avus et pronepos a matrimonio duarum consobrinarum arcentur, ne congeneri vel coaffines habeantur. Patruus autem et fratris ejus filius duas consobrinas in septimo gradu citra prohibitionem ducunt. Non potest autem unus idemque duas sobrinas ex duobus generibus uxores successive habere.

Apud Graecos obtinet etiam affinitas ex tribus generibus,

[1]) Lit. B. apud Bevereg. pag. 47-a.

sic: Nemo petest ducere matrem uxoris fratris uxoris suae, neque uxorem fratris uxoris suae, haec tamen impedimenta juxta Gabrielem Metropolitam Philadelphiae in opusculo de Sacramentis, quod a Synodo Hierosolymitana sub Dositheo Patriarcha seculo XVII. celebrata laudatur et approbatur, magis ad impedimenta impedientia adnumerantur, qui ait hoc esse referendum ad accuratam Episcoporum approbationem.[1])

Quoad hoc impedimentum Synodus Maronitarum graecocatholicorum de anno 1736. celebrata et per sanctam Apostolicam Sedem approbata decrevit: Quum gradus consanguineitatis ad quartum inclusive quoad Latinos in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. et ad septimam personam quoad Orientales redacti fuerint, consequens est, ut ad eum quoque gradum seu personas affinitatis quoque gradus extenderetur. Sed nos statutum sacrosancti Lateranensis Concilii, cui Patriarcha noster Hieremias interfuit, in praedicto quarto affinitatis gradu (computatione canonica) observamus; adeoque declaramus, quod etiamsi in jure Orientalium prohibitum sit, ut pater et filius cum matre ejusque filia contrahant, aut duo fratres cum duabus sororibus, sacrosanctae tamen Romanae Ecclesiae morem sequentes matrimonia hujusmodi tamquam licita approbamus. Affinitas enim non est inter cognatos contrahentium, sed inter unum contrahentem et cognatos alterius contrahentis.[2]) Pius autem V. Pontifex in Decreto Apostolico „ad Romanum" de 28. Novemb. 1566. ad tollendum omne dubium, an licet in ulterioribus gradibus hujusmodi matrimonium cum affinitate contractum non dirimatur, adhuc tamen juxta antiquos Canones contrahi prohibeatur? declaravit: „Nos omnem ambiguitatem tollere, ut animarum tranquillitati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes declaramus et auctoritate Apostolica decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi libere et licite matrimonium contrahi possit" [3])

## §. 116. Impedimentum publicae honestatis.

In nuptiis contrahendis inquit Blastaris[4]) non solum quid permissum sit consideramus, verum et quid sit honestum. Est autem impedimentum publicae honestatis inhabilitas ad matrimonium orta ex sponsalibus legitime contractis quacunque de causa postmodum solutis, atque ex matrimonio effective contracto sed nondum consummato sive rato sive irrito, excepta sola causa defectus consensus, si ex hoc solo titulo irritum sit matrimonium, in hoc enim casu impedimentum publicae honestatis non contrahitur. Si autem matrimoninium ex quocunque

[1]) Klein pag. 85.
[2]) Kutschker Tom. III. pag. 374.
[3]) Kutschker Tom. III, pag. 375.
[4]) Apud Bevereg. Tom, II. pag. 51.

alio titulo uti *raptus, criminis, cognationis*, affinitatis etc. irritum sit, impedimentum *hoc contrahitur*, et quidem ex sponsalibus validis usque *ad primum canonicum*, et secundum graecum gradum[1]) inter unam *partem et* alterius contrahentis partis consanguineos; et ob *matrimonium* ratum non consummatum usque ad quartum gradum canonicum, graecum octavum. De hoc impedimento inquit Blastaris[2]): „Ubi perfecta sunt sponsalia, licet antequam cum desponsata sibi vir coeat, per mortem ab ea diremptus fuerit, ne laicus quidem ducere potest vel consobrinam ejus, vel aliam personam cognatam lege prohibitam."

Instructio autem Austriaca sequentia praescribit:

§. 33. Matrimonium ratum non consummatum conjugem, qui supervixerit, aut in saeculo remanserit, inhabilem reddit ad matrimonium ineundum cum alterius consanguineis quartum usque inclusive gradum.

§. 34. Matrimonium invalide contractum non consummatum, nisi propter defectum consensus nullum sit, impedit, ne conjugium subsistat inter unam partem et alterius consanguineos quartum usque inclusive gradum.

§. 35. Sponsalia valide et pure inita (inconditionate aut si conditio de futuro adimpleta est) obstant ne sponsorum alter cum alterius consanguineis in primo gradu matrimonium contrahat.

## §. 117. Impedimentum criminis.

Spiritus legum Orientalium is est, ut graviorum criminum rei sicut conjugicidae et adulteri cum complicibus criminis nunquam matrimonium contrahere admittantur, imo non tantum ob perpetratum crimen, sed ex sola etiam praesumptione et subsumptione de crimine matrimonium prohibent; qua de re Titulo: „De nuptiis quae prohibentur etiam citra cognationem"[3]) haec leguntur: „Qui accusatus est adulterii, licet manifesto non sit convictus, nequit eam mulierem uxorem ducere. Nec libertus uxorem patroni sui ducit post ejus mortem. Praebet enim suspicionem quod etiam illo vivo commiserit in eam adulterium."

Impedimentum autem dirimens criminis in eo consistit, si nempe mulier, vel vir adulterium committat, vel conjugicidium perpetret, intentione, ut possit postea nubere illi, quocum hoc peccatum commisit. Quo in casu hujus mali partes consciae matrimonium valide inire haud possunt (Klein p. 90-)

Disciplina etiam Ecclesiae Latinae impedimentum ob crimen ad certas conditiones restrinxit et determinavit, et quidem:

---

[1]) Rectius quartum gradum, cum restrictio hujus impedimenti a Concilio Tridentino Cap. III. Sess. XXIV. de reform. matrim. ad Ecclesiam Orientalem non spectet.

[2]) Apud Bevereg. pag. 77.

[3]) Blastaris Syntagma Lit. B. pag. 53.

1) Adulterium solum non est impedimentum dirimens matrimonium post mortem conjugis contractum.

2) Adulterium consummatum cum matrimonio attentato vivente conjuge est impedimentum dirimens, si nempe utrique notum sit adulterium, si enim alteruter bona fide matrimonium contrahat, existimans alterum solutum esse ac liberum, sive suum aut alterius conjugem obiisse, qui postea superstes invenitur; priore mortuo cum posteriore contrahere potest.

3) Adulterium cum promissione matrimonii est impedimentum dirimens, si promissio fuerit facta vivente marito mulieris, vel conjuge complicis. Quodsi autem promissio de matrimonio contrahendo facta non fuerit vivente primo conjuge, sed post ejus mortem, quamvis adulterium intervenerit illo adhuc superstite, nullum inde oritur impedimentum dirimens. Sufficit autem nuda promissio antecedens, concomitans aut subsequens adulterium vivente conjuge, nec requiritur ut juramento firmata fuerit: sed tamen requiritur ut ab altera parte criminis participe sit acceptata seu verbo seu signo; alias impedimentum istud non oriretur.

4) Homicidium cum adulterio, etiam absque conspiratione est impedimentum dirimens matrimonium post perpetratum crimen contractum, idest, si homicidium fine et cum intentione contrahendi matrimonii cum complice adulterii ante patratum facinus commissi, etiamsi una parte non consentiente aut ignorante patratum sit.

5) Homicidium etiam sine adulterio, sed cum conspiratione in conjugicidium, dirimit matrimonium. Mulier igitur illi nubere non potest, qui maritum ejus interfecit, si mortem ejus machinata fuerit.

## §. 118. Impedimentum Clandestinitatis.

Clandestina matrimonia sunt, quae non ineuntur publice ut dicunt in facie Ecclesiae et coram testibus, quae Ecclesia semper reprobavit et prohibuit. Testis hujus est Tertullianus (lib. 2. ad Uxor. C. 8.) scribens: „Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio. Ideo (L. de pudic. C. 4.) penes nos occultae quoque conjunctiones, idest non prius apud Ecclesiam professae, juxta moechiam et fornicationem judicari periclitantur.“ Quales clandestinas consociationes etiam leges civiles prohibuerunt. Sic Leo Imperator Novella 89. publica lege sancivit: „Ut sacrae benedictionis testimonio matrimonia confirmentur, adeo ut, si qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illi in vitae illa consuetudine matrimonii jure potiri debeant.“ Cum tamen Constitutio Principis laici non potuerit validitatem matrimonii quoad forum conscientiae infringere, manifestum est, ex ea impedimentum dirimens clande-

stinitatis nullo desuper existente antea Ecclesiae universalis decreto derivari non posse. Primum Concilium Tridentinum praescripsit formam substantialem actus, quo matrimonium valide celebratur (Sessione 24. Cap. 1. de Ref. matrim.) decernens: „Qui aliter quam praesente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii (Episcopi) licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.“ Quod jam Ecclesiam Orientalem adtinet, probe distinguenda est clandestinitas antiqui juris, a clandestinitate per Concilium Tridentinum expressa, certumque est, jus Orientale non agnoscere nisi clandestinitatem veteris juris, videlicet prohibitionem contrahendi matrimonium abs que publicis caeremoniis ab Ecclesia pro ejusdem celebratione praescriptis, quae quidem necessariae sunt ut matrimonii celebratio licita evadat et non prohibita. Utrum vero benedictio aut coronatio necessaria sit ad matrimonii validitatem, decisum ac definitum non fuit ab Ecclesia; quamvis sententia, quae negat necessitatem benedictionis ad matrimonii validitatem communior sit ac probabilior etiam pro Ecclesia Orientali. Etenim Ecclesia Occidentalis et Romana ideo non admittit ejusmodi necessitatem, quia rejicit separationem contractus a Sacramento, et habet pro validis matrimonia clandestina contracta ante Concilium Tridentinum, imo post hoc Concilium etiam ea, quae contracta fuerint servata forma Decreti „Tametsi“ ejusdem Concilii, sed absque caeremoniis et benedictione, sive cum assistentia parochi passiva et praesentibus testibus. Qua de re Benedictus XIV.[1]) inquit: „Non temere conjicimus contractum conjugalem ita initum quamquam Sacerdotis benedictione non obsignatum, jam ab Ecclesia haberi pro Sacramento.“ Ast vero in iis, quae validitatem Sacramenti attingunt non potest utraque Esclesia contrariam tueri opinionem; et si accurate examinentur historica documenta constabit, quod Ecslesia Orientalis ante schisma et supra provocatam Novellam Leonis Imperatoris, imo etiam post schisma non asseruerit absolute ac positive necessariam esse benedictionem ad validitatem sed solum ad licitam celebrationem matrimonii.

Etiamsi autem in Transilvania 1763. synodaliter statutum sit ut sequitur: „Quoniam multae quaerelae sunt, quod quidam ex Presbyteris lucri causa transgrediantur canonicum terminum, et coronare illegaliter praesumant parochianos alterius. Igitur taliter coronati juxta sacros Canones et Constitutionem Synodi dioecesanae, tamquam illegitimi separabuntur, Sacerdos vero mulctabitur.“ Imo ipsi etiam non — uniti Graeci in Provincia Carlovicensi puncto 14-to Instructionis ad parochos statuerint: Coronationem vero et matrimonii benedictionem a nullo alio

---

[1]) De Syn. Dioec. L. VIII. C. 14. Nr. 8.

sponsis recipere integrum est, quam a suo duntaxat proprio parochiali Sacerdote, aut alio etiam Presbytero mandatum ab illo habente"[1]). Attamen cum certum et exploratum sit ad aliquod impedimentum dirimens inducendum necessariam esse auctoritatem Concilii oecumenici, vel Apostolicae Sedis, nec sufficere ut id decreto Synodi Dioecesanae vel etiam Provincialis statuatur, ut disertis verbis tradit Benedictus XIV.[2]), cumque aliunde constet saluberrimum Concilii Tridentini Decretum in Provincia ecclesiastica graeco-catholicorum Alba-Juliensi non fuisse rite publicatum (quae quidem publicatio in singulis parochiis a Patribus illius Concilii necessario exigitur ad hoc ut vim ac robur habeat); ideoque quamvis matrimonia absque Sacerdotis ac testium praesentia in Transilvania inita sint valde illicita; Ecclesia enim semper abhorruit ab hujusmodi clandestinis conjugiis, tamen nisi aliud obstet canonicum impedimentum pro validis habeantur oportet.

Instructio vero Austriaca quoad hoc impedimentum sequentia praescribit:

§. 38. Ad matrimonium valide ineundum requiritur, ut contrahentes coram parocho proprio utriusque vel unius partis aut alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus consensum declarent. In iis tamen Imperii partibus, pro quibus sancta Sedes instructionem de dato 30. Aprilis 1891. edidit, absentia Parochi Catholici quoad matrimonia inter Catholicos et Christianos non-catholicos ad ipsa irritanda non sufficit.

§. 39. Proprius nupturientium Parochus est is, in cujus parochia sponsi verum aut quasi domicilium habent.

§. 40. Domicilium verum ibi locorum est, ubi quis habitationem suam vel unice vel principaliter figit, ita, ut peregrinari dicatur, quando ibi non commoretur. Quamdiu hoc in loco habitationem sibi vel familiae suae destinatam retinet, absentia longior licet per se sumpta non sufficit ad efficiendam domicilii veri translationem. Ubi quis duraturam figere sedem haud quidem intendit, verum tamen talem habitat in finem, ad quem assequendum longior commoratio requiritur, ibi quasi domicilium habet.

§. 41. Uxor, ubi maritus; minorennes, ubi parentes, nutritii, tutor, verum habent domicilium. Locus, ubi e. gr. uxor servitia praestat, aut minorennis studiorum ergo commoratur vel persona militaris stativa habet, ipsorum quasi domicilium reputandus est. Quinam minorennis censendus vel minorennibus quoad relationes juridicas aequiparandus sit, juxta legem Austriacam dijudicandum venit.

§. 42. Officiales publici nec non ii, qui ad servitia quae-

[1]) Vide Joannovits Jus Eccl. Neopl. 1841. Tom. 1. p. 159.
[2]) De Synod. dioec. L. XII. Cap. IV.

cunque publica in dies vitae assumpti sunt, domicilium verum eo habent in loco, ubi ad muneris servitiique sui ordinarii partes explendas habitant. Quando alio in loco ad extraordinarium deputantur ministerium, quod pro sua natura longiorem postulat moram, ibi quasi domicilium acquirunt.

§. 43. Qui hominis privati, societatis aut instituti cujusdam servitiis se mancipat, quasi domicilium acquirit in loco, ubi ad servitia haecce praestanda habitat. Haud ea tamen sint oportet, quae continuam habitationis mutationem inferant. Neque ratione servitiorum, quorum quis tenore herum quoad habitationis mutationem inferant. Neque ratione servitiorum, quorum quis tenore herum quoad habitationem sequi debet, loco, quo herus domicilium non habet, domicilium acquiri potest.

§. 44. Casu, quo quis extra locum domicilii veri in aliis adhuc parochiis domus ejus usibus destinatas instructasque possideat, in illo tantum horum locorum quasi domicilium habet, ubi vel quovis anno per notabile tempus commorationem habet, vel tempore, quo locum qua domicilium asserit, per sex adminimum septimanas habitat.

*Nota* : Ceterum ut quis inoffenso pede dijudicare possit quaenam conditiones requirantur ex lege canonica, ad hoc ut quis quasi domicilium habere dicatur relate ad matrimonium contrahendum; consulat litteras apostolicas. Benedictus XIV. — Paucis ab hinc hebdomadibus. —

§. 45. Eorum, qui neque verum, neque quasi domicilium habent, parochus proprius is est, in cujus parochia commorantur.

§. 46. Proprius personarum ad militiam vagam pertinentium Parochus est Capellanus et respective superior castrensis juxta tenorem facultatum a sancta Sede concessarum. Qui militiae stabili annumerantur, parochum domicilii adeant oportet.

§. 47. Quod licentia matrimonio assistendi ab eo, cui competit (§. 38.) tacite collata sit, foederis conjugalis valori haud obest; attamen absque urgentissima quadam necessitate copulationem non peragat, cui a parocho vel ab Ordinario ipso facultas expresse haud facta sit. Licentia mere praesumpta non sufficit; neque juvat, quòd jus delegandi habens de ea requisitus reapse eam concessurus fuisset, aut rem postmodum ratam habeat.

§. 48. Qui licentiam matrimonio assistendi pro universitate casuum accepit, eam pro singulis casibus alii Sacerdoti concedere potest. Qui licentiam istam pro singulo casu accepit, jure subdelegandi caret, nisi expresse ipsi collatum sit.

§. 49. Quando ex quacunque ratione dubium emergat cuinam animarum curatori jus matrimonio assistendi competat, res ad Episcopum deferenda, ac ejus decisio vel ordinatio expectanda est.

## §. 119. De Matrimoniis conditionatis.

In Ecclesia Orientali matrimonia cum conditione inita in usu non sunt; sed et in Ecclesia Latina nonnisi cum consensu Episcopi admittuntur, atque consummato ante adimpletam conditionem Matrimonio, eo ipso omnis conditio cessat. Quosuper Instructio pro Tribunalibus matrimonialibus sequentia praescribit:

§. 51. An consensus sub conditione datus causa efficiens matrımonii sit, a conditionis impletione dependet.

§. 52. Quando conditio versetur circa futurum contingens vel non contingens, matrimonium suspenditur, usque dum conditio impleatur. Quodsi non impleatur, consensus dati effectus cessat. Quando consensus alligatur conditioni de praesenti vel de praeterito, matrimonium validum est vel non, prout conditio impleta jam sit, vel non.

§. 53. Irritus esset consensus, qui alligaretur conditioni substantiae matrimonii repugnanti. Conditiones impossibile quidpiam aut immorale, quod matrimonii substantiae haud repugnat, continentes pro non adjectis habendae sunt.

§. 54. Qui ante conditionem impletam matrimonium consummat, eo ipso conditioni nuncium mittit.

§. 55. Ut consensus sub conditione detur, nonnisi de expressa Episcopi licentia admitti potest. Conditiones, quae in consensus declaratione haud exprimuntur pro non appositis habendae sunt.

## §. 120. De Matrimonio per Procuratorem inito.

Solet etiam matrimonium per procuratorem cum expressa tamen facultate Episcopi contrahi; de quo matrimonii contrahendi modo Istructio §. 50. praescribit:

Consensus declaratio per procuratorem facta valida est, quando hanc in rem ei mandatum speciale, personam futuri conjugis sufficienter determinans, collatum, neque tempore forsan, quo mandantis nomine matrimonium contractum sit, revocatum jam fuerit. Parochus tamen matrimonium per procuratorem ineundum nullatenus admittat, nisi Episcopus facultatem expresse concesserit.

## §. 121. Impedimenta Matrimonium impedientia.

Impedimenta matrimonium impedientia, quae matrimonium quidem prohibent, contracta tamen non irritant, passim his versiculis exponuntur:

> Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum,
> Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

## §. 122. Sacratum tempus.

Per sacratum tempus intelliguntur dies poenitentiae sive jejunii, et peculariter sacri et festi devotioni dicati, quibus sacri Canones fideles conjuges hortabantur, ut ab usu matrimoniali abstinerent; tales sunt dies jejunii quadragesimalis, et qui his aequiparantur feria quarta et sexta per totum annum.

Concilium Laodicenum Canone 52. statuit: „Non oportere in quadragesima nuptias celebrare.“ In spiritu autem hujus Canonis pluribus introductis abstinentiae diebus, utpote ante nativitatem Domini a 15-a Nbris usque festum Theophaniae, item a Dominica prima post Pentecosten usque festum Apostolorum Petri et Pauli, atque a prima Augusti usque festum assumptionis Beatae Mariae Dei Genitricis, quibus accedunt dies exaltationis sanctae crucis, et decollationis S. Joannis Baptistae, atque octava Paschatis.

## §. 123. Ecclesiae Vetitum.

Ecclesiae Vetitum seu interdictum est, cum Episcopus, aut judex alius ecclesiasticus, vel Parochus interdicit alicui, ne contrahat matrimonium cum aliqua ob suspicionem alicujus impedimenti, donec constet an vere illud subsit, nec ne. De hoc, Instructio §. 67. praescribit:

Quando fundata adsit suspicio nupturientibus impedimentum quoddam obstare, aut timendum veniat, nuptias magnis litibus vel scandalis, aliisque malis ansam praebituras, sacrorum Antistiti jus competit et respective obligatio incumbit, matrimonii celebrationem interdicere. Quamdiu interdictum ab eodem sublatum non sit, matrimonium contrahere illicitum est.

## §. 124. Vetitum Parentum, Tutorum et Curatorum.

De hoc impedimento S. Basilius Magnus Can. 42. inquit: Graviter officium pietatis et reverentiae parentibus jure naturali debitum laedunt filii, qui sine consensu parentum matrimonium contrahunt. Haec matrimonia prorsus illicita sunt[1]) imo antiquitus a lege praesertim civili invalida censebantur. Ast non licet hodie hujusmodi leges civiles jam diu ab Ecclesia rescissas, excitare, neque matrimonii a filiisfamilias absque parentum consensu initi firmitatem in dubium vocare. Lex Justiniani praescripsit: Filius plenam tantum agens aetatem etiam sine consensu patris uxorem ducere potest. Lex etiam Austriaca talia matrimonia prohibet, et quidem *a*) Minorennium matrimonia absque consensu parentum vel tutorum: sunt autem minorennes, qui 24. aetatis annum nondum supergressi sunt; *b*) sub Curatela constitutorum

[1]) Consule Bened. XIV. de S. D. Lib. IX. C. XI. Nr. 2. 3. et seq.

qui etsi 24-um aetatis annum superarunt, tamen ad quemcunque contractum ineundum incapaces declarati sub curatela constituuntur.

Distinguendum autem est inter minorennes legitimos et illegitimos, et quoad primos utrum pater eorum vivat vel non; quodsi pater in vivis sit, minorennis, vel etiam majorennis sed sub curatela patris constitutus sine consensu patris prohibetur a contrahendo matrimonio; quodsi autem pater non amplius vivat, vel si vivat quidem, sed ad curatelam filii sui inhabilis sit, loco ejus constitutus tutor aut curator debet assensum in matrimonium minorennis aut curandi praebere, ac praeter hunc officium politicum circulare. — Temporarie ad tutalem et curatelam incapax est pater *a*) si usum rationis amisit; *b*) si prodigus declaretur; *c*) si propter crimen ad majorem quam unius anni carcerum poenam condemnatus sit; *d*) si sponte exeat ex Monarchia, aut ultra annum absens sit, quin domicilium suum insinuet (§ 176. Cod. Civ. Austr.) Parentes autem, qui alimentationem et educationem filiorum negligunt jus parentelae in perpetuum amittunt (§ 177. Cod. Civ. Austr.) Illegitimi minorennes quoque indigent ad matrimonium contrahendum assensu suorum tutorum, et Officii circularis politici.

Possunt autem parentes etiam contra prolium suarum majorennium matrimonia inhibitionem suam interponere et quidem proxime ante copulationem ex causis: malorum morum, infamiae, perversorum principiorum alterius partis competentis; sufficientes insuper causae sunt ad inhibendum matrimonium morbi contagiosi, defectus corporales scopum matrimonii impedientes, et defectus sustentationis. Contra interpositum Vetitum parentum, sub gravi poena interdictum est animarum curatoribus matrimoniis adsistere. Ipsi autem sub tutela et curatela constituti si contra voluntatem suorum tutorum matrimonium contrahant, poenis in sensu § 507. Codicis poenalis subjacent, et privantur juribus et hereditate juxta § 31. legis matrimonialis Austriacae.

*Nota.* Quodsi parentes et tutores immediate ante copulationem matrimonio contradicant, Parochus auditis partibus si infundatam invenerit prohibitionem majorennium, poterit eos copulare, secus rem Ordinariatui insinuare debet, et copulationem differre, donec responsum ab Ordinariatu superveniat. Consequentiae autem contracti contra prohibitionem parentum matrimonii indicantur § 1220, 1222, et 1231. Codicis Civilis Austriaci.

Ceterum liberum est nupturientibus contra prohibitionem parentum ad Judicium civile recurrere.

§ 68. Instructionis relate ad prohibitionem parentum haec continet: Etiam in nectendo matrimonii vinculo memores sunto filiifamilias Domini dicentis: Honora patrem tuum et matrem tuam! Praeterea prona est ad praepropera consilia juventus, nisi maturioris aetatis experientia regatur, et conjugia absque debita

deliberatione inita, uberem malorum continent fomitem. Quocirca illicita sunt matrimonia, quae parentibus justis ex causis assensum denegantibus contrahuntur.

## §. 125. Vetitum status.

Ecclesia qua sacramentorum dispensatrix, ponit matrimonio impedimenta ratione sacramenti sub nullitate actus, sive dirimentia; status civilis autem quantum status civilis bonum concernit ponit impedimenta prohibitiva sub incursione poenarum civilium, et privatione effectuum et jurium civilium, qualia matrimonia civiliter non prohibita connexa habent; qua de re Instructio § 69. haec continet: Sanctum est Christiano, potestati civili praestare obedientiam, ad quam Dominus ipse nos per Apostolum suum instituit. Eo districtius eas observet necesse est constutiones civiles, quae ad ordinem moralem conservandum accurate concurrunt. Quamvis igitur potestas civilis, quin validum inter christianos matrimonium contrahatur, sanctionibus suis impedire minime possit, civi tamen Austriaco haud licet, negligere praescriptiones, quas lex Austriaca de civilibus matrimonii effectibus statuit. Sunt autem civiliter prohibita matrimonia:

*a*) Matrimonia praematura, de quibus §. 72. Instructionis praescribit: Procurandum est ut avertantur matrimonia eorum, qui annum quidem decimum quartum, et respective duodecimum absolverunt, ast nondum attigerunt aetatem qua pro terrae gentisque ratione aptitudo ad matrimonium debita cum deliberatione ineundum et maturitas physica adesse solet.

*b*) Matrimonia minorennium sub patria potestate constitutorum, de quibus priori paragrapho sermo fuit, eo hic loci addito, quod idem jus, quod dicto paragrapho patri aut tutori vetandi matrimonium addictum est, relate ad adoptivum filium adoptandi competat (§. 183. Cod. Civ. Austr.)

*c*) Matrimonia militum, quo spectat etium Gensdarmeria; vetitum est militi sine permissione suae superioritatis militaris matrimonium contrahere.

*d*) Prohibentur a contrahendo matrimonio ex parte status civilis. 1) Ob defectum consensus civilis. 2) Ob defectum concessionis matrimonii quibusdam officialibus civilibus. Quoad primum, consensus civilis in Austria praescriptum est Decreto aulico ddto 28. Decembris 1797. eo scopo ne personae matrimonium contrahant, quae mediis sufficientibus sustentationis familiae carent. Quoad secundum, Officialibus civilibus exiguo salario in provincialibus quidem urbibus infra 300. flnorum, et in oppidis infra 200 fl. provisis prohibitum est matrimonium sine facultate superioris.

*e*) Condemnatio ad mortem aut ad graves carceres a die publicationis sententiae, etiamsi sententiatus profugus fiat.

*f*) Adulteri sententia Judicis convicti prohibentur a matrimonio cum complice contrahendo sub poena nullitatis relate ad effectus civiles.

*g*) Prohibentur matrimonia quae praevie in Ecclesia tribus dominicis aut festis diebus promulgata non sunt, aut dispensatio a tribus promulgationibus impetrata non est. Promulgatio facienda est sub publico cultu divino, et si sponsi in distinctis parochiis habitent, promulgationes in utroque loco instituendae sunt; relate autem ad matrimonia mixta etiam in Ecclesia catholica in cujus ambitu pars non catholica degit § 15. Ehe Patent ddto. 8. Oct. 1856. Quodsi aut unus sponsorum nondum sex septimanas in loco ubi matrimonium contrahit degit, promulgationes denuo instituendae sunt. Instructio de promulgationibus sive Bannis nuptialibus haec praescribit:

§. 60. Matrimonium, antequam contrahatur, a parocho sponsi et sponsae tribus diebus dominicis vel festivis inter missarum solemnia publice denunciandum et omnis, cui impedimentum aliquod notum, ad revelandum istud monendus est. Persona nupturientim expresso utriusque nomine baptismali, cognomine, loco nativitatis, aetate, conditione ac domicilio accurate determiminetur.

§. 61. Si sponsus vel sponsa non tantum verum, sed etiam quasi domicilium habet, trina proclamatio tam a parocho veri, quam a parocho quasi domicilii eorum instituenda est. Quando autem contingat, ut persona quaedam praeter domicilium verum plus quam unum habeat quasi domicilium, sufficit, ut matrimonium a parocho veri ejusdem domicilii ac ab uno parochorum, in quorum territorio quasi domicilium habet, rite denuncietur.

§. 62. Si sponsus vel sponsa in nulla parochiarum, ubi secundum regulas antefatas proclamatio fieri debet, per sex saltem septimanas habitet, proclamatio instituatur praeterea in Ecclesia parochiali ejus loci, ubi persona, de qua agitur, ultimo per sex saltem hebdomadas habitaverit. Peculiaribus rerum adjunctis, ne id commode fiat, obstantibus, ea de re ad Episcopum referendum est.

§. 63. Apud eos, qui neque verum habent domicilium, neque in loco quasi domicilii per anni ad minimum tempus jam commorantur, proclamationes etiam, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium eis competunt, et quando ejusmodi jura nullibi eis competant, quantum fieri possit, etiam in parochia loci eorum natalis instituendae sunt. Nupturiente non tantum vero, sed etiam quasi domicilio carente, proclamatio fiat tam in parochia, ubi tunc temporis commoratur, quam in loco, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium ei competunt, aut quod si nullibi iis gaudeat, quantum fieri possit in parochia loci natalis.

§. 64. Iterandae sunt proclamationes, quando intra sex post eas peractas menses matrimonium non contrahatur, vel et minori elapso tempore renovationem Episcopus imperet.

§. 65. Antequam proclamationes rite institutae fuerint, matrimonium licite contrahi nequit.

## §. 126. Dispensatio a Bannis seu proclamationibus.

Jus dispensandi a proclamationibus Episcopus habet, et ejus Vicarius generalis, nisi Episcopus sibi exclusive reservasset. Dispensatio ob omnibus tribus proclamationibus nonnisi urgentissimis in casibus, a secunda vero et tertia proclamatione nonnisi ex causis consideratu dignis et sufficienter probatis concedenda est. (§. 82. Instruct.) In instanti mortis periculo delegatus per Episcopum Presbyter a Bannis dispensare potest. (§. 83. Instruct.) Dispensatio ab omnibus tribus promulgationibus absque gravissima causa denegenda non est, si duae personae, quae conjugio se junctas falso asserunt, et in loco domicilii passim pro conjugibus habentur, matrimonium inter se contrahere volunt. (§. 84.) Nupturientes tamen, quibus proclamationes penitus indulgentur, nunquam non tenentur coram parocho, ad quem copulatio spectat, juramento firmare, quod ipsis nullum impedimentum conjugio suo obstans notum sit. (§. 85. Instruct.)

*Nota.* Quod si sponsi ad duas Dioeceses spectent ab utriusque Episcopo producenda est dispensatio.

## §. 127. Vetitum status ob defectum intervalli temporis.

Jam apud Romanos observabatur annus luctus, quo a morte mariti vetitum erat mulieri nubere, legislatio autem Austriaca sanxit: si vidua post mortem mariti, aut pronunciatam nullitatem matrimonii gravida sit, prohibetur a matrimonio usque ad partum, aut si dubium sit de graviditate, ante efluxum sex mensium vetatur copulari. Quod si vero graviditas probabilis non sit, cum dispensatione, quam in casu declaratae nullitatis matrimonii Gubernium provinciae, et Praefectura Comitatus vel circuli, in casu vero praecessae mortis conjugis tantum Gubernium provinciae (Statthalterei Landesstelle) elargitur, permittitur nubere. (§. 76. Ehepatent.)

## §. 128. Reliqua requisita ad ineundum matrimonium.

1) Si quidem matrimonium sit sacramentum, requiritur ut sponsi sint in statu gratiae sanctificantis, ideoque se ante copulationem sacramentis poenitentiae et Eucharistiae emundent. (§. 75. Instructionis.)

2) Qui patres et matresfamilias fieri volunt debent esse ad educationem sobolis idonei, in principiis religionis Christianae debite instructi; hinc jus competit parocho sponsos ante matrimonium examinandi, et officium instituendi. (§. 74. Instruct.)

3) Requiritur productio documentorum, qualia sunt: Literae baptismales, Testimonium liberae conditionis seu status coelibis vel vidui. Testimonium de proclamationibus suis locis institutis, ac pro renata dimissio a parocho unius sponsi, aut Literae delegationis alterius Presbyteri ut matrimonio legaliter assistere valeat. Cooperator vero et Adjutor Parochi, illo impedito delegatione non indiget, quam pro tali casu per dispositionem Episcopi habet. Quoad minorennes autem et sub curatela constitutos, documentum super praestita per parentes tutores et jurisdictionem politicam civili consensu. Sicque solutis omnibus dubiis, ac procuratis de lege procurandis matrimonialis copulatio instituenda est. (§. 70. Instruct.)

## §. 129. Matricula copulatorum.

Super actu copulationis praescriptum est, ut is cum omnibus circumstantiis libro, qui Protocollum vel Matricula copulatorum dicitur genuine inscribatur. Instructio hac de re sequentia praescribit:

§. 76. Parochus, cui copulationem peragere competit, tenetur, matrimonium contractum cum omnibus adjunctis, quae ad probationem efficiendam necessaria vel utilia sunt, libro nuptiali parochiae suae propria manu inscribere. Distincte igitur exprimantur: Nomen baptismale, cognomen, aetas, religio, habitatio et conditio conjugum; insuper, an prius jam matrimonio juncti fuerint; porro nomen, religio, et conditio parentum et testium, dies, quo, nec non sacerdos coram quo matrimonium inierunt. Quodsi difficultates emerserint, modus, quo sublatae fuerint, indicandus venit.

§. 77. Quod si parochus sacerdotem quemdam deleget ad copulandum sponsos in loco, ubi neuter eorum domicilium habet, incumbit ipsi, rem in libro copulatorum parochiae suae annotare. Parochus loci, ubi matrimonium contrahitur, actum modo superius exposito libro copulatorum parochiae suae propria manu inscribere, et addere simul debet, a quonam parocho delegatio concessa sit. Posterior tenetur pariter, copulationem peractam, de qua spatio octo dierum certior reddendus est, libro copulatorum parochiae ipsius inferre.

§. 78. Casu, quo civis Austriacus petit, ut matrimonium ab eo in exteris terris initum libro copulatorum parochiae, ubi nunc domicilium fixit inseratur, parochus, libellum supplicem simul cum probationibus de conjugio rite inito allatis Episcopo proponet ac ejusdem exspectabit mandata.

## §. 130. Remotio Impedimentorum Matrimonii.

Inter impedimenta matrimonii alia sunt juris naturalis divini, v. g. impedimentum ligaminis, impedimentum cognationis primi gradus etc. alia autem positivae institutionis ecclesiasticae, priora removeri nulla dispensatione possunt, posteriora vero tam antecedenter quam consequenter tolli possunt; hinc canonistae distinguunt dispensationes in contrahendis et contractis matrimoniis. Has dispensationes elargitur Ecclesia qua legislatrix, cujus est etiam jus veniam propriae legis faciendi. Quia autem summus Pontifex pro toto grege Domini possidet a Deo sibi datam potestatem ligandi et solvendi, patet ad potestatem summi Pontificis spectare a legibus ecclesiasticis, proinde etiam ab impedimentis matrimonii dirimentibus dispensationes elargiri; dein etiam Episcopi ex delegatione Pontificia quoad càsus Pontifici haud reservatos et in facultatibus Episcoporum expressos legitime dispensant. Qua de re Instructio sequentia continet: §. 79. Ea matrimonii impedimenta, quae juris canonici sanctionibus innituntur, dispensatione legitime obtenta, et conditionibus, quae forsan adjunctae sint, adimpletis pro singu'is cessant casibus. In impedimentis dirimentibus proprio jure dispensare solius Apostolicae Sedis est, cui reservatum quoque in voto castitatis simplici, sed perpetuo, nec non in disparitate cultus inter catholicos et Christianos non catholicos dispensationem indulgere; .

§. 80. Episcopi, cum canonicae non deficiant rationes, faciles erunt in utendo facultatibus a sancta Sede concessis, sequentia quoad impedimenta.

1. In tertio et quarto gradu (graeco quinto, sexto, septimo et octavo) consanguineitatis et affinitatis ex copula licita.
2. In cognatione spirituali.
3. In affinitate ex copula illicita, nisi timendum sit, ne ex immundis commerciis nupturientes consanguineitate in linea recta juncti sint.
4. In tertio et quarto gradu justitiae publicae honestatis ex matrimonio rato non consummato.
5. In justitia publicae honestatis provenienti ex matrimonio invalide contracto et non consummato, aut ex sponsalibus.

§. 81. Cetera quod adtinet impedimenta dirimentia, unanimi conatu agendum est, ut efficax eorum vigor aut asseratur aut restituatur. Ubi matrimonia inter consanguineos proximiores inita frequentiora sunt, corrumpuntur intima familiarum commercia, utpote cupidinem pravam, ejusque suspicionem excitantia.

## §. 131. De sanatione matrimonii in radice.

A dispensatione simplici, per quam tollitur impedimentum valori matrimonii obstans, differt dispensatio in radice matrimonii

in eo, quod dispensatio simplex effectum suum non habet, nisi a tempore a quo conceditur, seu ex nunc, dispensatio autem, alias sanatio in radice effectum suum habet a tempore, quo matrimonium contrahebatur, seu ex tunc, idest per fictionem juris ascendendo ad radicem seu originem matrimonii, ponit res in eodem statu, ac si impedimentum nunquam extitisset; adeoque dispensatio vel sanatio matrimonii in radice obtinet tunc, dum ablato per dispensationem impedimento legis ecclesiasticae, matrimonium ob dictum impedimentum nulliter quidem, sed cum consensu naturali initum ita redditur validum in omnibus suis effectibus, ac si contrahentes, qui ad matrimonium contrahendum inhabiles fuissent, et consensum illegitime praestiterant, ab initio habiles fuissent et consensum legitime praestitissent; ideo consensus renovatione sanato primo consensu, qui per hanc dispensationem vim suam naturalem exerit, ac si ab initio in radice validus fuisset, opus non est ut tale matrimonium in radice sanatum convalidetur. Usus hujus dispensationis, sive sanationis matrimonii in radice fit, dum conjuges, si ipsis impedimentum ecclesiasticum, quod valori matrimonii obstat, detegeretur, eodem abuti possent ad solvendum matrimonium. Hujusmodi dispensationem solummodo summus Pontifex impertitur, Benedicto XIV. ddto 27. Sept. 1755. in Rescripto „Etsi matrimonialis“ enunciante: Solius Romani Pontificis est, dispensationis in radice matrimonii indulgere et conditiones statuere pro validitate gratiae adimplendas.

## §. 132. De Impetratione dispensationis ab impedimentis dirimentibus.

Dispensatio ab impedimento matrimonii efficaciam suam obtinet a veritate et sinceritate petitionis pro impetranda dispensatione substratae; dispensatio ideo obreptitie, vel subreptitie obtenta, nullius est efficaciae, item si non adimpleantur conditiones dispensationi adnexae. Hinc § 86. Instructionis praescribit: In libello supplici, quo dispensatio petitur, impedimentum cum omnibus adjunctis, a quibus ejusdem qualitas dependet, clare exponendum est insuper rationum momenta, quibus petitio fulcitur, necessariis allegationibus instruantur. Episcopus de factis, quibus ejus decisio, vel relatio sanctae Sedi proponenda innitatur oportet, investigationes necessarias habebit. §. 87. Quod si impedimentum occultum, nec ipsius propalatio prudenter timenda sit, ad conscientiae consulendum dispensatio suppresso conjugum nomine etiam per confessarium seu aliam idoneam personam peti ac impetrari potest. Hujusmodi tamen dispensatio in foro externo nullatenus suffragatur; quocirca quando impedimentum praeter expectationem publicum fieret, ne matrimonium coram judice humano in discrimen adducatur, dispensationem pro foro externo valituram servatis servandis petere oporteret.

## §. 133. De convalidatione matrimonii.

Principium Ecclesiae Orientalis est: „matrimonium facit non concubitus sed consensus“, ubi igitur consensus in principio defuit, praestito consensu matrimonium quod antea invalidum fuit, validatur, quemadmodum etiam si matrimonium cum impedimento dirimente dispensabili contractum fuit, sublato eodemper dispensationem et renovato consensu convalidatur. Convalidari autem nunquam possunt matrimonia, quibus obstat impedimentum juris naturalis aut divini, sicut est: impedimentum impotentiae, ligaminis, consanguineitatis in linea recta, et in primo gradu lineae collateralis. Distinguendum porro est, num dispensatio ab impedimento dispensabili data sit pro foro conscientiae tantum, aut pro foro externo. Si dispensatio data sit tantum pro foro conscientiae, matrimonium convalidatur per renovationem consensus ab utroque conjuge absque praesentia parochi et testium. Quod si autem dispensatio data sit pro foro externo, consensus invalide copulatorum coram parocho, in cujus parochia conjuges domicilium habent et duobus testibus ad convalidandum matrimonium renovandus est. Proclamationes autem tantum tunc repeti possunt, quando impedimentum, a quo dispensatum est, in loco, quo convalidatio instituenda veniat, notorium sit. Si impedimentum mutatione facti v. g. quoad impuberes per pubertatem, quoad bigamos per mortem prioris conjugis etcet. tollatur; tunc, si impedimentum fuerat publicum, coram parocho et duobus testibus; si occultum, clam inter partes consensus renovandus est. Etiam dum matrimonium e defectu veri et liberi consensus nullum, praestito postmodum consensu sive verbo sive facto, puta maritali cohabitatione et usu matrimonii affectu maritali, convalidatur, ad omne de consensu praestito dubium avertendum consultum est, ut conjuges coram parocho et duobus testibus consensum suum declarent. Parochus autem nunquam non convalidationem peractam libro copulatorum inserere debet; quando autem conjunctio invalida in alia parochia contracta fuerit, super peracta convalidatione, etiam ejus loci parochus edocendus est, ut ipse quoque convalidationem peractam in scriptione, quae de matrimonio invalido facta sit, diligenter adjungat. (confer. Instructionis §. 88—93.) Matrimonium convalidatum eosdem habet effectus civiles, ac si ab initio valide contractum fuisset. Idem de effectibus ecclesiasticis obtinet, quando vel una tantum pars nuptiarum celebratarum tempore ignorantia facti aut juris detenta fuerit. Alias ad dispensationis remedium confugiendum erit. (§. 94.)

## §. 134. De Judice causarum matrimonialium.

Judex causarum matrimonialium quantum ad sacramentum et obligationes ex eo derivatas est Judicium ecclesiasticum,

quod tribunal matrimoniale nominatur. Relate autem ad effectus matrimonii civiles, Judex competens civilis est. Benedictus XIV. Constitutione sua quae incipit : „Dei miseratione“ de 3-a Novembris 1741. decrevit: ut 1) Causae super nullitate matrimonii nonnisi Episcopo, aut ubi is desit, Judicibus synodalibus, dignitate, personatu, aut canonicatu in Ecclesia cathedrali ornatis committi, nec nisi post duas sententias conformes finiri queant. 2) In singulis Dioecesibus vir juris peritus et probus eligatur Defensor matrimonii, qui *a*) in singulis, ubi de matrimonii valore vel nullitate agitur, judicii actibus sub nullitate actus adesse debeat. *b*) Vi officii valorem matrimonii tueatur, et contra sententiam valori ejus adversam appellet. 3) Si qui pendente appellatione novas contrahant nuptias ceu polygami separentur. 4) Nec nisi post duas conformes de nullitate matrimonii sententias, aut desertam secundam appellationem, nuptias novas inire partibus liceat. Ceterum 5) causae hae in rem judicatam (seu ut impugnari non possint) nunquam transeant.

## §. 135. Judex ecclesiasticus nullitatem tantum matrimonii pronunciare, atque conjuges ab obligatione cohabitationis liberos declarare, nunquam tamen matrimonium ratum et consummatum solvere potest.

Dogma est Ecclesiae Christiano-Catholicae: „Matrimonium ratum et consummatum nonnisi morte solvi,“ sive matrimonium sacramentum esse absolute indissolubile. Christus enim Matth. XIX-o matrimonium a Deo absolute indissolubile institutum esse pronunciat a Deo ipso conjunctum, quod ergo Deus conjunxit homo non separet; erunt porro inquit Deus duo in carne una, quod autem unum est dividi nequit ut unum maneat. Moyses autem ait Christus, tantum propter duritiem cordis permisit dare libellum repudii, sed ab initio non fuit sic. Christus ipse ideo venit in mundum, ut hominem peccato lapsum restitueret ad conditionem originariam, ergo etiam matrimonium ad indissolubilitatem primam; ideo S. Paulus 1-ae ad corinth. Cap. 7. v. 10. inquit: „Iis, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discederet, manere innuptam, quamdiu vivit vir ejus.“ Sed 2-o juxta S. Apostolum Paulum Matrimonium est Symbolum conjunctionis Christi cum Ecclesia; ad Eph. Cap. V. v. 25. ait: „Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum obtulit pro ea, — Sacramentum hoc (Matrimonium) magnum est, dico autem in Christo et Ecclesia“; sive inter virum et uxorem idem indissolubile vinculum existit, quale inter Christum et Ecclesiam, ut quemadmodum Christus ab Ecclesia sua solvi non potest, ita

neque vir a muliere. Ideo S. Augustinus indissolubilitatem matrimonii ejus sacramentalitati adscribit dicens: „Matrimonium apud Christianos est etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est repudio discedentem alteri nubere.“

## §. 136. Quoniam matrimonium ex institutione Dei, et restitutione per Christum est absolute indissolubile, nec ex Capite adulterii solvi potest.

Matrimonium ratum et consummatum qua sacramentum, absolute indissolubile, ex nulla causa subsequente, ergo nec ex causa fornicationis vel adulterii solvi posse, ex ipso dogmate priori §-o exposito absolutae indissolubilitatis matrimonii legitima conclusione deducitur. Sed hanc veritatem comprobant etiam universalis Ecclesiae Canones Synodales, quibus nulla exceptione nec etiam ex capite fornicationis vel adulterii commemorata absoluta matrimonii indissolubilitas enunciatur. Canonis Apostolorum XLVIII. verba sunt: „Si quis Laicus sua ejecta uxore vel aliam acceperit, vel ab alio dimissam, segregetur.“ (quin adjectum sit excepta causa fornicationis.) Canon 77. S. Basilii decernit: „Qui mulierem quidem sibi legitime copulatam dimittit et aliam ducit, secundum Domini sententiam adulterii judicio subjicitur.“ (pariter nulla exceptione ex causa adulterii adjecta.) Hinc, si quidam Interpretes Canonum graeci praeter verba Canonis ipsi exceptionem ob causam fornicationis adjiciant, additamentum hoc eorum privatam opinionem, non vero Ecclesiae doctrinam prodit; contra quam Canonum Interpretum sententiam S. Basilius sensum Canonis sui citati in Libro de Virginitate pag. 755. sic exponit: „Non auditis inquit, quoniam, qui dimissam duxerit moechatur; etsi enim pro culpa (propter adulterium) dimissa est, vivit tamen vir ejus.“ Quibus verbis S. Pater propter adulterium ligamen inter virum et mulierem non solvi, sed persistere, ideoque eam sine adulterio alteri conjungi non posse docet, simulque Textum Joannis Capite XIX: Si quis (etiamsi ex Capite adulterii) dimissam ducit, moechatur, catholice interpretatur. Idem docet etiam S. Chrysostomus Hom. 8-a in Matthaeum scribens: „Expulsa quoque uxor ejus esse, qui eam expulit, perseverat.“ Communem autem hanc Ecclesiae doctrinam S. Augustinus Libro II. de Adulterinis conjugiis Cap. V-o sic exponit: „Toties repetita, toties inculcata vera sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licite igitur dimittitur conjux ex capite fornicationis, sed non carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro, carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus.“ Ex quibus S. Augustini verbis ligamen inter conjugatos non obstante adulterio persistere et sola morte matrimonium solvi extra dubium est.

Nec aliud docet ipsum Concilium Trullanum Canone XCIII. verbis: „Sin autem miles aliquanto post tempore redierit, cujus uxor propter longam illius absentiam alteri viro conjuncta est, is si velit propriam uxorem recipiat.“ Cum igitur dicat Concilium propriam uxorem, patet ex Sententia Concilii per subsequum adulterium non evasisse alterius uxorem, sed propriam primi mariti mansisse.

Quod autem Can. IX. S. Basilii Magni, ad quem doctrinae catholicae de absoluta vinculi matrimonialis indissolubilitate adversarii provocant, adtinet, S. Basilius in hoc Canone non de solvendo vinculo, sed solum de facultate matrimonialem cohabitationem propter adulterium interrumpendi, quae non solum viro sed et mulieri competere debeat loquitur; atque in contextu hujus Canonis expresse enunciat, ne quidem a viro infideli separandam esse mulierem propter incertitudinem eventus, multo minus autem ob fornicationem. Ceterum recte observat Natalis Alexander in sua Theologia morali de matrimonio: „Invaluit quidem aliquando prava consuetudo, quae viro, repudiata ob adulterium uxore, nubere alteri permittebat. Verum Origenes priscos illos Episcopos contra scripturam permisisse asserit, dimissis conjugibus alias ducere.“ Quam primitivae Ecclesiae doctrinam clare exhibet Hermas discipulus Apostoli Pauli, Libro II. Pastoris mandato 4-to ita Deum effando: „Domine! si quis habuerit uxorem fidelem in Domino, et hanc invenerit in adulterio, numquid peccat vir, qui convivit cum illa? Huic respondit Dominus: quamdiu nescit peccatum ejus, sine crimine est vir vivens cum illa; si autem sciverit uxorem suam deliquisse, et non egerit poenitentiam mulier, et permaneat in fornicatione sua, et convivit cum illa vir, reus erit peccati ejus, et particeps machinationis ejus. Addit vero Hermas: Quid ergo si permanserit in vitio suo mulier? cui Dominus: dimittat illam vir et per se maneat. (seu aliam non ducat). Prosequitur Hermas: quod si mulier dimissa poenitentiam egerit et voluerit ad virum reverti, nonne recipietur a viro suo? et Dominus: imo si non receperit eam vir suus, peccat, et magnum peccatum sibi admittit.“ Quibus apostolicae aetatis vir docet mulierem ob adulterium quidem dimitti posse, neutri tamen parti altero matrimonio conjungi permissum esse, propter vinculum inter eas permanens, imo poenitentem per virum iterum in consortium vitae recipiendam esse. — Cujus doctrinae evangelicae ignari non sunt ipsi etiam recentiores Constantinopolitani non-uniti, qui in suo Codice Canonum Pidalion dicto, 1800-mo Lipsiae typis edito in Nota ad Canonem XLVIII. Apostolorum sequentia adnotarunt: „Sententia Domini est, ut nec vir separetur ab uxore „sua, nec mulier a viro suo, quia aequaliter Dominus et propter „virum et propter mulierem dixit: quicunque dimiserit uxorem „suam et duxerit aliam, adulterium committit cum illa. Etsi „dimiserit mulier virum suum, et nupserit alteri, adulterium

„committit cum eo: sine additamento excepta causa fornicationis „sive quoad virum solum, sive quoad mulierem solam. Marci „Cap. 10. v. 11. et 12. — Dein aliis interjectis: Observa autem „quoniam etiamsi Dominus permiserit separari maritos ab uxori„bus suis e capite fornicationis seu adulterii, Episcopis tamen „non convenit dare illis etiam facultatem ut ad alias nuptias „transeant, sed diuturno tempore ita separati maneant, usque „dum nocens pars poenitentiam egerit, et conversa fuerit cum „humilitate ad partem innocentem, et promiserit de hinc servare „ejus honorem, et sic iterum conjungantur, quoniam etiam Do„minus non permisit simpliciter propter solum adulterium sepa„rari.“ Ideo recte observat Zonaras in expositione Canonis 9. „et 21. S. Basilii: „non cogitur maritus expellere conjugem „suam adulteram, sed potius laude dignus est vir et sapiens, „qui iterum recipit uxorem suam etiam post commissum per eam „adulterium ex duabus causis. Primo, propter dilectionem et „misericordiam, quam exhibet proprio corpori, quod est mulier „sua etiamsi adultera, imitando ipsum Dominum omnium Deum, „qui naturam humanam adulteratam per idololatriam adoptavit „in sponsam suam per suam incarnationem, et salvavit eam per „conjunctionem secum. Et quemadmodum attributum est sapien„tis hominis, ut si vulneretur aliquod membrum, non abscindat „illud a se, sed potius adnitatur, ut illud sanetur: ita attribu„tum sapientis hominis est, ut si peccaverit membrum suum, „idest mulier sua, non separet illam, sed eo magis adnitatur „corrigere illam per poenitentiam et conversionem. Secundo, „quoniam haec immundities, idest adulterium inter virum et „mulierem interventum, ex justitia Dei ob causam anteriorum „eorum delictorum processit: ideo convenit ut unus alterum „patiatur et non separentur. Quoniam si Apostolus dicit: vir „fidelis cohabitet infideli mulieri, et mulier fidelis cum viro infi„deli propter spem salutis utriusque, 1-ae ad Cor. C. 7. v. 16.: „quanto magis convenit cohabitare et non separari ab invicem, „etiamsi adulterium interveniret, dum conjuges juxta Apostolum „nec Idololatriae causa separat, quae tamen majus est omnibus „peccatis. Ita etiam S. Basilius admonet, ut misereatur vir, „quod si poenitentiam egerit et conversa fuerit conjux sua, et „recipiat illam qua proprium suum membrum.“ Quibus, Constantinopolitani ipsi consonant Ecclesiae catholicae docenti evangelicam et apostolicam esse doctrinam matrimonium ex capite adulterii solvi non debere, neque posse, ut adeo nemo dixerit sive doctrinam Ecclesiae Orientalis sive disciplinam esse, ut matrimonium ex capite adulterii solvatur, sed esse et fuisse semper pravam consuetudinem per legislationem civilem introductam, per Ecclesiam autem semper reprobatam, dicente ad hoc S. Chrysostomo juxta Pidalion, quoniam Dominus non judicabit nos (Episcopos) secundum leges politicas, quae admittunt matrimonium e capite adulterii solvi, sed secundum leges quas ipse de matrimonio sanxit.

In quantum autem in Pidalion ad finem ejusdem Notae dicitur: „Unica proinde justa divortii causa est, seu solutionis „vinculi, dum una pars vitae alterius insidiatur,“ confirmat quidem Pidalion juxta prius dicta matrimonium ex capite adulterii solvi non posse; adstruendo tamen unicam divortii causam justam esse insidiationem vitae, prioribus contradicit, quibus provocando ad apostolicam et S. Patrum doctrinam matrimonium nec propter idololatriam, quod omnium criminum maximum est, solvi debere adstruxit, et merito quidem, namque Concilium jam Carthaginense Canone CXIII. (107. Pidalion) enunciavit: „Ut secundum evangelicam et apostolicam doctrinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur; sed ita maneant, aut invicem reconcilientur.“ (nulla exceptione facta sive ob adulterium, sive ob idololatriam, tanto minus vero ob insidiationem vitae). Ex quibus deviationibus patet soliditas doctrinae catholicae: matrimonium ratum et consummatum nonnisi morte unius conjugis, nulla autem ex subsequente causa solvi posse. Merito proinde Patres nostri in Concilio generali VIII. Constantinopolitano IV. exclamarunt: Optamus, ut in illa Unione, quam S. Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua sola est religionis Christianae soliditas.

Quum igitur concors Orientalis non minus ac Occidentalis Ecclesiae doctrina quoad absolutam indissolubilitatem matrimonii rati et consummati etiam in casu adulterii, nec hac exceptione in ullo Canone Ecclesiae Orientalis occurrente, per ipsos schismaticos graecos, qui se orthodoxos tenent, confessa sit, manifestum est, quod contraria doctrinae ipsius Orientalis Ecclesiae solvendi matrimonii praxis, et quidem non modo e causa adulterii, sed etiam pluribus aliis de causis, quas Pravila exhibet [1]), quae apud Graecos invaluit, originem suam debeat legibus pure imperialibus, tum sacris literis tum apostolicae traditioni hac in re adversantibus ab ignavis Ecclesiae photianae praesulibus uti leges canonicas adoptatis. Quam in rem apposite inquit Perrone (de matrim. Tom. III. p. 398. et seq.): „Quamdiu in Ecclesia graeca severior disciplina viguit, vix ulla harum legum ratio habita est; quin imo Patres legibus civilibus leges Christi opposuerunt. Verumtamen illius gentis indoles, quae supremam imperialem dignitatem velut sacro quodam cultu pro-

---

[1]) Quas adfert etiam Blastares ex Nov. Justin. 117. Pro marito: Maritum repudium uxori mittere posse: 1) Si conjurationis contra imperium conscia viro suo non revelet. 2) Si vitae mariti insidiata sit. 3) Si cum extraneis uxor convivetur aut lavetur. 4) Si nolente marito extra domum manserit. 5) Si nolente marito ludis, theatris interfuerit. Uxor autem repudium marito mittere possit: 1) Si maritus contra imperium conspiret. 2) Si vitae uxoris insidiatus sit. 3) Si uxoris castitati insidiatus sit, eamque aliis prostituendam tradere tentaverit. 4) Si adulterium contra uxorem prolatum probare non potuerit. 5) Si maritus vel in domo sua vel extra eam cum alia muliere cohabitet, atque admonitus non desistat.

sequebatur, illique ea etiam deferebat, quae juris Ecclesiae sunt, effecit ut graeci assentationis spiritu ducti coeperint pedetentim a primaevo instituto desciscere, atque ex praescripto civilium legum sese gerere in hoc praesertim negotio, in quo cupiditates magnam adeo sibi partem vindicant. Ab initio quidem timide, postea vero audacius, cum consuetudo jam altas radices egisset; donec longe lateque obtinuerit et quadamtenus pessimus mos praescripserit, dissimulantibus prius, deinde vero probantibus supremis illius Ecclesiae (graecae) pastoribus.

Magis autem ac magis abusus ejusmodi increbuit, ex quo seculo VIII. Imperator Constantinus, Basilii filius, repudiata Maria armena legitima uxore, Theodotam cubiculariam duxit; quod nefarium facinus, licet omnes severiori disciplinae studentes detestarentur, attamen a non paucis ignavis Episcopis probatum fuit[1]). Hujus Imperatoris exemplum, ut fieri solet, plurimos habuit imitatores. Majora denique nacta est ejusmodi consuetudo seu corruptela incrementa post luctuosum schisma Photii et Michaelis Caerularii; ex eo enim tempore, historici omnes consensu animi exprobrant graecis divortiorum effrenem licentiam, non solum in casu adulterii, verum etiam ob alias longe minores causas[2]). Quod quidem malum dissimularunt graeci antistites eo etiam nomine, ne si nimis objurgarentur qui se his repudiis foedare audebant, ad mahomedanismum desciscerent. Ast, (progreditur Perrone) si aliqua excusatione digni videntur Praesules illi, qui sub islamitica ditione constituti sunt, profecto eam obtendere nequeunt ii, qui extra illam ditionem versantur, ut in Valachia, Transilvania aliisque finitimis regionibus, in quibus adhuc vigent non pauci ex ejusmodi abusibus ob juris Canonici quod penes ipsos receptum est (Pravila) auctoritatem. Idem dic de novo Graeciae regno, in quo eadem legislatio denuo adoptata et confirmata est[3]).

Et haec quidem quoad Ecclesias ab unitate Ecclesiae catholicae separatas: nam quod attinet ad Ecclesias graeco-unitas, licet abusus omnes nondum aboliti sint, recessum tamen sensim

---

[1]) Cf. Baronium ad an. 795. N. XLII. seq. cum notis Pagii, qui rem totam fuse refert, et magnas in Ecclesia Constantinopolitana propter hoc scelus exortas discordias. Unicus ab initio restitit Constantini flagitio S. Plato, monachus, qui ideo cum monachis suis ab Imperatore in carcerem conjectus et afflictus fuit, prout refert Studita apud eundem Baronium loc. cit. ed. Luc. tom. XIII.

[2]) Etenim praeter supra (pag. 291. in nota) recensitas causas, adhuc aliae quoque recensentur, utpote 1) Impotentia mariti intra matrimonium. 2) Amplexus vitae monasticae alterius conjugum. 3) Captivitas, si per quinquennium de captiva parte resciri nequeat an vivat. Causae hae recensentur etiam in Photii Nomocanone tit. XIII. Cap. IV. Et quae in Pravila occurrunt adhuc, prout: Abortus procuratio, congressus cum uxore contra naturam, defloratio et furor, etcet. Lepra, obsessio daemonis, perfida desertio, (e sententia Synodi Constantinopolitanae sub Patriarcha Dositheo an. 1554.)

[3]) Conf. Harmenopuli Epitomen divinorum Canonum et legum.

et pedetentim est a non paucis corruptelis, quae prius obtinuerunt. Dixi „nondum abusus omnes abolitos esse;“ siquidem usque ad haec fere tempora praesertim in catholica transilvaniensi provincia matrimonia dissolvebantur ob probatum adulterium et perfidam desertionem, quae ut plurimum adulterium involvit. Idque sub obtentu quod iis a sacra Sede Apostolica concessum fuerit in actu unionis, que facta est anno 1699. Imperatoris Leopoldi potissimum opera. Jam vero perperam ipsi autumant hac occasione absque ulla restrictione permisssum eis fuisse propriam disciplinam moderari juxta Pravilam, corpus juris Ecclesiae graecae, quod digestum erat ante unionem. Porro praeterquam quod nullum Romae hujus concessionis existit documentum, certum est quod in diplomate Imperatoris Leopoldi dato die 16. Februar. 1699. genti Valachae, greacae et ruthenae, praeter admissionem quatuor articulorum, quibus dissentiebant gentes illae ab Ecclesia Romana [1]), praemittebatur tamquam necessaria conditio unionis, quod dicta natio teneretur: „Omnia ea admittere, profiteri, ac credere, quae sancta mater Ecclesia romana catholica admittit, profitetur et credit [2]). Hoc diploma publice lectum est in comitiis generalibus Transilvaniae, quin ulla fieret oppositio, die 8. Sept. 1699; cum autem inter cetera, quae admittit, profitetur et credit Ecclesia romana, sit etiam articulus de absoluta indissolubilitate matrimonii christiani etiam in casu adulterii, nec eum ignorare certe possent graeci illi, qui se Ecclesiae catholicae univerunt, plane consequitur haud datam eis esse libertatem sectandi hoc in articulo antiquum illud jus Canonicum (seu Pravila).

Quodsi post unionem adhuc inolitus hic abusus perseveravit dissolvendi propter adulterium ac perfidam desertionem conjugium, id factum est contra Ecclesiae Romanae mentem. Verum tamen firmitate ac perseverantia Fogarasiensium Episcoporum ejusmodi dissolutio cessavit.

Sacra etiam Sedes Apostolica nunquam destitit, quoties se se obtulit occasio, ab ejusmodi abusibus improbandis. Eugenius IV. Pontifex in decreto unionis Armenorum, doctrinam de indissolubilitate matrimonii his verbis complexus est: „Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiae. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpe-

[1]) Nempe 1) de Romano Pontifice supremo totius Ecclesiae capite; 2) de Consecratione Eucharistiae in pane azymo sufficienti; 3) de purgatorio; 4) de processione Spiritûs Sancti etiam a Filio.

[2]) Hujus diplomatis transumptum adest in archivis S. Congregationis de propaganda fide.

tuum sit.“ Idem enunciavit etiam Clemens VIII. in instructione pro Italo-graecis. Urbanus VIII. autem, in fidei professione emittenda ab eis, qui e schismate vellent in unionem Ecclesiae catholicae redire hanc formulam praescripsit: „Item sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter conjuges tori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.“ Et Benedictus XIV. Constitutione „Etsi Pastoralis,“ Matrimonia inter conjuges graecos dirimi, seu divortia quoad vinculum fieri nullomodo patiantur; et si quae de facto praecesserunt, nulla et irrita declarent.

### §. 137. Matrimonium tamen ratum solum, sed non consummatum per professionem in Ordine Monastico alterius conjugum, et per summi Pontificis sententiam solvi potest.

Matrimonium ratum, nondum tamen consummatum, per professionem monasticam unius conjugum, vel per dispensationem et sententiam summi Pontificis solvi posse ad §. 100. de Impedimento ligaminis demonstratum est, et quidem ex ratione, quoniam juxta enunciationem Innocentii III. Pontificis: Conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum et Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum.

## CAPUT III.

## DE REBUS SACRATIS.

### §. 138. Prologus.

Ad res sacratas, quae speciali ritu sacro ad finem spiritualem destinantur, spectant: Tempus sacratum, Loca sacrata, et supellex sacra, de quibus Capite hoc agitur.

### §. 139. De tempore sacrato.

Tempus sacratum est, quod cultui divino cum abstinentia a laboribus servilibus sacratum est. Dies temporis sacrati sunt alii festi, alii poenitentiales, jejunii, quorum aliquos ex apostolica traditione tenemus, aliquos Ecclesia propria potestate constituit, et ad Calendarii ecclesiastici normam servandi sunt.

### §. 140. Origo Festorum.

Prout lex antiqua suos habuit festos dies cultui Dei dicatos, ita in lege nova sensui ejusdem conformia festa instituta

sunt. Apostoli in locum Sabbati per legem christianam abrogati diem solis, redivivi a morte Christi memoriae sacrum Dominici nomine constituerunt.[1]) Postmodum autem alii sensim festi dies ad recolenda redemptionis mysteria et facta; tum in honorem Dei Genitricis Mariae et sanctorum Prophetarum, Apostolorum, Martyrum et Confessorum sacrati instituti sunt.

## §. 141. Divisio Festorum.

Dies festi sunt alii mobiles, alii immobiles; inter mobiles referuntur princeps dies festus Paschae, Ascensionis Domini, Pentecostes, qui non eodem die recurrente celebrantur; et a die paschatis dependent: immobiles autem sunt, qui semper eodem die recurrente celebrantur, sicut Nativitatis Domini, 1-a Januarii, Epiphaniae 6-a Januarii etc. Dividuntur etiam dies festi in festa fori, quibus simul a laboribus servilibus cessatur, ut sunt dies Dominici per totum annum, item principalia festa Nativitatis, Epiphaniae etc. In festis autem Chori a laboribus servilibus obligative non abstinetur, sed cultus divinus tantum persolvitur.

## §. 142. Dies festi in Ecclesia Orientali.

Annus ecclesiasticus in Ecclesia Orientali incipit a prima Septembris; suntque festa fori:

Nativitas B. Mariae Virginis 8. Septembris.
Exaltatio sanctae crucis 14. Septembris.
S. Martyris Demetrii 26. Octobris.
Archangelorum Michaelis et Gabrielis 8. Novembris.
Praesentationis Beatae Mariae Virginis 21. Novembris.
Nicolai Episcopi Myrensis 6. Decembris.
Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis 9. Decembris.
Nativitatis Domini 25. et 26. Decembris.
Protomartyris Stephani 27. Decembris.
Circumcisionis Domini 1. Januarii.
Epiphaniae Domini 6. Januarii.
Trium Episcoporum Basilii, Chrysostomi et Gregorii die 30. Januarii.
Purificationis B. Mariae Virg. 2. Februarii.
Annunciationis B. Mariae Virg. 25. Martii.
Paschatis et Pentecostes dies secundus, item Ascensionis suo tempore cum omnibus diebus Dominicis per totum annum.
Magni Martyris Georgii 23. Aprilis.
Nativitatis S. Joannis Baptistae 24. Junii.
SS. Apostolorum Petri et Pauli 29. Junii.
Prophetae Eliae 20. Julii.

[1]) 1-ae Ad Cor. XVI. v. 2. Act. XX. v. 7. Apoc. 1. v. 10.

Transfigurationis Domini 6. Augusti.
Obdormitionis seu Assumptionis B. Mariae Virginis 15. Aug.
Decollationis S. Joannis Baptistae 29. Augusti.

**Festa Chori Ecclesiae Orientalis:**

*Mense Septembri:*

26. Translationis Corporis S. Evangelistae Joannis.

*Mense Octobri:*

6. S. Apostoli Thomae.
18. S. Apostoli et Evangelistae Lucae.
23. S. Apostoli Jacobi.

*Mense Novembri:*

13. S. Joannis Chrysostomi.
14. S. Apostoli Philippi.
16. S. Apostoli et Evangelistae Matthaei.
25. S. Catharinae Martyris.
30. S. Apostoli Andreae.

*Mense Decembri:*

29. Festum 14,000 Infantum.

*Mense Januario:*

17. S. Antonii Magni.
18. S. Athanasii et Cyrilli Alexandrini.
20. S. Euthimii Magni.
27. S. Joannis Chrysostomi.

*Mense Februario:*

8. S. Martyris Theodori stratilat.
17. Magni Martyris Theodori Tyron.
24. Secunda inventio capitis S. Joannis baptistae

*Mense Martio:*

9. Quadraginta Martyrum.

*Mense Aprili:*

25. Evangelistae Marci.
30. Apostoli Jacobi.

*Mense Majo:*

2. S. Athanasii.

8. Evangelistae Joannis.
21. Constantini et Helenae.
25. Tertia inventio capitis S. Joannis baptistae.

*Mense Junio*:

30. Omnium SS. Apostolorum.

*Mense Julio*:

22. S. Mariae Magdalenae.
25. Obdormitionis S. Annae.
27. Magni Martyris Pantaleonis.

*Mense Augusto*:

9. S. Apostoli Matthiae.

His accedunt in censu Canonis SS. Apostolorum 64. dies Sabbati per totum annum, quibus diebus Parochi, aut eorum vices gerentes saltem diebus Dominicis ac ceteris festis etiam suppressis, juxta novissimam Sedis Apostolicae declarationem tenentur Missae sacrificium pro commisso sibi populo offerre, nisi pro aliqua Provincia aliter ab apostolica Sede declaratum fuerit, praesertim pro festis suppressis.

## §. 143. De tempore celebrandi Paschatis.

Juxta Canonem VII. SS. Apostolorum et Antiochenum I. vetitum est Pascha simul cum Judaeis celebrare, ideoque illud juxta decretum patrum Concilii Nicaeni I. post aequinoctium vernum et post plenilunium primum proxima die dominica celebrandum est. Quod tamen juxta Calendarium Julianum, quod Orientales adhuc retinent, illis ipsis confitentibus non semper observari potest; interdum enim Dominica prima post plenilunium aequinoctium vernale insequens, qua juxta Patrum Nicaenorum decretum celebrandum esset Pascha, est Dominica palmarum, ideoque in sequentem Dominicam transferri debet Pascha, quod decreto Nicaeno adversum est.

Pidalion, Nota ad supra citatum Canonem SS. Apostolorum, defectum hunc Calendarii Juliani recognoscit; nihilominus tamen damnat Latinos, imprimis Gregorium XIII. Pontificem Calendarii Juliani reformatorem eo scopo, ut Festum Paschatis suo tempore per Concilium Nicaenum praescripto celebrari possit; adstruendo, satius fuisse errorem prioris Calendarii tolerare, quam diversitatem temporis celebrandi Paschatis in Ecclesiam introducere, sicque scissionem in Ecclesia christiana procurare. Damnare autem se ipsos, qui haec objiciunt, deberent, eo quod agnoscentes quod melius et perfectius est, illud tamen non amplectantur, idque ideo tantum, quia errorem Romanus Pontifex

emendavit. Utrum igitur Romanus Pontifex, qui errorem confessum per adversarios quoque emendavit, sit auctor scissionis in Ecclesia, aut vero illi, qui agnito errore in eodem perseverant, sano cujusvis judicio dijudicandum relinquitur.

## §. 144. De vitiis Calendarii Juliani, quo Orientales utuntur.

Calendarium Julianum ab ethnico Julio Caesare sic compellatum duplici vitio laborat, nam 1) tercentos sexaginta quinque dies et sex horas integras anno solari tribuit, cum tamen undecim circiter minuta istis horis desint; 2) decimonono quovis anno redeunte, novilunia et plenilunia in easdem dies et horas redire ponit, cum tamen novilunium sesqui hora citius redeat. Ideo 1582-o aequinoctium vernum decem diebus, et luna decimaquarta primi mensis lunaris (Martii) quo Judaei pascha celebrabant, quatuor diebus citius contigerat, quam Calendarium Julianum monstrabat. Hinc vitia Calendarii hujus summus Pontifex Gregorius XIII. adhibitis eruditissimorum virorum consiliis 1582. in eo emendavit, ut tum aequinoctium vernum, tum etiam aequinoctium paschale ad convenientes cum astrorum motu terminos revocatum, atque ita stabilitum sit, ut ab astronomicis rationibus notabiliter amplius deflectere non possit.

## §. 145. Praecepta quoad celebrationem Festorum.

Duo observantia Festorum importat praecepta: aliud affirmativum cultus divini publice peragendi, negativum alterum cessandi a laboribus. Festi dies in pietatis operibus, non in negotiis saecularibus sunt transigendi, inquit Benedictus XIV.[1]) Festis diebus prohibetur praeter labores manuales etiam mercatus rerum venalium. Nundinae vero tolerantur sub certis conditionibus, nempe, ut ipsis diebus festis tempore nundinarum occurrentibus apothecae claudantur et religioni ac pietati opera detur [2]). Molitores non possunt molitioni incumbere, etiamsi molendinum aqua vel vento, vel jumentis volvatur, seclusa consuetudine vel necessitate. Piscatio inter opera, die festo vetita etiam referenda est; si tamen necessitas urgeat piscandi, eo quod statis anni diebus fiat transitus piscium, quo elapso temporis articulo, piscatio eorum nulla fieret, tunc pauperioribus piscatoribus datum est ut operi illi incumbere possint, dummodo id non praestent die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes [3]).

---

[1]) Const. Ab eo tempore §. 17.
[2]) Idem, Const. Paternae caritatis §. 105.
[3]) Bened. XIV. De Synod. dioeces. L. 13. C. 10. §. 10.

Dies festi non sunt aeque solemnes [1]) Conceduntur opera servilia si urgeat vera et non affectata necessitas. Affectata autem illa diceretur, in qua opera, quae diebus praecedentibus fieri possunt, ad diem sacrum transfererentur. Petenda est tamen a superiore facultas si quid insurgat necessitatis. Quamvis autem nulla dispensatio requiratur quando causa laborandi die festo est indubitata, semper tamen petenda est licentia a Superiore, quando publice laborandum est; cum ad eum, non ad quemcunque privatum hominem spectet judicium ferre de veritate causae; nisi forte periculum esset in mora et grave inde damnum sequeretur [2]). Hanc vero facultatem (laborandi) dare solet Episcopus Parochis ruralibus in Ordine ad opera agrestia, qualia sunt: oneratio plaustrorum, collectio frugum et fructuum, herbam secare, colligere foenum, quando periculum imminet tempestatis, vel quando die sequenti transferenda sunt in civitatem, nec posset commode id differri [3]). Diebus festis judicia non celebrantur.

## §. 146. De tempore jejunii Ecclesiae Orientalis.

Jejunium secundum etymologiam nominis dictum est a jejunio intestino quodam animalis, quod semper vacuum et subtile est, quod nimirum jejunium hominem cibo vacuum, et consequenter non pinguem, sed macrum et subtilem reddat.[4]) Est autem jejunium vel spirituale, abstinentia a vitiis et illicitis voluptatibus dicente S. Augustino: „Jejunium autem magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus, et ab illicitis voluptatibus saeculi, quod est perfectum jejunium.“ Vel est jejunium naturale, seu abstinentia ab omni prorsus cibo et potu, etiam per modum medicinae in stomachum transmissae, quale jejunium a tempore mediae noctis requiritur de praecepto ecclesiastico ad sumptionem Eucharistiae. Est etiam jejunium morale ac philosophicum dictum quod est actus temperantiae moderantis appetitum, et usum cibi ac potus secundum regulam rectae rationis, cujus velut partes sunt abstinentia et sobrietas; abstinentia enim moderatur affectum et usum ciborum; sobrietas autem moderatur effectum et usum potus potentis inebriare. Denique jejunium ecclesiasticum est abstinentia a carnibus, et quibusdam aliis cibis ab Ecclesia imperata, cum unica refectione tempore designato sumenda. Hinc ad jejunium Ecclesiasticum tria requiruntur: scilicet abstinentia ciborum certi generis, abstinentia plurium refectionum, et certa hora refectionis, tale jejunium est quadragesimale, item feria quarta et sexta hebdomadis, de quo

---

[1]) Idem, Const. Ab eo tempore §. 7.
[2]) Congr. Con. 12. Apr. 1597.
[3]) Idem, apud Schöpf Tom. 4. pag. 270.
[4]) Schöpf Kirchenrecht Tom. 4. pag. 274.

Canon XIX. Concilii Niceni I-i decrevit: „Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor sanctam Paschae quadragesimam non jejunat, vel quartam diem (Mercurii) vel parasceven (Veneris) praeterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur; si sit autem Laicus segregetur.“ Juxta hunc ergo canonem hoc unicum esset in Ecclesia Orientali jejunium, prout adnotat Balsamon ad hunc canonem inquiens: „Juxta hunc canonem proprie unum esse tantum jejunium quadragesimale Paschae; si enim essent et alia, eorum canon quoque meminisset. Sed etsi aliis jejunii diebus scilicet SS. Apostolorum Petri et Pauli, dormitionis Sanctissimae Deiparae, et Natalis Christi jejunaverimus, pudore non afficiemur.“ Hinc praeter jejunium Quadragesimale, item feriam quartam et sextam consueta adhuc sunt in Ecclesia Orientali jejunia: Nativitatis Domini a die Apostoli Philippi seu 16. Novembris usque 25-am Decembris seu Nativitatis; item SS. Apostolorum Petri et Pauli, a feria secunda post Dominicam primam post Pentecosten usque festum Apostolorum; Obdormitionis item B. Mariae Virginis a 1-a Augusti usque 15-am ejusdem, porro dies exaltationis sanctae crucis, et decollationis S. Joannis baptistae.

## §. 147. De modo jejunandi in Ecclesia Orientali.

Graeci etiam distinguunt inter abstinentiam et strictum jejunium, et inter dies abstinentiales et jejunales; abstinentiales sunt v. g. dies Sabbati et Domini per totam quadragesimam, excepto Sabbato sancto paschae, qui stricte jejunalis est. Diebus abstinentiae, abstinendum est quidem a cibis carnalibus et vetitis, sed comestio toties quoties admissa est; diebus stricte jejunalibus unica per diem refectio, et quidem determinato tempore, non ante horam nonam seu tertiam pomeridianam, cum abstinentia a cibis vetitis praescribitur; imo in parasceve Paschae seu die magno Veneris refectio usque occasum solis est differenda. Abstinent autem orientales non modo a carnibus, sed et lacticiniis, ovis, imo et piscibus imprimis in jejunio Quadragesimae et obdormitionis B. Mariae Virginis. Excipiuntur autem per Canonem aegri, hi enim ut notat Balsamon si per pisces jejunium solvant, eis venia datur, per carnem autem non solvet quisquam etiamsi extremum spiritum agat. Zonaras autem adnotat: Dispensantur a jejunio, qui ob imbecillitatem corporis jejunare non possunt. Nam jejunium fuit introductum ad humiliationem carnis; quod si autem caro morbo, vel alia aliqua infirmitate laboret, illa ex jejunio humiliatio necessaria non est.

Observat Pidalion ad Canonem LXVI. SS. Apostolorum, quod si quidem diebus Mercuri et Veneris ita jejunandum sit, sicut diebus quadragesimae, in hac autem juxta Canonem LII. Laodicenum vetitum est nuptias celebrare, ita etiam diebus Mercuri et Veneris; insuper quod conjuges quemadmodum in

quadragesima, ita diebus Mercuri et Veneris abstinere debeant ab usu matrimonii, juxta Prophetam Joel. C. 2. „Sanctificate jejunium, praedicate sanationem, exeat vir de thalamo suo; et uxor de camera sua.“ S. Joannes Chysostomus de fervore Christianorum circa jejunium in Libro de virginitate sic scribit: „Aemulantur inquit, inter se, ut alii duabus diebus nihil manducent, alii autem ab omnibus cibis abstineant et vino, pane solum et aqua contenti per totum jejunium.“

## §. 148. Sollicitudo S. Sedis Apostolicae in custodienda jejunii Orientalis Ecclesiae disciplina.

De sollicitudine S. Sedis Apostolicae ad disciplinam Ecclesiae Orientalis circa jejunia tenendam et conservandam Benedictus XIV. in sua Encyclica Nro. 47-a sequentia tradit: „Aptissimus inquit, hic fieret locus disserendi de vetustate jejunii apud „Orientales, ejusque lege licet severiori exactissime tamen semper servata, sed ne longiores simus quam par est, id unicum „dicimus, Apostolicam Sedem toties Patriarchis obstitisse, quoties „veterem rigorem jejunii suis subditis praescripti relaxare voluerunt. Petrus Maronitarum Patriarcha, Archi-Episcopis et „Episcopis sibi subditis, carnibus vesci laicorum more indulsit, „licet juxta veterem disciplinam carnibus abstinerent: universo „autem populo quadragesimae tempore pisces edere, vinumque „libere permisit, quamvis id illis esset prohibitum. Sed Pontifex „Paulus V. datis ad Patriarcham Petri successorem Literis Apostolocis in forma Brevis, die 9-a Martii 1610. jussit, ut abrogatis illis, quae Petrus Patriarcha concesserat, res in pristinum „statum restitueretur. In Pontificatu nostro autem ad examen „revocata est nimia facilitas atque indulgentia Euthymii Archi-„Episcopi Syri et Sidonis, et Cyrilli Patriarchae Antiocheni erga „Graecos Melchitas, fuitque improbata; ut patet e constitutione „nostra „Demandatam“ 87. §. 6. Bullarii nostri Tomo I. Nos hujusmodi innovationem, et abstinentiarum relaxationem, et coarctationem in nimium detrimentum veteris Graecarum Ecclesiarum disciplinae vergere judicantes, licet alioquin deficiente „auctoritate Apostolicae Sedis nullius roboris esse dignoscantur, „eas tamen auctoritate nostra expresse revocamus, et nullum „effectum imposterum habere, neque ullatenus executioni mandari sed omnia in pristinum restitui debere jubemus, atque insuper in toto tractu Patriarchatus Antiocheni, laudabilem consuetudinem a Majoribus derivatam, abstinendi etiam qualibet „feria quarta et sexta ab esu carnium, quae etiam ab aliis finitimis populis ejusdem graeci ritus exacte custoditur, indistincte „servari praecipimus. Incongruum autem est asserere dispensationem concedendam esse, vel potius dispensandi generalem facultatem, quod nempe Orientales, aspicientes Latinos vesci piscibus tempore jejunii exinde facile adducantur, ut ipsi non

„quidem ex aliquo contemptu, sed naturae fragilitate ducti pi„scibus diebus jejunii utantur: hoc namque argumento si quid „illud valeret imprimis omnimoda induceretur Rituum confusio; „deinde si illius ratio haberetur, illud etiam consequeretur, ut „Latini inspicientes Graecos peculiaribus vivere institutis quae „Latinis minime permittuntur, imo inhibentur, (prout Conjugium) „dispensationem petere possent, ut sibi liceret ea facere, quae a „Graecis fieri intuentur, profitentes se latinum quidem ritum „suscipere, sed ob naturae fragilitatem eum diutius servare non „posse.

## §. 149. De Locis sacratis.

Nomine locorum sacratorum, vel sacrorum veniunt loca publico cultui divino destinata, uti Ecclesiae, capellae, item loca pro scopo religioso benedicta, uti coemeteria, in quibus Christiani ritu sacro inhumantur.

## §. 150. De exstructione Ecclesiarum.

Ecclesiarum exstructio licita est 1) nonnisi ex justa causa, ad promovendam pietatem, et ob gravem rationem qualis est distantia aliarum ecclesiarum et populi frequentia. 2) Cum auctoritate legitimi superioris seu Episcopi, qui causam exstructionis cognoscat, eos de quorum praejudicio agitur audiat[1]) ac an locus congruus sit decernat, fiatque etiam cum scitu civilis potestatis et servatis de lege servandis, denique 3) assecurata sufficienti dote perpetua ad alendos clericos, ad sarta tecta conservanda, ad ecclesiam decenter ornandam et instruendam. Quocirca Ecclesiam dote destitutam consecrare canones vetant.[2]) Exstruuntur autem ecclesiae cum altari versus orientem, plerumque in forma crucis.

## §. 151. De coemeteriis.

Ad loca sacrata spectant etiam coemeteria per benedictionem ad sepeliendos in iis ecclesiae fideles dicata. Coemeterium autem graece significat idem ac latine dormitorium, eo quia ibi requiescunt corpora Christifidelium, qui ratione fidei infallibilis finaliter resurgendi, non tam mortui ibi jacere, quam dormire dicuntur, (Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut excitem eum. Joan. 11. v. 11.) Hinc S. Hieronymus inquit: eos dormientes appellari, quia certum est eos resurrecturos. — Coemeteria debent esse cinctura provisa, erecta in iis cruce benedicta; procuratio cincturae et conservatio incumbit communitati confessionali. Constituuntur autem coemeteria extra urbem vel vicum, ne

---

[1]) Concil. Chalced. C. 24.
[2]) Can. 9. dist. 1. de consecr. c. 8. de cousecr. Eccl.

exhalationes corporum mortuorum viventium valetudini noxia evadant; — jam Theodosius Imperator praescripserat; omnia quae supra terram urnis clausa, vel sarcophagis corpora detinentur extra urbem delata ponantur.[1]) Ideo autem secus viam constituuntur coemeteria, ut mortui quasi praetereuntes monerent se fuisse, et illos esse mortales.

## §. 152. De sepultura ecclesiastica.

Nomen sepulturae vel sumitur pro jure inhumationis in coemeterio, vel pro ritu seu officio sepulturae. Sepultura ecclesiastica privantur *a*) non baptizati, quo spectant etiam catechumeni, et proles christianorum ante baptisma decedentes; si vero dubium sit num sint baptizatae, non sunt privandae ecclesiastica sepultura, sicut nec catechumeni illi, qui iam in religione christiana debite instructi sunt et desiderium baptismi suscipiendi fovent, qui per baptismum flaminis Ecclesiae adcorporati sunt.[2]) *b*) Haeretici, quibus tamen in casum si proprio coemeterio careant, tantum ritus sepulturae denegatur; inhumantur autem in loco coemeterii segregato. *c*) Notorie excommunicati, nisi in articulo mortis signa poenitentiae dederint, et Ecclesiae reconciliati sint. *d*) Publici et manifesti usurarii, nisi alienum restituerint, vel idoneam praestiterint de restituendo cautionem. *e*) In duello mortui. *f*) Qui per annum integrum non confitentur, et tempore paschali sacram synaxim sine justa causa non suscipiunt, nisi de consilio sacerdotis prorogassent. *g*) Suspensi-impoenitentes, et omnes qui in publice notorio et certo peccato mortali absque poenitentia decedunt, et qui in actuali furto et rapina, fornicatione, adulterio et hujusmodi occiduntur. *h*) suicidae, hi in coemeterio quidem, sed absque ritu ecclesiastico inhumantur. Denique a judicio saeculari dictatam poenam mortis subeuntes nec in coemeterio nec ritu ecclesiastico inhumantur,

*Nota*. Honore sepulturae carere Romanis gravissimae poenae erat genus, qua ceu maxime ignominiosa christiani a persecutoribus saepe sunt affecti. Ecclesia christiana nemini quidem inhumationem, sed quibusdam ecclesiasticum sepulturae ritum tantum, aliis autem etiam inhumationem in coemeterio denegat. 2) Negatae hujus sepulturae poena non semper est latae sententiae, sed aliquando etiam ferendae sententiae poena, qualis est, quae in negligentes communionem paschalem fertur, ideoque parochus eam propria auctoritate, aut ante sententiam Episcopi exequi nequit. Semper igitur, quandocunque dubium occurrit consulendus est Episcopus, qui in dubio sententiam enunciandam habet, quae si adexspectari nequeat, in dubio favendum est defuncto. Frequentius dubium occurrit quoad autochiros, seu sui-

[1]) Cod. Theod. nov. de sepulcr. C. 6.
[2]) Innocentius III. C. Debitum de Bapt.

cidas, quoad quos ordinationibus altioribus praescriptum est, ut in quolibet casu mixta commissio-civilis casum suicidii examinet, judicium tamen ecclesiastica auctoritas enunciet.[1])

## §. 153. Jus sepulturae.

Jus sepeliendi ecclesiastice habet parochus loci illius, in cujus parochiae ambitu quis moritur. Si quis autem alibi sepeliri eligat, mortuarium parocho, ad quem de jure sepultura spectat pendi debet.

## §. 154. Ritus funebralis Ecclesiae Orientalis.

Consuetudo est, ut corpus defuncti perfundatur oleo aqua mixto; prohibitum autem est juxta Notam ad Canonem XXV. Carthaginensem affundere sacrum Chrisma corpori defuncti etiamsi Presbyter aut Episcopus esset. Comitandi autem sunt christiani ad sepulcrum cum psalmis, cantu et accensis caereis ad contestandam fidem quod defuncti in lumine vitae aeternae constituantur. Sine facultate Episcopi vetitum est corpus defuncti exhumare, et ad aliud sepulcrum transferre. Quoad exequias praescribit canon Apostolorum Petri et Pauli XIV.: „Exequiae mortuorum fiant tertio die, propter eum qui tertio die a mortuis suscitatus est, et die nono, ad recordationem eorum qui sunt superstites, et eorum qui defuncti sunt; et quadragesima, sicut et populus Judaicus Mosem flevit, et exacto anno ex bonis eorum suppeditetur pauperibus ad recordationem eorum. Impium autem, addit canon, licet totus mundus pro eo detur, non juvabis.[2])"

## §. 155. Supellex sacra.

Ad sacram supellectilem spectant *a*) Vasa sacra ad oblationem sanctissimi sacrificii adhiberi solita, ut sunt calix, patena, stella, quae omnia ex metallo confecta esse debent; his accedunt pyxis, pro conservando et deferendo, viatico moribundorum, dein vasa pariter e metallo, in quibus sacrum oleum et chrisma asservantur. *b*) Imagines sacrae fidei mysteria et sanctos repraesentantes, quarum Orientales maximi cultores sunt. *c*) Vestes sacrae, quibus sacrorum ministri cum munia sua obeunt induuntur. *d*) Campanae, seu nolae ad populum in ecclesias congregandum, atque ad orationem excitandum, quae omnia praescripto ritu sacrantur.

---

[1]) Confer. Schenkl. Tom. II. Jur. Eccl. pag. 563.
[2]) Apud Bevereg. Tom. II.

# SECTIO III.

## DE JUDICIIS, DELICTIS, ET POENIS ECCLESIASTICIS.

## CAPUT I.

## DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

### §. 156. De Judicio ecclesiastico generatim.

In Ecclesia christiana sacrum datur imperium, quod prout potestate legislatoria, ita judiciaria et executiva gaudet, ejusque jurisdictio respicit personas ecclesiasticas, et sacras. Jurisdictio alia est contentiosa et necessaria, quae inter contendentes circa causas controversas exercetur, redditurque in invitos; dicitur contentiosa, quia actor contendit contra reum; dicitur necessaria, quia reus in judicium vocatus tenetur ibi respondere et redditur in invitos. Altera autem est voluntaria, quae in solos subditos volentes, in iis negotiis, in quibus consensus vel confirmatio judicis requiritur, exercetur. Quandoque tamen jurisdictio voluntaria assumit naturam contentiosae, et reducitur ad contentiosam, quando scilicet nonnisi cum causae cognitione exerceri potest. Jurisdictio contentiosa iterum distinguitur in criminalem, quae exercetur in delicta graviora seu crimina et ob vindictam publicam, et civilem, quae exercetur in alias causas aut in delicta quoque minora ob privatam solum satisfactionem. Quoad jurisdictionem civilem porro distinguendum est judicium „possessorium," in quo agitur de adipiscenda possessione, retinenda vel recuperanda, et an possideat quis vel non, incolumi adhuc et indecisa quaestione dominii vel proprietatis, et „petitorum," in quo de proprietate vel dominio rei aut de jure aliquo disceptatur, puta eligendi vel nominandi ad beneficium. In petitorio ageret, qui actionem directe formaret de validitate contracti matrimonii, in possessorio autem, dum, seposita de valore matrimonii quaestione, solum probaretur, matrimonium fuisse contractum, adeoque fuisse in possessione hujus juris, de qua non poterat jure dejici, ac proinde petit restitutionem ejus in integrum.[1])

### §. 157. De Judice ordinario et delegato.

Judex ecclesiasticus ordinarius est Episcopus, vel ejus Vicarius et causarum auditor generalis, cujus persona cum Epi-

[1]) Conf. Kutschker Eherecht Tom. V. pag. 438.

scopi quoad judicium identica est, ideo a judicio Vicarii ad Episcopum non datur appellata. Superior judex ordinarius est Metropolita provinciae ecclesiasticae, et supremus judex summus Pontifex; ideo dicitur forum primae instantiae Episcopi, secundae instantiae appellatorium primum Metropolitanum, et supremum appellatorium Pontificium. S. Sedes Apostolica ad revisionem causarum solet delegare Judices, qui Judices delegati vocantur.[1])

## §. 158. De Judice compromisso.

Judex compromissus est, in quem partes compromittunt, sive quem partes voluntarie eligunt, cujus sententiae partes absque appellata acquiescere obligantur,[2]) qualis compromissus Judex juxta §. 64. Legis Austriacae matrimonialis de 8. oct. 1856. Iudex ecclesiasticus, etiam quoad accidentalia Matrimonii eligi potest.

## §. 159. De Tribunali ecclesiastico.

Tribunal ecclesiasticum est consessus Episcopi, vel ejus Vicarii generalis cum Consiliariis Assessoribus et Notario Tribunalis ad causas jurisdictioni ecclesiasticae obnoxias cognoscendas, discutiendas, et judicandas.

## §. 160. Personae ad Judicium requisitae.

Ad judicium requiruntur 1) Judex sic dictus, quasi jus dicens, sive quod jure disceptet. Jure autem disceptare est juste judicare. Non est ergo Judex, si non est in eo justitia. 2) Actor, qui jus suum in judicio prosequitur, seu agit, vocatur etiam Accusator, quasi causator, qui ad causam vocat. Actor vel Accusator potest esse omnis, qui natura, aut lege speciali non prohibetur; sic prohibiti sunt ab accusatione excommunicati, minorennes, exceptis causis matrimonialibus modo 14-tum aetatis annum egressi sint, feminae quoque agere, idest actores esse possunt. 3) Reus, qui est omnis illa persona, contra quam aliquis quovis jure, ratione et praetextu quarumcunque rerum, factorum et dictorum agit. Unde recte dicitur a re, quod alicui hujusmodi rei obnoxius sit. Incattus autem ab eo dicitur, quod in causam attrahatur. Reus potest esse omnis etiam excommunicatus, minorennes item et feminae, quae tamen nisi in causis jure expressis ut sunt matrimoniales, per se ipsas in judicio stare debent. 4) Testes, causa enim aut argumento aut probatione, quae per testes fit, constat. Argumentum autem nunquam testibus, nunquam tabulis dat probationem, sed sola investigatione inve-

[1]) Van-Espen Part. III. Tit. V. II.
[2]) Van-Espen Part. III. Tit. Cap. IV.

nit veritatem, unde dictum est argumentum, quasi argute inventum.

## §. 161. De Advocatis.

Praeter Actorem, Reum et testes in judicio saepe adesse solent Advocati, qui pro aliis in judicio postulant, seu jura aliis suggerunt, et ad controversae causae disceptationem pertinentia exponunt. Sunt autem Advocati viri jurium periti, consequenter non solum in jure civili sed et canonico versati. Ab agendo in foro ecclesiastico vetantur Haeretici, Excommunicati, Infames, aliique ad officium inepti. Ut autem Advocatus agere possit, debet habere constitutionem procuratoriam ab eo, cujus causam agit. Ceterum etsi causam suam quilibet per Advocatum proponere regulariter queat, imo interdum partibus Advocati ex officio dentur, exceptis causis matrimonialibus, partes tamen coram judicio citatae per se ipsas comparere tenentur.

## 162. De Fisco consistoriali, seu Tribunalis ecclesiastici.

Quod in Tribunalibus civilibus est Status-Procurator, vel Fiscus Regius; idem est in Tribunali ecclesiastico Fiscus consistorialis, alias Fiscus promotor compellatus, cujus est causas publicas, et ad communem Ecclesiae et Dioecesis utilitatem spectantes suscipere, defendere, atque earum decisionem coram judice ecclesiastico urgere. Nomen promotoris derivatur a verbo promovere, eo quod officii ejus sit invigilare abusibus et insolentiis delictisque quae in Dioecesi committuntur; atque de iis Episcopum informare, quin et opportunum remedium, etiam judicialiter contra delinquentes agendo expetere. Formula constitutionis Fisci consistorialis, ex qua officii ejus ambitus dignoscitur sequens est. Nos N. N. Episcopus etc. damus tibi facultatem, omnes et singulas causas ad forum nostrum, et jurisdictionem nostram ecclesiasticam et spiritualem spectantes agendi, promovendi, interessendi, et concludendi; sententias et jus super iis a Nobis vel a Domino Officiali dictae nostrae curiae ecclesiasticae et spiritualis fori (Vicario generali) ipsasque debitae executioni demandari, instandi, Ecclesiasticos et alios nobis subditos delinquentes seu in crimine deprehensos et in culpa, ac alios, quos convenit citari, evocari, corrigi, puniri, mulctari, sententiari, condemnari, absolvi, prout aequitas et juris ordo postulaverit curandi, et generatim omnia alia et singula faciendi, gerendi, et exercendi, quae ad hujus promotoris munus et officium de jure et usu, vel consuetudine spectant, et quae circa praemissa necessaria et opportuna fuerint. (Vid. Vanespen Parte III. Tit. V. Nro. VI.)

## §. 163. De Notariis, seu Secretariis Tribunalis ecclesiastici.

In Codice Justiniani exstat titulus: De Assessoribus domesticis, et cancellariis Judicum. Cancellarii autem Judicum scribendis et expediendis Judicum epistolis operam dabant. Hique cancellarii dicti sunt eo, quod eorum cellulae ob chartarum amittendarum periculum cancellis essent munitae. Horum officio funguntur hodie Notarii vel Secretarii, qui tamquam publicae et juratae personae omnia acta judicialia scribunt, fideliter custodiunt, et registrant. Documenta per hos Notarios vel Secretarios subscripta publica fide gaudent. In juramento per hos deponi solito adpromittunt, quod secreti erunt, nulli partium litigantium addicti, aut partiales futuri, neque etiam consilium partibus sive directe, sive indirecte dabunt.[1])

# CAPUT II.

# DE PROCESSU ECCLESIASTICO IN GENERE.

## §. 164. Notio Processus ecclesiastici.

Processus est ordo actuum judicialium lege praescriptus, seu ratio legitima, qua causae in judicium deducuntur et definiuntur. Est autem processus vel summarius, in quo praetermissis solemnitatibus et formis auditur Reus, et vel absolvitur, vel condemnatur, vel formalis, in quo praescriptae formalitates observantur.

## §. 165. Primis decem seculis causae in foris ecclesiasticis summarie pertractabantur.

Primis decem Ecclesiae Christianae saeculis summa erat inter judicia civilia et ecclesiastica differentia. In his enim sine formulis judiciorum, et neglecto rigore legum civilium ex solis scripturis sacris et ex aequitate quaestiones decidebantur; in civilibus vero, juxta formas juris et servato legum rigore procedebatur. Postquam autem Codex Justinianus etiam Theologis tradebatur, atque studium legum civilium etiam inter clericos invaluisset, causae in foro etiam ecclesiastico juxta earundem legum civilium normam pertractari coeperunt; Pontificesque Alexander et Innocentius III. eorumque successores eamdem normam processuum civilium pro foris ecllesiasticis praescripserunt, sic Libri II. Decretalium Gregorii IX. Capite IX. dicitur: Judex

---

[1]) Vanespen Part. III. Titulo VI.

ex officio providere debet ut debitae solemnitates serventur in judiciis, quibus omissis judicium redditur frustratorium. De quibus solemnitatibus judiciorum tractat totus citatus liber Decretalium.

## §. 166. Libellus actionalis.

Exordium processus fit cum exhibitione Libelli actionalis per Actorem, seu dum hic speciem facti, fundamentum agendi, suumque desiderium competenti Judici insinuat; estque Libellus actionalis aut scriptus et solemnis, vel non scriptus, viva voce propositus, item conventionalis, quem primo Actor, et reconventionalis, quem Reus Actorem reconveniens exhibet. Libellus debet esse brevis, clarus, aptus, certus, exponatque: quis? quid? quo jure? et a quo petat? et quid Actor a Judice fieri postulet.[1])

## §. 167. Citatio.

Exhibito Libello actionali Judex citare debet partem accusatam, eamquae audire, nemo enim non auditus judicari potest. Ut autem citatus deliberare queat, num cedere, num litigare velit, libellus Actoris in Literis citatoriis saltem summarie exprimi debet eo etiam fine, ut citatus ex ipsa citatione meritum actionis contra se motae cognoscere, intelligere et deliberare valeat, utrum ex justa causa et coram competente Judice citatus sit. — Per quem decretum citationis expeditur, debet judicio referre super exhibita parti et per hanc acceptata citatione. Est autem citatio vel simplex et dilatoria, quae ulteriorem dilationem admittit, et neglecta tantum generalem restituendarum expensarum poenam post se trahit, vel peremptoria, quae dilationem non patitur, et ea neglecta citatus per contumaciam convincitur, atque actus pro perempto habetur.

## §. 168. De Litis contestatione.

Quodsi citatus coram judicio compareat, atque petitioni Actoris contradicens voluntatem se defendendi sive litigandi declaret, hoc fine generaliter Procuratorem sibi constituendo, contestatio litis dicitur, quae est acceptatio actionis contra se motae fine suae defensionis vel éxculpationis. Per contestationem litis processus definitus est, nec ullam mutationem Actio subire potest, nec etiam ipse processus per exceptiones amplius declinari, qui perseverans redditur ad ipsos heredes Actoris transiens [2]).

---

[1]) Conf. Schenkl. Jur. Eccl. Tom. II. §. 849.

[2]) Conf. Schenkl. §. 858. Tom. II.

## §. 169. De Contumacia.

Contumacia committitur, dum quis coram judicio legitime citatus non comparet, aut aliis justis judicis mandatis non obedit. Contumax petente Actore ad ferendas neglecti termini expensas condemnatur, post tertiam vero citationem dilatoriam si non compareat, causa deciditur. Quodsi autem peremptoriae citationi non obediat, intentatis gravioribus poenis et censuris ad comparendum compellitur, et si necdum compareat, ex non defendit convincitur.

## §. 170. De Proclamatione causae et processu probatorio.

Post Litis contestationem proclamatur causa, Notario proclamationem adscribente, post quod Acta Reoconvento vel Incatto aut ejus Procuratori pro termino 15. dierum, vel pro arbitrio judicis longiori traduntur, atque contra Actorem replicat, producit contraria documenta, testes et argumenta, quae iterum cum Actore communicantur, sicque tribus ordinarie, nunquam autem supra quinque allegationibus pro et contra exhibitis, processus ad sententiam ferendam praeparatur.

## §. 171. De probationibus.

Asserenti incumbit proba, sive Actoris officium est, coram Judice ea probare, quae praetensionem suam contra Incattum stabiliant. Est autem probatio alia plena, quae fit per testimonia, quae secundum leges ad facti veritatem evincendam sufficiunt; secus est semiplena. Sic probationem plenam faciunt duo testes omni exceptione majores, semiplenam autem unus tantum testis omni exceptione major.

## §. 172. Species probationum.

Species probationum sunt sequentes:

*a*) Rei evidentia, seu notorium constituit sufficientem probam; est autem notorium aliud facti, quod ita hominum sensibus patet, ut nulla tergiversatione celari queat, vel notorium juris, quod ex certo jure vel in judicio oritur, proindeque sola allegatione non probatione indiget.

*b*) Fama, quae si duobus spectatae fidei testibus probata sit, gravem contra Incattum praesumptionem constituit; sic sola fama de affinitate aut consanguineitate sufficiens argumentum ad impediendum matrimonium habetur.

*c*) Inspectio ocularis, quae vel partibus petentibus, vel ex decreto judicis instituitur: quae si a viris artis peritis atque adjuratis fiat, magnum ad probandum momentum habet.

*d*) Praesumptio seu judicium ex certo indicio verosimili ortum, vel conjectura ex circumstantiis facti. Si indicia sint evidentia, magnam probandi vim habent. Plures praesumptiones probabiles in idem consentientes probationis vim augent, eamque aliquando plenam reddunt.

*e)* Confessio, seu asseveratio ejus quod adversarius praetendit, aut facti proprii ab alio nobis imputati affirmatio. Confessio coram judice indubiam probam facit juxta illud: „propria confessio mille testes." Si tamen sit confessio libera, sponte et scienter facta, clara, certa et seria. Confessio autem extra judicium facta si duobus saltem testibus probetur, facit plenam probam. Confessio nocet soli confitenti; sic confessio adulterae non convincit adulterum designatum, (C. 5. de adult.) nec gravat liberos, quos illa illegitimos asserit: alleganti enim propriam turpitudinem in praejudicium tertii non creditur.

*f*) Attestationes, seu probatio per testes. Testium nomine veniunt generatim personae ad facti veritatem assertis suis evincendam idoneae; seu fidedignae, quae ad judicium pro testimonio ferendo evocatae et auditae ut quid de causa controversa cognitum habeant, sincere enuncient. Testes ad testimonium acceptabile ferendum inhabiles sunt, et quidem 1) absolute rationis impotes, aut rei, de qua agitur, cognitione penitus destituti, impuberes, perjurii aut falsi convicti, pretio corrupti, aut facile corrumpibiles, sicut sunt pauperes interdum et viles personae; porro infames facto vel jure, excommunicati et haeretici. 2) Testes relative inhabiles intuitu certarum personarum sunt: Judaei pro Judaeo contra Christianum, inimici contra inimicum; sanguinis, subjectionis et simili nexu cum iis, pro quibus, vel contra quos testentur juncti, nisi in casibus jure exceptis v. g. in causis matrimonialibus etiam consanguinei testari possunt; item exceptis casibus in quibus veritas aliter haberi nequit. Rejiciuntur etiam testes laici contra Clericos in causis criminis, exceptis delictis notoriis, scandalosis, et ubi haberi testes Clerici nequeunt [1]). 3) Intuitu certarum causarum testes inhabiles sunt Clerici in causa sanguinis contra Reum, quivis in causa propria, item in quos ex causa speciale lucrum, commodum aut incommodum redundat. Examinandi autem sunt testes vel coram judicio, vel extra judicium per commissarios seorsum et secreto, remotis partibus, ad quaestiones, sive articulos tum a partibus oblatos, tum a judice ex officio additos; responsa sive testimonia in scriptum redacta testibus iterato perlegantur, atque confectum inde protocollum ad petitionem ejus, qui testes producit, partibus praesentibus publicetur.

*g*) Per instrumenta, quae sunt scripturae vel ad rerum gestarum memoriam fidemque confectae, vel saltem ad fidem de veritate facti judici faciendam idoneae. Sunt autem Instrumenta

[1]) C. 21. 5. 22. 24. 14. de test. et attest. C. 9. de accus.

alia privata, quae a personis privatis scripta sunt, vel publica, quae a persona publica qua tali sunt confecta; publica Instrumenta plenam, privata semiprobam faciunt. Scripturam suam neganti juramentum injungitur.

*h*) Jusjurandum judiciale, quod est vel litis decisorium, quod litis finiendae causa datur, vel litis aestimatorium, idque aut veritatis aut affectionis, quo rei litigiosae aestimatio vel ex vero pretio, vel ex peculiari in illam affectu asseritur. Juramentum litis decisorium iterum est vel voluntarium, quod pars parti judice probante defert, vel necessarium, quod partes ab invicem exigunt, aut quod ipse judex ad complendam probationem imperat; et quidem, si Actori ad complendam probationem injungatur suppletorium, si autem Reo ad elidendas praesumptiones contra se prolatas imperetur, purgatorium appellatur. Purgatorio juramento in omni causa locus est. Juramentum autem suppletorium in causis Clericorum criminalibus, sive delictis canonicis, item matrimonialibus, in quibus duntaxat probationes perspicuae admittuntur, nullatenus est deferendum [1]).

*Nota.* Quum utrumque hoc juramentum solum ob defectum plenae probationis obtineat, non potest illud imperari: 1) si pars utraque semiplene solum probet, eo quod his probationibus se invicem elidentibus nihil probatum sit; 2) si utraque pars plene probat tunc enim superfluum esset; — imperari autem potest, si plena alioquin Actoris probatio per argumenta quaedam Rei aliqua in parte infirmentur (C. 2. de probat.). Datur autem etiam juramentum calumniae, quo partes bona fide se litigaturas, et ab omni fraude alienas esse asseverant; et quidem si fiat post litem contestatam intuitu totius judicii, generale; si autem tantum intuitu certi actus judicialis praestetur, speciale, alias malitiae a canonistis dictum. Juramentum calumniae his fere capitibus continetur: nempe jurandum 1) quod partes justam se habere causam credant; 2) quod in ea agenda velint bona fide versari; 3) quod judici nil dederint, promiserint aut deinceps daturi sint; 4) quod juste quaesiti verum inficiari nolint [2]).

Nota: usus hujus juramenti in pluribus locis cessavit.

# CAPUT. III.

## DE SENTENTIA ET REMEDIIS CONTRA EAM.

### §. 173. De Conclusione Causae.

Disceptationi et probationibus in processu finem imponit, et ferendae sententiae viam aperit conclusio in causa, seu declaratio

[1]) C. 34. de jurjur. C. 1. 4. 8. 16. de purg. Can.
[2]) Vide Schenkl. Tom. II. pag. 745.

legitima, qua partes ulterioribus probationibus renunciant, et causam controversam judicis decisioni submittunt. Est autem conclusio in causa vel expressa, dum partes causam judicis sententiae submittere declarant; vel tacita, dum terminum peremptorium ad ulteriorem defensam elabi sinunt.

## §. 174. De Sententia.

Conclusionem in causa sequitur sententia, seu pronunciatio judicii quoad causam controversam. Sententia est vel definitiva, quoad meritum ipsum causae principalis, vel interlocutoria, quae certum solum articulum, qui in decursu causae emergit v. gr. quoad competentiam fori si controvertatur, respicit. Porro sententia vel est absolutoria, vel condemnatoria, prout Reus conventus vel absolvitur vel condemnatur.

## §. 175. De attributis Sententiae.

Sententia debet esse: 1) a judice competente lata; 2) per vota (si judicium e pluribus membris constet) majora; si enim vota aequalia sint, Incattus absolvitur, juxta illud Gregorii IX.: „Non potest quemquam a sacerdotali gradu, nisi concors Sacerdotum sententia submovere" [1]; 3) juxta leges et statuta fori ex actis et allegatis, juxta Decretum Gregorii IX.: „Sententia contra leges Canonesque prolata ipso jure est nulla" [2]. 4) Sententia debet esse certa, determinata, pura, et ad nullam conditionem, nisi quae in continenti impleri possit, nec ulteriori cognitione indigeat adstricta. 5) In sententia nominandus est judex partesque litigantes, brevemque sed plenam causae descriptionem complectatur.

## §. 176. De publicatione Sententiae.

Sententia est debitis cum solemnitatibus publicanda, nempe 1) ex scripto, 2) partibus ad id citatis, 3) Judice ipso pro tribunali sedente, 4) die non festo vel feriato.

## §. 177. De effectibus Sententiae.

Effectus sententiae est: si partes litigantes sententiae acquiescant, aut intra decem dies non appellent, sententia vim rei judicatae obtinet, atque pro veritate habetur; probationem oppositam et actionem excludit exceptis causis matrimonialibus quoad solutionem vinculi, in quibus sententia in rem judicatam nunquam transit, et quandocunque contra eam actio erigi potest. In causis autem Clericorum criminalibus intermissa praescripto

---

[1] Libr. II. Decret. Tit. XXVII. Cap. III.
[2] Libr. II. Decret. eod. Tit. Cap. 1.

termino appellatione recursui ad S. Sedem Apostolicam pro appellationis gratia concedenda locus est, qui recursus judicio insinuatus executionem sententiae suspendit.

## §. 178. De Appellatione.

Remedium contra sententiam est appellatio ad judicem superiorem; seu postulatio, ut sententia a primo judice lata ad proxime superiorem fine revisionis deferatur. Appellare potest omnis per sententiam gravatus, nisi 1) quis ob veram contumaciam sit condemnatus, 2) in judicio sponte confessus, aut 3) evidenter convictus, aut 4) expresse si sententiae acquiescat, vel tacite, si intra decem dies appellationem non insinuet, appellationi renunciaverit. Ceterum etiam in casibus, dum quis jure appellandi destituitur, recursui ad S. Sedem Apostolicam pro gratia appellationis, ut priori quoque §. monitum est, locus est.

## §. 179. Effectus Appellationis.

Effectus appellationis sunt: 1) Sententiae executio suspenditur, exceptis sententiis ad correctionem paternam et disciplinarem per Episcopum in visitatione canonica latis. 2) Causae totius cognitio et decisio ad superiorem judicem devolvitur, coram quo neglecta in primo judicio suppleri, nondum probata probari possunt, nova tamen per testes probatio super iisdem, vel contrariis articulis de regula non admittitur.

## §. 180. De executione Sententiae.

Ecclesia gaudet potestate legislatoria, et judiciaria, ergo et executiva gaudere debet, seu potestate cogendi ad obsequendum mandatis suis, et ad praestandum ea quibus ex sententia pronunciata quis obligatus est. Proprium quidem Ecclesiae cogendi medium intentatio excommunicationis est; qui Ecclesiam enim non audierit, ei non obedierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Supra quod medium tamen adhuc utitur Ecclesia ad suas sententias executioni mandandas etiam invocatione assistentiae et brachii saecularis, quae per potestatem civilem recognita semel Ecclesiae judicandi autonomia relate ad subditos civitatis, qui membra Ecclesiae sunt, nunquam denegare potest, ni in proprium suum finem, qui per Ecclesiam promovetur, impingat.

# CAPUT IV.

## DE JUDICIO ECCLESIASTICO CRIMINALI SEU COERCITIVO.

### §. 181. De modis, quibus crimina ad forum ecclesiasticum deducuntur.

Crimina ad forum ecclesiasticum deducuntur:

*a*) per accusationem, quae est delatio delicti et personae delinquentis facta apud judicem ecclesiasticum publicae vindictae et poenae causa.[1]) Accusator autem debet esse vir probus, fidedignus, non inimicus, nec inimicorum familiaris, aliique, qui jure quoque civili ab accusando prohibentur, et fidem non merentur. Accusatio fieri debet per ipsum accusantem coram judice personaliter praesentem, per procuratorem autem non admittitur.

*b*) Per denunciationem, quae est simplex criminis occulti facta superiori revelatio: 1) evangelica, quae ad superiorem ceu patrem, Rei emendandi causa, praemissa tamen fraterna correctione secreto facta, absque obligatione crimen probandi, attamen denuncians saepe tenetur suggerere testes, indicia, probationes ut procedi possit ad inquisitionem; vel 2) judicialis, quae fit ad eundem superiorem qua judicem damni privati reparandi gratia.

*c*) Per inquisitionem, quae est actus, quo judex, an, et a quo commissum sit crimen, ex officio sine delatione aut accusatione inquirit: 1) generalis, qua generatim in delictum, ejusque auctorem, 2) specialis, qua in certam personam an delicti sit rea, inquiritur. Ad generalem sufficit delictum esse patratum, aut rumorem de eo commisso volitare, vel aliquam adesse de crimine commisso justam suspicandi rationem. Ad specialem requiritur; ut de corpore delicti constet, isque, de quo inquirendum est, merito de crimine suspectus, aut infamis sit. Ceterum generalis inquisitio saepe praemittitur, ut hac ratione ad specialem procedi possit.

### §. 182. De Actione.

Quod si facta inquisitione persona indiciis gravata inveniatur. Acta Fisco Consistoriali stabilito contra Reum actoratu, pro apponenda Actione, seu petenda in sensu Canonum poena extradantur, cujus effectus sunt: 1) Reusconventus pendente Actione a muneribus publicis suspenditur; 2) ad novas dignitates admitti, et 3) accusatorem recriminare, nisi forte de majori crimine,

[1]) Schenkl. Tom. II. pag. 776.

nequeat; manet tamen Inactionato suum beneficium, nisi quod pars in provisorem officii impendi possit in quantitate, aut mutua conventione, aut arbitrio judicis determinanda.

### §. 183. De procedura criminali.

Exhibito per Fiscum Consistorialem qua promotorem Libello actionali, Reusconventus coram judicio sua forma citatur, et pro ratione criminis et circumstantiarum potest etiam detineri, et in securo loco custodiri; dein Acta Causae ei vel ejus procuratori pro replica traduntur; testes coram judicio citantur, eorum fassiones authenticantur, inter se et cum Reo confrontantur; si desint sufficientes probae, Reus ad purgationem canonicam per jusjurandum tactis SS. Evangeliis nuncupandum admittitur; denique lata sententia aut absolvitur, aut convictus vel confessus, imo aliquando praesumptionibus violentis gravatus ad poenam condemnatur.

# CAPUT V.

## DE PROCESSU ET JUDICIO MATRIMONIALI.

### §. 184. Judex causarum matrimonialium.

Causae matrimoniales ad judicem ecclesiasticum spectant, cui soli competit de validitate matrimonii et obligationibus ex eodem derivatis sententiam ferre. De effectibus matrimonii mere civilibus potestas civilis judicat. (§. 95. Instr.)

### §. 185. De Judice competente.

Conjuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo, in cujus dioecesi maritus domicilium habet; excepto, si conjugale vitae consortium aut per separationem a toro et mensa, aut per desertionem malitiosam a marito patratam sublatum sit, in priori casu judex competens est Episcopus ille, in cujus dioecesi domiciliata est pars contra quam proceditur, in posteriori autem malitiosae desertionis casu, judex competens est Episcopus, in cujus dioecesi pars deserta domicilium habet. — Peracta citatione mutatio, quae quoad domicilium conjugum posthac interveniret, competentiam judicis non mutat. (§. 89. Instr.)

### §. 186. Exceptio quoad judicis competentiam.

Si nupturientes aut conjuges in causis matrimonialibus citati competentiam tribunalis, coram quo citati sunt, impugnare se posse censent, exceptionem intra decem ab exhibita iis citatione numerandos dies tribunali eidem exhibere tenentur. Exceptione per tribunal pro infundata declarata, sententiam eate-

nus interlocutoriam ad judicem superiorem appellare possunt, cujus enunciatio obligat, nec ulterior datur appellata. (§. 103. Instr.)

## §. 187. De competentia Judicii in matrimoniis mixtis Catholicorum cum non Catholicis.

In matrimoniis mixtis Catholicorum cum non Catholicis, ergo etiam graeci ritus non-unitis, quamdiu una pars catholica est, competens judicium catholicum est. (§. 43. Ehepatent ddto 7. Oct. 1856.) Si unus conjugum, qui tempore initi matrimonii acatholici fuerunt, ad fidem catholicam convertatur, pars non-catholica coram tribunali propriae confessionis matrimonium impugnare potest, sententia tamen via Regiminis provinciae cum catholico tribunali pro cognoscendo, in quantum ea sententia partem catholicam in conscientia obliget, communicanda est. Vicissim pars catholica coram suo tribunali matrimonium accusare potest; et sententia contra valorem matrimonii lata cum tribunali acatholicae partis fine pertractationis via Regiminis provinciae (seu locumtenentiae) communicanda est. (§. 44. et 45. Ehepatent.) Ergo in adducto casu Judicium competens pro parte non-catholica potest esse non-catholicorum tribunal, pro catholica autem parte est iudicium competens catholicum. Quod si tribunal acatholicum matrimonium validum esse enunciaret, liberum est parti acatholicae solutionem vinculi a tribunali catholico postulare, cujus sententia pro nullitate matrimonii lata legale divortii fundamentum constituit. Si autem pars non-catholica divortiari non petat, pars catholica a judicio ordinario civili petere potest, quatenus jura sua civilia ex matrimonio enata ita coordinanda declarentur sicut fit, dum dissolutio vinculi locum habet. Antequam autem solutio vinculi enuncietur, aut ante cognitionem causae per judicem civilem, nulli partium licet ad alias nuptias transire (§. 46. Ehepatent.)

Si conjuges qui tempore contracti matrimonii acatholici fuerunt, sed dein religionem catholicam professi sunt, rursusque ad acatholicismum defecissent, judicium competens relate ad matrimonium illorum est tribunal acatholicorum, idem tamen tribunal contra principia catholica sententiam pronunciare non potest (§. 56. Ehepatent). Pariter si sive unus catholicus, sive uterque conjux catholicus, ad quamcunque acatho icorum confessionem deficiat, matrimonium illorum solvi nequit (§. 57.)

Hae sunt leges civiles in Imperio Austriaco vigentes, quae judicia ac tribunalia respiciunt circa matrimonia mixta et in casibus superiori paragrapho contentis.

## §. 188. De Tribunalis matrimonialis membris.

Quamvis Episcopi soli ex proprio munere sint causarum ecclesiasticarum proinde etiam matrimonialium judices, quoniam

tamen innumeris propemodum negotiis vacare tenentur, ne pro Ecclesia non minus quam statu publico tanti momenti causae matrimoniales moram patiantur, expedire visum est ut in dioecesibus catholicorum Austriacis prout jam antea in aliis Regnis invaluit, a consuetis episcopalibus Consistoriis, distinctum Tribunal pro causis matrimonialibus introduceretur sub praesidio Officialis seu Vicarii causarum matrimonialium Auditoris, cujus persona relate ad judicium cum Episcopi identica sit, a quo ad Episcopum appellata non detur, nisi juxta §. 178. Instructionis, antequam sententia feratur, tribunal matrimoniale ea, in quae decernenda consensit, Episcopo adjunctis rationum momentis subjicienda habet; qui quando sententiam ferendam haud sufficienter fundatam esse censeat, Tribunali matrimoniali injungere potest, ut circumstantias ab ipso indicatas denuo mature perpendat, et de consultationum resultato ad ipsum referat. Praesidi ad Tribunal constituendum adjunguntur per Episcopum minimum quatuor, plurimum sex consiliarii referentes voto decisivo gaudentes omni respectu idonei, item vir idoneus, qui impeditum aliquem Consiliarium supplere queat, tunc tantum voto gaudens, atque Secretarius seu Notarius Tribunalis (§. 97. Instr.)

## §. 189. De vinculi matrimonialis Defensore.

In omni Tribunali matrimoniali adesse debet vinculi matrimonialis Defensor idoneus per Episcopum nominandus, sine cujus praesentia nullus actus judicialis validus est. Defensor matrimonii et in muneris ingressu, et quoties matrimonii cujusdam valorem tuendum suscipit, jurare tenetur, se omnia, quae ad matrimonii vinculum servandum facere possunt, diligenter exploraturum et ad ipsum tuendum fideliter adhibiturum fore. Tribunalis sessionibus intersit. Ad partes audiendas, ad testium depositionis excipiendas, omnesque actus judiciales, quoad quos suas reflexiones sincere enunciare debet, concurrat. Voto tamen ad ferendam sententiam non gaudet. (§. 124. et 125. Instr.)

## §. 190. De Tribunalis matrimonialis ordine et serie agendorum.

Quaecunque Acta causas matrimoniales concernentia praesenta per Praesidem adscripta Protocollo sic dicto Exhibitorum per Secretarium Tribunalis inscribuntur. Protocollum exhibitorum e sequentibus rubricis constet: 1) Nrus currens a 1 a Januarii usque finem Decembris a 1-o continuandus. 2) Quis exhibuit? et quid contineat? 3) Dies et meritum pertractationis 4) Dies expeditionis. 5) Nomen Referentis. Post improtocollationem Actorum, Praesidium quae sua sunt sibi reservat, reliqua Acta distribuit inter Referentes Tribunalis Consiliarios, habita ratione

ad eorum qualificationem, et momentum causarum, item ne unus alterve nimis obruatur, sed ex aequo quilibet agendorum particeps fiat; insuper id quoque attendendum est, ne causa tali Consiliario tradatur, qui in aliqua correlatione ad partes causantes constituitur, qui relate ad talem causam ab aliis quoque functionibus suis abstinendum habet (§. 100.) Consignatis autem Referenti Consiliario Actis, hic suam referadam conscientiose elaborandam habet. Consultis omnibus jurisdicendi fontibus, sicque in Filira votante apposito Titulo causae cum nomine et cognomine partium genuinum et meritorium Exhibiti extractum praemittendo, votum suum depromat, quod praecisum sit, sine repetitione eorum, quae in praemisso extractu jam comprehensa sunt. Quantum autem temporis cuilibet Consiliario pro elaboranda sibi consignata causa admittendum sit, in defectu positivae ordinationis stabiliri quidem nequit, optandum tamen est, ut sedulam operam adhibeant, ut pro sententia ferenda intra 30. dies, secus pro proxima sessione Tribunalis suas referadas elucubrent.

## §. 191. Continuatio, de sessionibus Tribunalis matrimonialis.

Cum jurisstitia relate ad causas matrimoniales qua privilegiatas locum non habeant, sessiones pro cognescendis et pertractandis his causis quocunque per annum die non tamen feriato servari possunt, quos tamen qualibet hebdomade in regula determinatos esse opertet; possunt tamen sessiones pro negotiis praegnantibus etiam extra-seriales per Praesidem indici. Quaelibet sessio est cum invocatione Spiritus sancti inchoanda pleno numero assidentibus Consiliariis, vinculi Defensore, et Secretario, in qua perlectis nefors ad Tribunal dimissis ordinationibus Episcopalibus, atque Jurisdictionum superiorumque Fororum rescriptis et intimatis, Consiliarii ordine senii ex filira votante suas referadas perlegant, provocata autem per partes documenta, vel quae Praeses aut alter Consiliarius per extensum perlegi optaret, alter Consiliarius per extensum perlegat. Referada Consiliarii absque interlocutione est excipienda, excepto si aut Praeses aut Consiliarius quoad aliquod factum dubium haberet, quoad quod Referens interlocutorie petitam dilucidationem praestare debet. Perlecto autem per Referentem voto, vinculi matrimonialis Defensor scriptum suum votum, et in casum si cum extractu Referentis plene contentus non esset, etiam, proprium extractum perlegere debet, post quod Praeses provocat reliquos assidentes Consiliarios ordine quo assident ad vota sua depromenda, quae per singulum votantem motivanda sunt; quod si aliquis Consiliariorum sub sessione votum suum deprumptum mutaret, hoc ipsum quibusve e motivis in Protocollo sessionis exprimendum est, praestitisque per omnes concernentes votis, Praeses juxta

majoritatem votorum, vel si vota paria sunt, accessione sua, et quidem ubi de vinculo matrimoniali agitur, semper pro valore matrimonii conclusum enunciandum habet (§. 99). Quod si objectum tale sit, ut sive Praeses sive aliquis e Consiliariis ad enunciandum votum suum longiori combinatione indigeat, antequam votum suum depromeret, ac conclusum in causa fieret, potest Acta causae cum elaborato Referentis, et vinculi Defensoris pro combinatione expetere. (Vid. Kutschker Tom. V. pag. 514.)

## §. 192. Protocollum sessionis Tribunalis matrimonialis.

De omnibus, quae in singula sessione Tribunalis matrimonialis contingunt, sive scripto legantur, sive oretenus verbis referantur et propugnentur, Protocollum per Secretarium Tribunalis construi debet, cujus partes essentiales sunt: *a*) Objectum, quod discutitur, vel de quo deliberatur; *b*) partes, quas objectum concernit nominentur; *c*) vota et motiva Consiliariorum; denique *d*) conclusum clare expressum. Necessarium autem non est, ut sive extractus causae per Referentem factus sive etiam votum per extensum in Protocollo sessionis describatur, sed succincte duntaxat et summarie exprimatur; quoad votum Consiliarii, qui ante se votum depromenti consentit et nihil novi profert, sufficiat consensum adnotare; quoad eorum Consiliariorum vero vota, qui nova motiva protulerunt, eadem succincte in Protocollo sunt exprimenda; denique relate ad eorum Consiliariorum vota, qui divergens votum enunciarunt, idem cum suis motivis genuine Protocollo inferatur, etiam si tale votum nonnisi formam respiceret.

Formular Protocolli sessionis potest esse sequens:

Nrus, 1. Protocollum dedato 2. Januarii 1859. Tribunalis matrimonialis graeco-catholicorum Magno-Varadinensis, respiciens consultationem quoad Inquisitionem praeviam in causa Nro. 1. matrimoniali conjugum N. N. peractam propter (meritum causae).

Praesentes: Praeses N. Consiliarii N. N. N. N.

Vinculi Defensor N. Secretarius N.

D. Consiliarius N. retulit extractum Actorum sequentibus:

D. Vinculi matrimonialis Defensor ob circumstantias vel ex rationibus . . . projectat . . .

Referens Consiliarius N. idem votum proponit ex iisdem motivis.

D. Consiliarius votat ex motivis: . . .

D. Consiliarius consentit Referenti ex pecularibus quoque aliis motivis. . . .

D. Consiliarius simpliciter Consentit Referenti.

Praeses accedit voto Referentis.

Adeoque Conclusum per majoritatem votorum.

Decernitur Inquisitio probatoria.
N. N. Praeses. N. N. Secretarius Tribunalis.
(Vid. Kutschker Tom. V. pag. 514. et 827.)

## §. 193. Instructio Processus Matrimonialis ad nullitatem vinculi.

Quo magis conscius est Judex ecclesiasticus Matrimonium a Deo indissolubile institutum esse, atque juxta effatum Salvatoris : quod Deus conjunxit, homini separare prohibitum esse, tanto majori cautela opus est Judici ecclesiastico, atque adlaborandum est, ut processus ad nullitatem vinculi matrimonialis ita instructus sit omnes juris formas complectens, ut quantum humanitus fieri potest, nihil Judicem latere possit, quod ad evincendam vinculi firmitatem conducit; quosuper Benedictus XIV. in sua Encyclica „Dei miseratione" sequentia monet: „Ad commissum Nobis pastoralis nostri officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et sacramentis Ecclesiae injuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legi servetur auctoritas. §. 1. Siquidem matrimonii foedus a Deo institutum, quo et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque matrimonii bonis servandis perpetuum et indissolubile esse convenit, et quatenus est catholicae Ecclesiae sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens: Quod Deus conjunxit homo non separet; ad aures Apostolatus Nostri pervenit, inconsulta nimis judicum facilitate in quibusdam ecclesiasticis Curiis infringi atque temere et inconsiderate de eorundem matrimoniorum nullitate latis sententiis potestatem conjugibus fieri transeundi ad alia vota." Ideo de dato 11-ae Aprilis 1741. Episcopis Poloniae subjungit idem summus Pontifex: Ea propter Fraternitates vestras in Domino rogamus et hortamur, ut memores rationum coelesti catholicae Ecclesiae sponso Jesu Christo Judici reddendarum Apostolicis vocibus Nostris obtemperantes ministerium Vestrum ea, qua decet vigilantia adimplere satagatis. Nolentes, ut ullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes emanaverint. Nulla proinde potest dari tam evidens causa, aut notoria nullitas, cujus per unum solum judicem enunciatio ut partes ad alia vota transire possint, sufficiat.

## §. 194. De Accusatore in causis matrimonialibus vincularibus.

Ad instruendum processum matrimonialem requiritur Accusator legitimus ; sic 1) conjux, qui errorem aut injustam coactionem

passus est, nisi sive verbo per renovationem consensus, sive facto per consummationem matrimonii affectu maritali, aut voluntariam sex mensibus cohabitationem continuatam juri accusandi renunciasset, est Accusator legitimus. (§. 116. Instr.) 2) Legitimi Accusatores sunt conjuges, si conditio Matrimonii, cui renunciatum non est, adimpleta non sit. (§. 117.) 3) Accusatores legitimi sunt conjuges in casu impotentiae. (§. 118.) 4) Conjux tempore initi matrimonii impuber. (§. 119.) 5) Rapta, si in exordio libertatis recuperatae matrimonium accuset. (§. 120.) 6) Conjux, quae impedimenti ligaminis existentiam tempore contracti matrimonii sine culpa ignoravit. (§. 121.) Potest autem imo debet Tribunal ipsum matrimoniale etiam sine Accusatore contra matrimonium procedere, quamprimum aut notorietate facti, aut alio modo sufficiens suppetat causa, exceptis casibus, in quibus jus accusandi conjuges privative concernit.

## §. 195. De modo, quo nullitatis declarandae petitio est proponenda.

Matrimonii valorem impugnans, petitionem suam ut nullitas pronuncietur, aut scripto expressam exhibere, aut in gesta redigendam viva voce proponere potest, atque facta, quibus praetensio nullitatis superstruitur, distincte ac plene proponere, probationesque, quas praesto sibi autumat, indicare debet. (§. 126.) Qui matrimonium libello scripto accusat, coram Tribunali matrimoniali aut ejus Commissario personaliter se sistere, atque de scitu necessariis respondere debet; alias accusatio ab eo facta qua mera denunciatio consideranda et tractanda erit (§. 127.)

## §. 196. Modus pertractandi denunciationes de matrimonii impedimentis factas.

Denunciationes oretenus factae in acta redigendae sunt; si scripto proponantur, curandum est, ut auctor personaliter examinetur, ad quaestionem facti quantum fieri potest in clarissimam lucem collocandam. (§. 128.) Si denunciatores per scriptum personaliter examinari nequeant, sub peculiaribus tantum rerum adjunctis fundamento talismodi denunciationis procedi poterit, omnem in casum autem depositionibus in ea contentis utendum est ad ulteriores investigationes instituendas. (§. 129.) Denunciationes anonimae seponendae sunt. (§. 130.) Divulgata fama, quae attentionem mereatur, de impedimento matrimonii in fundamentum ejus inquirendum est. (§. 131.) Quodsi matrimonium incompetenter quidem accusetur, ex allatis tamen liquido constet matrimonium propter detectum impedimentum

irritum esse, ex officio agendum est, ut vel matrimonium convalidetur, vel competens accusator adversus matrimonium reclamet. (§. 132)

## §. 197. Praemittendum tentamen reconciliationis conjugum.

Quodsi impedimentum in jus adductum tale sit, ut quomodocunque se res habeat, consensus conjugis matrimonium accusantis ad illud removendum sufficiat, medio ordinarii animarum Curatoris, aut pro re nata alterius sacerdotis tentandum est, ut admonitionibus opportunis pars matrimonium impugnans ad consensum renovandum permoveatur, aut pro re nata consensus declaratio coram Parocho et duobus testibus iteretur; de quo successu Tribunali relatio praestanda est. (§. 133.) Tentamine vero reconciliationis non succedente atque parte Actorea consilio capto insistente commissionatus Tribunalis ad tentandam reconciliationem quaecunque de factis, a quibus valor matrimonii accusati dependet, comperire potuerit, coram Tribunali per sinceram et conscientiosam relationem detegat. (§. 135.) Quod si ex relatione appareat, aut secus constet conjugem jus accusandi quod habuit amisisse, aut vero factum, cui accusatio innititur, insufficiens quidem esset, attamen assertionis falsitas in propatulo esset, actio haud admittenda, et Actor a petito ni provocatus desistat, per conclusum Tribunalis amovendus est.

## §. 198. Agenda obmotis impedimentis a quibus Episcopi dispensare possunt.

Quando impedimentorum, quae §. 80. Instructionis enumerantur, per Episcopos dispensabilium, quoddam obmoveatur, inquisitio in forma juris instituenda quantum fieri potest evitanda est. Plerisque casibus mediante clero parochiali obtineri poterit, ut dubia factum attinentia eliminentur, Impedimento per libros parochiales, vel depositiones fidedignas comprobato, Episcopus dispensationem impertiatur, et curam habeat, ut convalidatio sine scandalo peragatur. Urgente autem periculo, ne cojuges vel alter eorum impedimento detecto ad consortium vitae dissolvendum abutantur, apud S. Sedem Apostolicam de sanando matrimonio in radice supplicandum est. (§. 129. Instr.)

## §. 199. De Inquisitione praevia.

Quando Judex, seu Tribunal matrimoniale petitionem Actoris legitimi sive scripto exhibitam, sive ore ac verbis propositam et ad protocollum assumptam rejicere nequit, aut ex officio contra matrimonium procedendum habet, judicialem causae pertractatio-

nem decernere debet, et quidem proxime Inquisitionem praeviam, alias informativam dictam, ad eruendum et ad possibilem claritatem constituendum quaestionis statum, omniaque momenta et argumenta, quae sive pro, sive contra actionem afferri possunt, unde causae meritum luculenter appareat, et plene cognosci possit. In causis vincularibus inquisitio haec fieri debet per Commissarium e gremio Tribunalis matrimonialis nominandum praesente pro hoc quoque actu adjurando vinculi Defensore et Grafario seu Secretario. Quodsi autem domicilium conjugum a sede Tribunalis matrimonialis longius distet, Commissarius in partibus nominandus est, cum substituendo matrimonii Defensore et Grafario, qui instructionem ab ipso Tribunali matrimoniali, et matrimonii penes Tribunal fungente Defensore pro substituto et adjurando defensore elucubratam habere debet non modo relate ad interrogationes conjugibus testibusque proponendas, sed etiam de omnibus instruatur circumstantiis, quarum cognitio ad investigationem, prout expedit, dirigendam requiritur. (§. 140. et 146. Instr.) Commissarius autem ad inquirendum deputatus, antequam ad probationes in forma juris instituendas procedat, adniti debet, ut omnium circumstantiarum, quae ad matrimonii valorem vel nullitatem extra dubium ponendam facere possint accuratam acquirat notitiam. Hunc in finem pro conditione casus et personarum necessarias percunctationes faciat; post hoc autem partes sive conjuges personaliter praesentes benevole examinet quaestionibus ad eas dirigendis, quibus meritum causae exhauriatur; dein vero si qui praeter conjuges matrimonium accusarunt et denunciarunt, ad clarificationem omnium circumstantiarum et designandos testes interrogentur, denique testes quoque sine juramento examinentur omnes, qui sive pro matrimonio, sive contra illud producuntur, serie actorum, interrogationibus et responsis protocollo sic dicto Inquisitionis praeviae genuine inferendis. Ad magis eruendam veritatem quoad circumstantias, in quibus enunciationibus denunciantium, aut testium non conveniunt, confrontandi sunt tam conjuges inter se, quam hi cum testibus, imo interdum et testes inter se conformibus interrogationibus ad eos dirigendis, quae una cum responsis pariter protocollo inferendae sunt. Protocollum partibus, denunciantibus et testibus perlegitur, cujuslibet fassio nominis proprii subscriptione, aut si scribere nesciant, signatura crucis † munitur, emendatisque emendandis protocollum concluditur, perque Commissarium et Grafarium adjuratum subscriptione roboratur, (§. 141.) atque Tribunali matrimoniali substernitur, quod aut defectus adhuc suppleri, aut processum probatorium instruendum decernere debet. (§. 142.)

*Nota.* Commissarius praeter instructionem a Tribunali acceptam potest imo debet alias quoque interrogationes, quibus responsa sive conjugum sive testium ansam suppeditabunt, ad majorem rei claritatem libere proponere, sicut etiam ad fidem

producendorum vel exhibitorum instrumentorum, documentorum extra dubium collocandam, cavendum autem est, ne interrogationes nimis prolixae sint, et solum ad meritum rei sagaciter restringantur. Aliquando Inquisitio praevia brevis esse potest: v. g. si denunciatio fiat inter Titium et Bertham impedimentum affinitatis in linea recta primi gradus subversari, si id extractibus matriculae baptizatorum eruatur, ulteriori inquisitione opus non est, nunquam tamen haec praevia inquisitio est intermittenda. Porro observandum, quod tam conjuges quam testes aliique concurrentes, ad causae dilucidationem singillatim atque secreto examinandi sint, ususque depositionum in confrontatione prudens faciendus.

## §. 200. De citatione partium et testium ad inquisitionem praeviam.

Ad inquisitionem praeviam tam conjuges, quam testes ad comparendum citari debent. Ad substantiam citationis spectant sequentia: Primo exprimi debet nomen judicis, ut appereat de illius commissione, quae non praesumitur. Secundo exprimi debet nomen Actoris ad cujus instantiam proceditur. Tertio describendum est nomen citati cum suo cognomine et loco, ne comittatur aequivocatio. Quarto citatio debet esse personalis et, si est scripta, debet tradi ad manus citati, si non est scripta, citatus debet moneri ut compareat coram inquirente. Nuntius debet referre ad manus citati tradidisse citationem, aut monuisse citatum ad comparendum, cujus in Actis mentio facienda est. Si citatus non compareat, pro rerum adjunctis longior terminus pro comparitione est defigendus, si nec tunc compareat, neque se excuset, intentatione censurarum, aut medio Judicii politici eatenus requirendi ad comparendum adstringendus est; si tamen neque sic compareat, convictione ex contumacia in matrimonialibus causis locum non habente procedura continuanda est. Si propter impedimenta citati non compareant, praescribit cap. 8. de test. et attest. „Judex mittere debet examinatorem discretum ad testes recipiendos, qui. ad eum commode venire non possunt. Si qui testium valetudinarii et senes vel debilitate confecti aut paupertate depressi, ita, quod non possint ad vestram praesentiam adduci, ad ipsos excipiendos mittatis personas idoneas et discretas.‘ Secus ad comparendum compellantur (Cap. dilectorum, 10. de test. cogend.): Testes, qui fuerint nominati, praeterquam super criminibus (si se gratia, odio vel timore subtraxerint) per censuram ecclesiasticam cogatis veritati testimonium perhibere. Testes autem evocandi sunt ad expensas illorum, per quos provocantur. Cap. 11. de rescript. in 6.: Delegatus non debet vocare testes, nisi statu cause requirente, et inducens (seu provocans ad testes) illis administrare debet expensas in veniendo, stando,

et redeundo. Idem statuit etiam Bonifacius VIII. Anno 1302. Producens testes, competentes faciat illis ministrari expensas. (Vide Kutschker Tom. V. pag. 785.)

## §. 201. De Advocatis in causis matrimonialibus.

Conceditur quidem ut conjuges coram Commissario inquirente Advocatos secum adducant, et antequam declarationem faciant, eorum consilium expetant: verum eae tantum declarationes, quas ipsimet pronunciant, qua ipsorum mentem explicantes protocollo inserendae sunt. Quod si Advocatus proprio nomine quaedam casum matrimonialem attinentia deponat, haec ita excipienda et tractanda sunt, sicut dum non qua Advocatus comparuisset. Advocato negotio se ingerente Commissarius eum loco excedere jubeat. (§. 143. Instr.)

## §. 202. De Processu probatorio.

In causis criminalibus atque civilibus, processus probatorius per allegationes et replicas Advocatorum pro A. et I. perficitur, in causis autem matrimonialibus juxta Instructionem pro Tribunalibus Imperii Austriaci praescriptam Advocatorum allegationes locum non habent, sed nude jure praescriptis probationis remediis absolvitur. Ad nullitatam matrimonii pronunciandam requiritur plena probatio, contrarium in casum pro valore matrimonii pronunciandum est; hic Instructio §. 147. praescribit: Praesumptio stat pro valore matrimonii, impedimentum plene probari debet. Judex ecclesiasticus in causis vincularibus non tantum quod juridice rectum est, sed et quod objective verum est, debet eruere.

## §. 203. De generibus probationis.

Genera seu modi probationis, quibus Judex in cognitionem veritatis venire potest sunt: Confessio, testes, inspectio per reiperitos, instrumenta, et juramentum.

## §. 204. De probatione per confessionem conjugum.

Confessio conjugum post initum matrimonium contra valorem matrimonii facta omni vi caret; ante contractum tamen accusatum matrimonium elicita rejicienda haud est. (§. 148.) Confessio autem conjugum pro valore matrimonii vim probandi in iis tantum casibus habet, in quibus conjugibus accusandi jus privative reservatum est. Alias praesumptionem tantum generat. (§. 149.) Si conjuges, aut alter eorum ad inquisitionem probatoriam non compareant, non comparitio contra valorem matrimonii nihil probare potest; nec ideo onus probandi matrimonium accusanti incumbens diminui debet. (150.)

## §. 205. De probatione per Testes.

In causis matrimonialibus vincularibus ad probandum requiruntur testimonia testium fidedignorum, suspectorum non admittuntur ad probandum, sunt autem testes fidedigni, qui et possint dicere veritatem et etiam velint. Inhabiles ad testificandum sunt *a*) ob defectum usus rationis; *b*) ob defectum sensus externi; *c*) ob reverentiam servandam inter testem et illum, contra quem deponit; *d*) ob culpam, propter quam quis privatur facultate testificandi; *e*) ob suspicionem vel timorem falsitatis in teste. Porro inhabilitas alia est totalis, per quam testis rejicitur in totum, alia est diminuta, per quam solum diminuitur fides testis. Suspecti autem et quidem absolute 1) impuberes, in quantum ante decimum quartum aetatis annum nemo ad juramentum admitti potest; 2) Infames et Excommunicati, nisi tolerati sint, prout aliarum confessionum christianarum asseclae. 3) Criminosi, imprimis criminis perjurii rei; 4) pecunia corrupti; 5) qui vitam sceleratam ducunt; 6) plane ignoti. Relative suspecti testes sunt 1) in causa quocunque modo interessati, prout Advocati et Procuratores pecunia conducti quoad causam pro qua conducti sunt; 2) qui peculiari praeplacentia erga aliquam partem feruntur ex qualicunque motivo, sicut cognati et affines, excepto si cognatus contra producentem cognatum testimonium ferat, aut si testis utrique parti aequaliter cognatus sit, vel denique si alii idonei testes ad eruendam veritatem haberi non possunt, v. g. quoad impedimentum cognationis; 3) qui erga partem causantem in correlatione adhaerentiae constituitur, v. g. servi pro hero suspecti testes sunt. 4) Amici, aut inimici partium causantium, nisi, si testis ab inimico statuatur, aut pro inimico testimonium ferat.

## §. 206. Peculiares de testium credibilitate in causis matrimonialibus vincularibus praescriptiones.

Instruct. §. 152.

Si conjux matrimonium accusans contra testem, qui suspectus, imo et respective inhabilis censendus est, exceptionem haud faciat, ipse ad testimonium pro matrimonio ferendum admitti potest. Verum quod conjuges contra testem aliquem haud excipiant, rationem nunquam suppeditat, depositionem ejus contra matrimonium directam pro fidedigna accipiendi.

§. 153.

Relationes, quae praesumptionem fundant, testem pro uno aut contra unum conjugum partium studio agi, eas tantum de-

positiones suspectas reddunt, quae in commodum vel praejudicium respectivi conjugis cedunt.

§. 154.

Si testis ad utrumque conjugem tales habet relationes, quae praesumptionem partium studii eodem fere gradu generant, relationes hae per se sumptae haud sufficiunt, ut depositio, quae in commodum unius, sed in praejudicium alterius conjugis cedit, qua suspecta habeatur.

§. 155.

Consanguinei conjugum a testimonio pro matrimonio aut contra illud ferendo tum tantum excludendi sunt, quando ex individua casus natura peculiares oriantur rationes, eos de partium studio suspectos habere.

§. 156.

In dijudicanda credibilitate consanguineorum et omnium personarum, quarum ad conjuges relatio partium studii suspicionem inducit, imprimis considerandum est, an conjuges nullitatem matrimonii exoptent, nec-ne.

§. 157.

Omnes ii, de quibus supponendum est, quod circumstantiarum, quae in nullitatis quaestionem influxum exercent, bene gnari sint, etiam tunc audiri debent, quando qua testes repellendi forent, quia depositiones eorum praesumptiones stabilire, ac viam ulterioribus praecludere possunt dilucidationibus. Nota hujus §. usus imprimis faciendus est in inquisitione praevia, in qua sine juramento fassiones excipiuntur.

## §. 207. De exceptione contra testes.

Non tantum partes, sed etiam vinculi matrimonialis Defensor jus habet contra testes pro matrimonio aut contra illud productos excipiendi (§. 185.) ita tamen, ut exceptio fiat antequam productus testis adjuratus sit, post proclamationem enim fassionum exceptio locum non habet (Innocent. III.) nisi *a*) fuerit reservata facultas excipiendi contra personas vel dicta testium; et nisi *b*) causae suspicionis primum post publicationem innotescant.

## §. 208. De examine testium in processu probatorio.

In inquisitione praevia etiam illi audiendi sunt, qui secus pro testibus acceptari non possunt, dummodo rei, de qua quae-

ritur, notitiam habeant, (§. 157. Instr.) in inquisitione autem probatoria nonnisi testes omni exceptione majores, quos admittere nil impedit, (§. 162.) audiendi sunt, qui, cum jurati tantum testis depositio vim habeat legitimae probationis, praevie tactis sacrosanctis Dei evangeliis jurare debent, se de interrogationum ad eos dirigendarum objecto veritatem, quomodo eam coram Deo et conscientia compertam habeant, plene ac intemerate, quin aliquid addant, omittant vel immutent, edicturos fore, congrua de jurisjurandi sanctitate admonitione praemissa. Ad hoc jusjurandum a testibus praestandum conjuges, ac, si matrimonium a tertio quodam accusetur, isti quoque vocandi sunt. Attamen vocatorum absentia impedire nequit quin jusjurandum excipiatur. (§. 163.) Testium autem examen singillatim et secreto est excipiendum. (§. 164.)

## §. 209. De interrogationibus ad testes dirigendis.

Interrogationes testibus proponendas Commissarius ad inquirendum deputatus concipiendas habet ratione habita omnium, quae in hucusque gestis emerserunt, nec non punctorum interrogatoriorum, quae a partibus forsan exhibita sunt, et communicatis cum matrimonii Defensore consiliis. Matrimonii Defensor jus habet, quae ipsi e re esse videntur, superaddendi, aut etiam petendi, ut interrogationes Tribunali matrimoniali adprobandae proponantur (§. 161.) In concipiendis interrogationibus Commissarius rationem scientiae testis exploret, (nam nihil operatur fassio, ubi dicti nulla affertur ratio) an videlicet ex visu vel auditu fateatur? et quare hoc asserat? quo tempore, anno, mense, die, hora ac quibus praesentibus, quo loco, quoties etc. res gesta sit? an immediate, vel solum mediate et ex alieno ac cujus auditu rem sciat etc.? Praemittendae autem sunt etiam in hac inquisitione probatoria quaestiones generales. Quomodo vocaris? cujus aetatis, Religionis, status, characteris? ubi domiciliatus? Utrum et in quo gradu cum partibus causantibus cognatus aut affinis? Utrum oppositae parti inimicus, et in quo inimicitia consistat? Utrum ab exitu causae lucrum aut damnum exspectet? in quo lucrum aut damnum consistat? Utrum aliquis indictaverit aut consuluerit quid et quomodo fateatur? Utrum pro fassione nihil adpromissum ipsi sit aut acceperit? Quid et a quo? Sequuntur interrogationes speciales. Observa: necessarium non esse ut in protocollo super investigatione probatoria ad singulum testem interrogationes generales per extensum exscribantur, sed sufficit si id ad testem primum fiat, et quoad reliquos testes adnotetur: testis v. g. secundus ad interrogationes generales respondit: Joannes Szabo 24. Annorum graeco-catholicus, civilis conditionis etc. Terminato autem examine testium in praesentia pro hoc quoque actu adjurati matrimonii Defensoris protocollum ducente Notario pariter jurato testibus perleguntur fassiones, sicut et

partibus eorum declarationes, ut si quid mutare velint, modificent, fassionesque suas nominis subscriptione muniant, dein concluditur Protocollum atque subscriptione Commissarii et Notarii solemnizatur.

## §. 210. De vi probandi per testes.

Canones decernunt, ut judicium superstruatur talium testium confessioni, qui circumspecti et omni exceptione majores, censeri possunt. Ad ferendam sententiam requiruntur minimum duo testes omni exceptione majores, dicente Alexandro III. Pontifice Anno 1157-o juxta illud Domini: In ore duorum vel trium stet omne verbum. Quia licet quaedam sint causae, quae plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quae unius tantum testimonio quamvis legitimo terminetur. Dum autem plures testes pro et contra praesto sunt, juxta Innocent. III. Anno 1200. „Cum igitur hinc plures, inde vero sint testes numero pauciores producti, quos non solum diversa, sed adversa penitus in quibusdam constat testimonia reddidisse; quia etiam ad multitudinem tantum respicere non oportet, sed ad testium qualitatem, et ad eorum deposita, quibus potius lux veritatis assistit, ex quibus motum animi sui convenit judicem informare; (testes non sunt numerandi, sed ponderandi.) Testes autem omni exceptione majores sunt de quibus probatum est eos esse intemeratae probitatis et suppositioni, quasi perjurio conscientiam suam gravare possint, locum haud esse, qui testentur in objecto principali ex immediata experientia. (Vid Instr. §. 165.)

## §. 211. De investigatione et probatione per rei peritos.

Ad obtinendam in quibusdam casibus plenam probationem inspectione per fidedignos artis vel reiperitos opus est, de qua inspectione in Decretalibus mentio fit, sive quum agitur de dissolvendo matrimonio ob impedimentum impotentiae (Cap. lit. 7. de frigid.) sive si sponsa post matrimonium ratum ingredi velit monasterium et dubitatur, an a viro cognita sit; item in impedimento vis et metus, si matrimonium consummatum non esset, aut dispensatio in matrimonio rato et non consummato petenda esset, denique raro etiam relate ad impedimentum amentiae pervestigatione per rei peritos certius ad veritatis cognitionem perveniri potest (cap. 14. de probat). Ad hanc inspectionem vel pervestigationem necessarii per ipsum Tribunal matrimoniale designari debent, qui sint saltem duo scientia et integritate praestantes, ab omnique partium studio vel collusione cum partibus immunes qua testes omni exceptione majores ante actum inspectionis praevie adjurati, contra quos secus eaedem valent exceptiones, quae ipsis, si testes agerent, opponi possent. Reiperiti

juxta Comissarii ad inquirendum deputati instructionem a vinculi etiam matrimonialis Defensore ad probandam investigationem debitam instituere, atque de resultato scriptum testimonium praestare debent. (§. 166. et 167.) Mulieres solae seu obstetrices adhiberi non debent, partim quod peritiae earum non plene fides dari possit, partim quod (juxta Cap. 10. de verborum signif.) varium et mutabile testimonium semper femina produxerit, saltem unus medicianae doctor adhibeatur cum obstetrice. Et si duo rei-periti omni exceptione majores relate ad praetensum impedimentum impotentiae unanimes declararent, impotentiam esse, insanabilem, et absolutam ipsamque matrimonium praecessisse pars cujus impotentia asseritur petere potest, ut tertius quoque rei-peritus adhibeatur. Si autem impotentia tantum pro respectiva declaretur, conspirans saltem trium reiperitorum consultum ad probationem plenam requiritur. (§. 174, Instruct)

## §. 212. De probatione per instrumenta.

Probatio, si per authentica litteraria instrumenta fiat, praevalet probationi per testes factae; unde tritum illud: contra authenticum litterale instrumentum humanum testimonum non admittitur, (ob praesumptionem juris et de jure, quae nonnisi evidentibus argumentis possit everti. Cap. 10. de fide instrum. ut si sufficienter probaretur Notarium v. g. in instrumento subscriptum anno dati jam fuisse mortuum.) Unde probatio per testes seu testimonia humana nonnisi in defectu litteralium authentice confectorum documentorum per alterutram partem produci nequeuntium in jure foroque contradictorio locum obtinet. Sunt antem instrumenta literaria, documenta, et quidem publica, a persona publica i. e. publica auctoritate ad exarandum et expediendum documentum auctoritata, talia documenta publica sunt libri matriculares parochiarum, sententiae per Notarios publicos judiciorum exstradatae etc. vel privata documenta, quae non publica auctoritate sed a personis privatis exarantur. Porro documenta sunt vel orginalia, scripta ab iis, quorum subscriptionem exhibent, aut copiata, seu ex originalibus descripta transumpta. Documenta publica relate ad facta, de quibus sonant, p'enam probam efficiunt, qui contradicere his vult, supposita eadem esse demonstrare obligatur. Suppositum vel falsificatum esse aliquod documentum publicum verificari potest testimonio officii, a quo illud documentum emanavit, quod partibus erga recursum expediri debet. Documenta privata, documenta de facto circa quod auctor interessatus non est, sola nunquam, sed solum cum aliorum testium fassionibus conferunt ad probandum (Confer. Kutschker V. Band. pag. 872. et 873.) Instrumenta autem debent judici in origine exhiberi, quorum genuinitas si in dubium vocetur, in quantum contra matrimonii valorem producta essent, eadem depositionibus conjugum aut talium personarum, quae qua testes

aut suspectae aut inhabiles reputari deberent, probari nequit. (§. 168. Instr.)

## §. 213. De juramento conjugum ad probationem.

Juramentum est legis remedium suppletorium ac subsidiarium, eo quod propter probationum inopiam adhibetur, quod in unico casu per conjuges depositum plenam probationem efficit, videlicet: quando aut probatum sit, matrimonium nondum consummatum esse, aut nullitatis declarandae petitio intra tres a matrimonio contracto annos proponatur, simulque impotentiam adesse, non tantum ab utroque conjuge asseveretur, sed etiam a duobus rei peritis fide dignis qua valde verisimile adstruatur, tali casu si conjuges per triennium vitae consortium continuaverint, et tamen matrimonium consummare non possint, renovata divortii petitione juramentum a conjugibus de existentiae impotentiae praestitum plenam probationem efficit (Instr. § 175.) secus, jusjurandum a conjugibus praestitum aeque ac eorundem confessio probationem de impedimento obtinente suppeditare aut supplere nequit. (169. Instr.) Pro matrimonio autem juramentum conjugis matrimonii valorem asserentis qua probatio admitti potest, si impedimenti natura prohibeat ne ex officio procedatur. (§ 171. Instr.)

In quantum vero ad probandam circumstantiam, a qua jus matrimonium accusandi dependet, jusjurandum conjugis matrimonium accusantis admitti possit, tribunal matrimoniale in singulis casibus perpendendum et decernendum habet. (§. 170. Instr.) Cujus usus fieri potest relate ad impedimentum ligaminis, dum jus accusandi matrimonium parti tantum innocenter impedimentum ignoranti competit (Kutschker Tom. III. §. 129.) item relate ad impedimentum vis et metus, dum jus accusandi matrimonium vim aut metum passo tantum tunc competit, si juri huic, cessante vi et metu per spontaneam cohabitationem aut copulam affectu maritali continuatam non renunciasset; insuper relate ad consensum conditionatum in matrimonium, (Idem §. 245.) denique relate ad jus accusandi in matrimonio per procurationem contracto. (Idem §. 248. Nro. 2.)

## §. 214. De conclusione processus probatorii.

Instructio pro Tribunalibus praescripta quoad conclusionem processus probatorii §. 176. praescribit: „Absoluto processu probatorio conjuges et quicunque matrimonium accusaverit, nec „non Defensor matrimonii monendi sunt de eo, quo pollent jure, „in hucusque acta animadvertendi. Exceptiones si quas habeant „intra octiduum proponant. Ratione quidem domicilii interessa„torum terminus quidem hic prolongari potest, ita tamen, ut „major quam necessaria sit mora non concedatur.“ Item §. 177. Et tribunal matrimoniale et matrimonii defensor ex officio eas

possunt ordinare investigationes, quae ad proceduram quoad probationes complendam necessariae ipsis videntur; quibus intra praefixum terminum praestitis processus pro concluso, et causa pro sententia ferenda matura et qualificata pronunciatur.

*Nota.* Cum sententiae in causis matrimonialibus vincularibus nunquam abeant in rem judicatam, quandocunque liberum est, etiam post latam in foro appellatorio quoque sententiam, idoneas probas pro valore matrimonii producere.

## §. 215. De sententia in causis vincularibus.

Concluso processu probatorio, praestitisque omnibus de jure et instructione praestandis, atque tam partibus quam vinculi matrimonialis defensore causam pro ferendo finali judicio submittentibus, tribunal matrimoniale ad pronunciandam sententiam finalem controversum matrimonium validum aut invalidum esse procedere debet, hocque scopo inrotulatis actis seu in unum corpus causae redactis appositoque numero rotuli in protocollo exhibitorum, per Praesidem designatus Referens, qui communiter commissarius tribunalis ad inquirendum deputatus, seu qui processum probatorium instruxit esse solet, extractum causae conscientiose elaborare debet, atque in sinistra parte sive latere filirae votantis essentialem complexum pertractatorum, et probationum quoad singulum factum productarum cum praecisione exhibere. Essentiale in hoc extractu causae est totum id, quod pro examine projecti sententiae momentosum est. Sed non tantum producta facta, verum contrariae vel oppositae partis contradictiones, insuper loca decisiva documentorum, et instrumentorum extractu causae comprehensa esse debent, per quae votantes consiliarii in statum constituantur causam ita fundate dijudicandi, ac si omnia causae acta soli perlegissent. Extractui causae dein subnectit Referens projectum sententiae et suum votum, suoque nomine subscribit.

*Nota*: Referens quidem obligatus est omnia argumenta momenta et motiva contra valorem matrimonii in claram lucem constituere, sed etiam eadem argumenta stricte examinare, atque sic matrimonium contra omnem arbitrariam impetitionem protegere. (Kutschker Tom. V. pag. 926.)

## §. 216. De modo enunciandi sententiam vincularem.

Causae Referens elaboratum suum sive extractum causae et projectum sententiae in plena sessione tribunalis matrimonialis praelegit, ipsa autem provocata documenta unus e reliquis tribunalis assessoribus aut quoad decisiva loca tantum, aut vero ad postulatum praesidis et cujuscunque cojudicis per extensum perlegere debet. Idem obtinet etiam quoad depositiones seu fassiones testium. Nec praeses nec etiam cojudicum aliquis interloquatur, aut votum suum antequam ordo ad illum veniat

depromat, sed Referens usque dum referadam terminaverit cum attentione est audiendus, et postmodum si qnis clarificatione opus habeat, poterit a Referente postulare. Post haec consiliarii per Praesidem juxta dignitatem priores ad vota sua depromenda provocantur, et conclusum cum Episcopo communicatur. Quod si votum Referentis acceptatum et probatum est sive unanimiter sive per majoritatem, conclusum ad referadam Referentis adscribitur, videlicet: Voto Referentis tribunal accedere, seu votum ad conclusum elevatum esse, adnotata die sessionis et membris tribunalis praesentibus, cum observatione unanimiter vel per majoritatem, quae observatio per Praesidem et Protocollistam subscribenda est. Quodsi conclusum non unanimiter latum sit, in filira votante Referentis clare et determinate adnotandum est votum per singulum consiliarium deprompturn una cum argumentis et motivis pro eo propositis, nec reticendum est cui voto praeses accesserit. Conclusum ipsum in eadem filira Referentis exhibendum est cum provocatione ad motivationem singulorum votorum, et observatione, quae motiva et rationum momenta pro determinantibus per majoritatem acceptata sint. Cuilibet consiliario jus est suum votum cum motivis scripto exhibendi et praetendendi ut illud actis adnectatur.

In protocollo sessionis, in cujus exordio Tribunal, dies sessionis, praeses et consiliarii adferendi sunt, solum numerus causae, cum designatione partium causantium, objecti, et circumstantiae quod conclusum sive sententia unanimiter, aut per vota majora pronunciatum sit adnotatur. Quod si minoris momenti modificationes fieri debeant, emendatio et correctio per Referentem fieri debet, si autem causa principalis contra Referentem decisa sit, aut vero totum operatum Referentis novitus elaborandum veniat, hoc novum elaboratum cum determinantibus motivis illi consiliario committendum est qui primus contra projectum Referentis votum deprompsit. (Kutschker Tomo V. p. 927. et 928.)

## §. 217. De sententiae notificatione et communicatione.

Sententia partibus per apparitorem dimissa etiam copia notificatur; de quo peracto fides in scriptis facienda erit. (Instr. §. 195.) Loco apparitoris, potest etiam alteri commissionato tribunalis, uti parocho, notificatio et communicatio vel traditio parium sententiae committi, qui eatenus tribunali scriptam relationem praestare tenetur; necessaria est haec sententiae communicatio ideo quoque, ut partes de tenoribus sententiae latae edoctae jure suo intra admissum terminum remedium apellationis interponendi uti possint.

## §. 218. De remedio contra sententiam vincularem, de Appellatione.

Remedium contra sententiam vincularem est appellatio a judice inferiori ad superiorem. Appellatio admittenda est, donec matrimonii validitas per duas aut ejus invaliditas per tres sententias conformes pronunciata sit. Duabus sententiis pro matrimonio et duabus contra illud militantibus, matrimonium pro valido tenendum est. Pro appellationibus sequentes regulae inserviunt: 1) Prima instantia sententiam pro validitate ferente, matrimonium accusans ad secundam instantiam appellare potest. Quodsi validitas in secunda instantia confirmetur, nulla amplius appellatio locum habet. Si matrimonium in secunda instantantia pro invalido declaretur, matrimonii defensori incumbit, ex officio ad tertiam provocare instantiam. Si tertia instantia pro matrimonii valore judicat, ulterior haud obtinet appellatio. Quando autem contra valorem decernat, defensor matrimonii petere debet, ut quarta constituatur instantia, pro cujus sententia matrimonium vel validum vel invalidum reputetur oportet. 2) Si prima instantia matrimonium invalidum declaret, matrimonii defensor ex officio appellare debet. Si secundae instantiae judicium pariter invaliditatem pronunciet, defensor matrimonii, nisi prostantes invaliditatis probationes omne dubium secludant, causam ad tertiam instantiam deferre tenetur. Invaliditatis sententia per tertiam quoque instantiam lata, ulterior appellatio institui nequit. Si validitatem ea pronunciet, actori liberum est petere, ut quarta constituatur instantia, et hujus sententia qua finalis habenda est. 3) Quando in prima et tertia instantia adversus matrimonium, in secunda autem pro eo sententia fertur, matrimonii incumbit defensori, quartam petere instantiam. 4) Appellatio a defensore matrimonii interposita ex sua natura parti simul prodest, quae pro matrimonii validitate agit. Liberum nihilominus ipsi est, eamdem apellationem independenter a matrimonii defensore interponere; consultum tamen, ut cum eo hoc de negotio consilia conferat. 5) Relate ad appellationes, quas interponere defensor matrimonii muneris sui ratione obligatur, nulli habentur dies fatales. Si intra terminum praescriptum appellationem haud insinuet, judicium, a quo appellare debet, ipsum, ad officium suum implendum compellat, vel pro casus ratione etiam ad Episcopum ea de re referat et proponat, ut matrimonii defensio alii viro omni ex parte habili concredatur. (Instr. §. 179—184.) 6) Appellatio apud tribunal, contra cujus sententiam directa est, intra decem a sententia communicata dies annuncianda venit; tribunal vero intra triginta dies, qui pariter ab intimatione peracta computandi sunt, acta ad instantiam superiorem mittere debet. Pars appellans ea de re certitor reddatur

et commoneatur, quod intra triginta ab intimata hac injunctione dies gravamen ad judicem, ad quem appellatio secundum juris ordinem interponenda est, deferre teneatur. Supplicatio de longiori tempore concedendo tribunali, cujus sententia impugnatur, proponi debet; nec ei absque gravi causa annuendum est. Si pro rerum adjunctis necessarium sit, ad Sedem Sanctam preces de delegato nominando dirigere, tribunal, quamprium de nominatione peracta notitiam ex officio nactum sit, ad actorum transmissionem absque ulla mora procedat. (Instr. §. 102.)

## §. De ordine Instantiarum.

Appellatio ab Episcopo dioecesis ad Metropolitam provinciae ecclesiasticae, a Metropolita vero ad Sanctam dirigitur Sedem. Idem locum habet, quando res secundum legis ecclesiasticae tenorem ad quartam instantiam devolvi potest vel debet. Causae, quas Metropolita vel Episcopus exemptus in prima instantia cognovit, in secunda quoque a Sede Apostolica judicatur. (§. 101. Instr.)

## §. 220. Modus procedendi in superiori Instantia.

Judex, qui in superiori instantia sententiam fert, non tantum in inferioribus instantiis gesta diligenter examinet, sed etiam omnia peragat, quae necessaria ducit, ut defectus suppleantur, dubia dilucidentur et errores corrigantur. Hunc in finem conjuges examinare, de instrumentis ad probandum productis investigationes instituere ac testes, a quibus novas informationes sperat, audire potest. Experimenta tamen per rei peritos facta, tunc tantum iterari debent, quando indiciis praesumptionem gravem generantibus probabile reddatur, aut errorem aut partium studium intercessisse. Tam partes quam defensor matrimonii jus habent, in superiori instantia novas probationes afferendi. (Instr. §. 185. et 186.)

## §. 221. De nullitate sententiae et procedura relate ad eam.

Sententia nulla est, si a judice haud competente lata vel actus judicii essentialis aut prorsus omissus, aut quin matrimonii defensor adhiberetur, institutus fuerit. Attamen valor sententiae a judice superiore latae ideo, quod inquisitionem ulteriorem habere necessarium haud duxerit, sed secundum allegata causam deciderit, impugnari minime potest. (Instr. §. 187.) Nullitatis actio intra tempus appellationibus praefixum coram judice proxime superiori instituenda est quumve conjuges exceptionem incompetentiae intra decem a citatione intimata dies proponere debeant, (§. 103.) jure exciderunt sententiae latae

nullitatis assertionem oggerendi, superior tamen judex sententiam propter competentiae defectum ex officio irritam declarare potest. (§. 189.) Sententia de nullitatis actione lata appellationem haud admittit. (190.) Processus pro nullo declaratus coram eodem judice aut, quando ob competentiae defectum irritatus sit, coram judice pro competente pronunciato forma debita iterandus est. (§. 191.)

## §. 222. De convalidatione etiam post sententiam nullitatis matrimonii latam tentanda.

Etiamsi matrimonium irritum esse, tribus conformibus sententiis enunciatum sit, si tamen impedimentum ejusmodi sit, ut renovatione consensus, aut impertita dispensatione e medio tolli possit, Episcopus, nisi gravis causa contrarium suadeat, agere debet, ut matrimonium convalidetur. Si autem natura impedimenti dispensationem excludat aut conamen adducendi convalidationem, effectu careat, nullitatis matrimonii sententia partibus annuncianda est, atque partes prohibendae sunt, ne amplius sibi cohabitent. (§ 192. et 193.) Sententia autem cum Gubernatore provinciae communicanda. (§ 195.)

## §. 223. Sententiae definitivae effectus juridicus.

Sententia de matrimonii valore dicta nunquam in rem judicatam abit. Si post temporis probetur, eam suppositione erronea niti, causa denuo in jus vocanda et forma debita pertractanda est. Si contingat, ut sententia matrimonii nullitatem pronuncians retractetur, eo ipso matrimonia cuncta, quae conjuges intermedio forsan tempore inierunt, pro irritis declarata sunt. (§ 196.) Excepto casu, de quo § 196. agit, inquisitio de matrimonii valore tum tantum quando sententia primae instantiae irrita declaretur, tamquam de novo iterum institui potest. (§. 107.) Ille, cujus impotentiae pro absoluta et insanabili declaratae sententia nullitatis innititur, ad nuptias ineundas admitti nequit. Quando postea quomodocunque pateat, eum ad matrimonium consummandum aptum esse, redintegratur conjugium prius ab eo initum. (§. 198.) Per se liquet, conjuges antequam finalis nullitatis sententia lata sit, ad novum contrahendum matrimonium nullatenus admitti debere. Quamvis autem conjunctio ante sententiam finalem inita nunquam non illicita valde sit, immo iisdem ac polygamia poenis ecclesiasticis subjaceat, tamen, si processus, qui agitatur, nullitatis declaratione terminetur, nec aliud quidpiam praepropere copulatis obstet impedimentum, pro vero reputari debet matrimonio. (§. 199.)

## §. 224. Instructio processus matrimonialis ad separationem a toro et mensa.

Cum conjuges religiosam habeant obligationem in conjugalis vitae consortio mutuum sibi adjutorium praestandi, evidens est ab hac obligatione se ipsos non, sed solum per Ecclesiam virtute potestatis ligandi et solvendi eidem divinitus data dispensari posse. Dispensatio proinde ab obligatione ex vinculo matrimoniali derivata conjugale adjutorium praestandi, et hoc scopo consortium conjugale continuandi est separatio a toro et mensa, ad quàm impetrandam peculiaris processus instructio praescripta est. Qua de re concilium provinciale graeco catholicorum Maronitarum de Anno 1736. decrevit: „Ubi contigerit, „tori separationem invito altero conjuge fieri debere, ut propter „adulterium vel saevos mores, aut vitae vel animae periculum, „praecipimus, ut id non privata alterius conjugis auctoritate fiat, „sed ex sententia Episcopi.“ Est autem separatio a toro et mensa alia perpetua, si fiat ad tempus vitae; alia temporaria, si fiat ad tempus indeterminatum. Separatio perpetua pronunciari potest ex unica causa adulterii, cujus effectus est, ut maritus ad recipiendam adulteram uxorem etiamsi subsecuta ejus emendatione nunquam compelli possit, nisi et ipse simili fornicatione pollutus fuerit, temporaria autem separatio ex pluribus causis ad tempus subsecutae emendationis vel morbi malive sublati conceditur.

## §. 225. Causae separationis quoad torum et mensam.

Causas separationis quoad torum et mensam Synodus graeco-catholicorum Maronitarum sequentibus expressit: „Praeter „fornicationem seu adulterium, in quo casu conjugi innocenti li„citum est nocentem a toro dimittere, sunt quaecunque crimina, „ex quibus aut salutis animae, aut sanitatis corporis, aut vitae, „aut saevae cohabitationis periculum timetur.“ Qua de re Instructio pro Tribunalibus austriacis praescripta sequentia continet: „Conjuges ad vitae consortium eatenus tantum obligantur, „quatenus id absque animae, vitae vel sanitatis periculo conti„nuare possunt. Quodsi conjux a fide christiana deficiat, quod„si alteram partem ad defectionem a fide catholica, ad vitia vel „crimina sollicitet, quodsi injuriis realibus vel insidiis vitam ejus „et sanitatem in periculum adducat, quodsi ei acerbiores animi „afflictiones per longius tempus intentet, etiam quando malo „corporali diuturno contagiosoque laboret, alteri parti supplica„tione proposita concedendum est, ut a toro et mensa separe„tur, usque dum conjugale vitae consortium, quin periculum sa„luti suae aeternae vel temporali immineat, renovare possit. (§. „208.) Conjux, quem altera pars malitiose deseruit, separationem

„a toro et mensa petere potest, usque dum desertionis reus „animum ad officia conjugalia adimplenda paratum sufficienter „probaverit. (§. 209.) Etiam propter tales officiorum transgres„siones, quae juribus bona temporalia attinentibus, vel honori „civili alterius conjugis grave afferunt detrimentum, aut urgens „parant periculum, temporalis a toro et mensa separatio pro„nunciari potest.“ (§. 210.)

## §. 226. Actio de separatione a toro et mensa.

Dum in causis vincularibus praeter conjuges alii quoque actores esse possunt (§. 115.) imo ipse judex ex officio agere, in causis separationis quoad torum et mensam soli conjuges legitimi actores sunt, qui tamen prius propositum suum suscitandae actionis suo parocho insinuare debent, hicque utramque partem coram se evocabit, et cuncta, quae lex Dei et foederis conjugalis dignitas suppeditat motiva graviter simul et amanter adhibebit, ut conjugale vitae consortium intactum servetur. Si animos conciliare non valeat, secundo et tertio id ipsum octiduo saltem quavis vice interposito efficere conetur. Tertium tamen omitti potest experimentum, quando animorum exacerbatio successus spem adimat, aut in patulo sit, actorem vitae consortium continuare non posse, quin aeternam aut temporalem salutem urgenti exponat periculo. (§. 211.) Si reus comparere recusat, parochus jus habet, cum magistratus civilis interventu ad obedientiam praestandam compellere. An autem praesentia coactione obtenta finem juvare possit, secundum rerum adjuncta dijudicandum erit. (§. 212.) Quodsi parochus frustra pacificationem tentavit, Praesidi Tribunalis matrimonialis desuper referat, et casu, quo tertium experimentum ad pacificationem intermisisset, hujus quoque rationem reddat, cum opinione sua, an et quatenus gravamina allata ipsi fundata videantur. (§. 213.)

## §. 227. Libellus Actionalis.

Libellus actionalis est separationis a toro et mensa decernendae petitio sive scripto, sive verbo ad protocollum tamen assumpta, exhibens causam, ex qua actor se jure vitae communionem tollendi pollere arbitratur, cum indicatione praestandae probationis mediorum. In libello actionali simul exponendum est tempus, cujus hucusque lapsu matrimonium duravit, et quodsi liberi ex eo procreati sint, numerus eorum et aetas.

## §. 228. Inquisitio praevia.

Quamprimum Libellum actionalem ad separationem quoad torum et mensam Tribunal matrimoniale sive immediate, sive a Commissario perceperit, nisi rationes aperte insufficientes sint, investigationem praeviam per deputandum ad eam Comissarium

ex judicibus Tribunalis, aut si partes a loeo Tribunalis dissitae forent, per alium idoneum ecclesiasticum virum peragendam decernere debet. Conjuges ad hanc praeviam inquisitionem personaliter comparere tenentur. Advocatorum qua consultorum opera uti quidem possunt, sed sicut in processu vinculari eae tantum enunciationes, quas conjuges ipsi faciunt vigorosae esse possunt. (§. 216. et 217.) Commissario ad inquirendum deputato semper etiam Secretarius ad protocollum ducendum adjungatur. (§. 214.)

## §. 229. Procedura in inquisitione praevia.

Ante omnia tentandum est, an negotium absque probationibus in rigore juris talibus terminari possit. Conjuges singuli benevole examinari atque tum sibi invicem confrontari debent. Cuilibet parti assertiones alterius una post alteram ordine, quem successio temporis vel nexus inter causam et effectum indicat, proponendae sunt, et instandum ut praecise respondeat. Si una pars ad instrumenta privata provocet, altera interroganda venit, an eadem genuina agnoscat? Testes, quos partes nominaverint, in quantum adhiberi possint, examinandi ac si necessarium videatur, sibi invicem nec non conjugibus confrontandi sunt. (§ 218.) In hac inquisitione praevia qua testes tales quoque admittantur personae, quarum depositiones probationem judicialem fundare non possent, apud quas tamen accurata factorum, de quibus quaestio versatur, notitia merito supponitur. (§. 220.) Imo Commissario ad inquirendum deputato competit, etiam personas, ad quas qua testes partes non provocarunt, quarum depositionibus quaestionem facti dilucidatum iri sperat, interrogare. An conjugibus confrontari debeant, prudenti ejusdem judicio relinquitur. (§. 220.)

## §. 230. Pertractatio causae post praeviam inquisitionem.

Protocollum de inquisitione praevia exceptum Tribunali matrimoniali proponendum est, et quando, ad quae actor provocavit, per confessionem rei vel per instrumenta, quae omnem exceptionem excludant, extra dubium jam posita sint, Tribunal matrimoniale ad sententiam ferendam procedit; secus, processum probatorium instituendum decernit. (§. 221.) Reo, si postulet, petitionis ab actore scripto propositae vel actorum, in quae oretenus facta petitio actoris redacta sit, copia extradanda et terminus statuendus, intra quem responsum vel scripto exhibeat, vel in acta redigendum viva voce praestet. Alias separationis pronunciandae petitio ipsi praelegatur, et quae ad se, et conjugale vitae commercium tuendum adtulerit, in acta redigantur, sive ad protocollum assumantur. (§. 222.)

## §. 231. Processus probatorius in causis separationis quoad torum et mensam.

Dum in causis vincularibus de eruenda veritate quantum humanitus fieri potest objectiva, et animae salute agitur, ideoque in iis processus probatorius strictissimus esse debet; in causis separationis a toro et mensa cum tantum de justitia legali et jure personali sermo sit, processus probatorius non tantopere strictus esse potest, ideo juxta §. 223. Instructionis: Admittendi sunt etiam testes, quibus ea, contra quam deponunt, pars exceptiones haud oggerit, etsi aliunde qua suspecti vel inhabiles repelli deberent. Quaestiones pro examine testium concipit sicut in causis vincularibus Commissarius ad inquirendum deputatus ratione habita punctorum interrogatoriorum, quae partes forsan obtulerunt. Quoad jusjurandum testium procedendum sicut in causis vincularibus. (§. 225. et 226. Instr.)

## §. 232. Inquisitio per reiperitos.

Reiperiti quorum consultum necessarium forsan sit, a Commissario ad inquirendum deputato seligendi sunt ; de exceptionibus eis oppositis Tribunal matrimoniale decernit. Reiperiti adjurati esse debent, saltem dum munus auspicati sunt, juramento deposito se ad veritatem in consultis dandis sancte servandam obstrinxerint. (§. 227.) Per depositionem conformem duorum testium juratorum, et fidedignorum, nec non per consultum conforme duorum reiperitorum fide pariter dignorum plena probatio efficitur. (§. 228.)

## §. 233. Adulterium probandi modus.

Adulterium est omnis species luxuriae, in qua conjux vere dividit carnem suam cum alio vel alia, et libere quidem ac voluntarie, idque sive per copulam naturalem, sive per copulam sodomiticam vel bestialem perfectam; idest, sive per commixtionem, vel congressum naturalem, sive contra naturalem cum hominibus, quod est sodomia, vel cum animalibus, quod est bestialitas, quia in omni casu violat adulter fidem matrimonii carnem suam in alium vel aliam dividens, unde oritur jus separationem petendi. Adulterium autem debet esse perfectum, seu consummatum per seminationem in alio, per quam fit carnis divisio. Porro adulterium debet esse formale, seu illud committenti imputabile. Non est autem imputabile *a)* si uxor probabiliter credens, virum decessisse, alteri nubit. (can. cum per bellicam C. 34. qu. 2.) Nam tum non est adulterium formaliter, et culpa vacat, nisi conjux de vita prioris conjugis certificatus stetisset in secundo illo matrimonio, debitum reddens aut pe-

tens, quia tunc jam vere reus est adulterii. Idem dicendum, si conjux jam dubius de prioris vita (ante adhibitam sufficientem diligentiam) petit debitum. Nam cum illa copula sit spontanea, non vacat adulterii culpa. *b*) Si uxor fuit violenter cognita seu vi oppressa (can. ita, et Canon proposito, C. 32. qu. 5.) metus non sufficit ad excusandum vel non imputandum. *c*) Si conjugi commisceatur alter sub mariti specie latens et bona fide ex parte conjugis (Can. in lectum, C. 34. qu. 2.) Ad probandam hanc conjugis bonam fidem sufficit ejus juramentum, habito respectu ad ejus honestatem et alias probabiles conjecturas. *d*) Si matrimonio ab infidelibus inito datoque libello repudii conjux dimissus ad aliud transeat matrimonium, non poterit repudians objicere conjugi repudiato consummationem illius secundi matrimonii, quae adulterinm est, quo ab illo divertat (cap. gaudemus, de divort. in fin.) quia infideles existimant matrimonium solvi per repudium juxta illorum ritus celebratum ac subinde ratione ignorantiae excusatur copula illa ab adulterio. Idem valet de repudiante; nam uterque conjux se legibus matrimonii solutum existimat. Probatur autem adulterium perfectum et imputabile per propriam partis adulterae confessionem; per prolem ex adulterio natam; per factam in actu adulterii deprehensionem; idoneos testes; per instrumentum v. g. sententiam judicis criminalis; imo ad ferendam separationis sententiam juxta §. 229. Instructionis sufficiunt etiam praesumptiones violentae. Facta vero, quibus praesumptiones hae innituntur, juxta normas processuum in delictorum causis attinentes probanda veniunt. Non sufficit autem de hoc (adulterio perfecto) aliquam tantum habere probabilitatem, sed requiritur, ut talis adsit praesumptio (suspicio vehementissima) ut fundet moralem certitudinem; sic non sufficit unicum testimonium ejus, qui gloriabatur cum Reaconventa vel accusata habuisse commercium carnale; nec sufficiunt tactus, amplexus, et oscula; sed ad gravem praesumptionem requiruntur circumstantiae conjunctae, sic non solum quod per idoneos testes visa sit mulier sola cum solo, sed etiam nuda cum nudo et in lecto (Cap. literis, 13. de praesumpt.)

## §. 234. De conditionibus stabiliendi actoratus ad separationem perpetuam ex capite adulterii.

Principium generale quoad stabiliendum ex capite adulterii actoratum ad separationem, est: Actor ipse non commiserit adulterium, neque ipse fuerit causa directa adulterii per alterum conjugem perpetrati, neque etiam commissum adulterium condonaverit, secus actoratus stabiliri nequit. Ex praemisso principio generali fluunt speciales sequentes regulae 1) Conjux conjugem de adulterio impetere non potest, si et ipse adulterium commi-

sisse convincatur. 2) Non potest impetere conjugem suam ob adulterium, qui ad adulterium per conjugem perpatrandum cooperatus est, sive suadendo sive consentiendo, item non impediendo et non contradicendo cum sciret et posset (cap. significasti 4. de divort.) volenti enim nulla fit injuria. 3) Si vir indirecto quidem modo uti, si uxorem suam domo injuste expellat, deserat, alimenta deneget, aut secus eam male tractet cum intentione comprobabili per hoc alterum conjugem ad adulterium disponendi. 4) Ob adulterium condonatum pariter jus agendi amittitur, etiamsi condonatio tantum tacite facta fuerit, sive per continuationem convictus conjugalis etiam postquam ad notitiam adulterii perpatrati pervenit.

## §. 235. De compensatione relate ad adulterium.

Jus agendi propter adulterium cessat si per compensationem adulterium aboleatur, qua de re sequentes statuuntur regulae 1) si contingit ante latam separationis sententiam utrumque conjugem adulterari, neutri licet ab alio divertere, sed mutua compensatione ambo adulteria abolentur. Delicta autem ad compensationem debent esse pariter liquida, ad divortium sufficientia adeoque paria, etiamsi fornicationes non essent ejusdem naturae, sed altera naturalis (adulterina) altera contra naturam (sodomia), compensationi, non autem separationi locus est. Nec refert, uter conjugum prius sit lapsus in adulterium. 2) Si prius adulterium conjugis sit condonatum ab altero conjuge innocente, et post condonationem innocens labatur in adulterium, compensatio non obtinet, sed potest prior conjux cui condonatio facta est, ad separationem procedere, nec potest posterior exceptione condonati adulterii uti. 3) Compensationi non obstat, si alter conjux plura adulteria, alter vero unum solum admiserit. Nam cum uterque fidem fregerit, delicta censentur paria, quae relate ad jus procedendi mutuo se elidunt. 4) Si adulterium alterius conjugis sit occultum et soli Deo cognitum, alterius vero publicum, nequit adulter occultus divortium seu separationem petere, sed tenetur compensare adulteria. (Conf. Kutschker Tom. V. §. 397—399.)

## §. 236. Modus procedendi in causis separationis ob adulterium spirituale.

Cum scopus matrimonii sit mutuum adjutorium non tantum in necessitatibus corporalibus, sed etiam spiritualibus, contra finem matrimonii agit et fidem conjugalem frangit quicunque se hostem animae suae conjugis exhibet sive per defectionem a Catholica religione, sive per crimina et graviora delicta et tentamen conjugem quoque suam ad eadem alliciendi aut pertrahendi. Hoc modo fracta fides conjugalis adulterium

spirituale nominatur. Ex causa tamen adulterii spiritualis perpetua separatio, (ex unica et sola causa adulterii corporalis per salvatorem permissa) non obtinet, sed solum seperatio temporalis, quae cessante causa pariter cessare debet; cessante periculo perversionis, conjuges conjugale consortium restituere debent.

## §. 237. Modus procedendi in causis separationis propter saevitiam conjugis.

Conjuges ad vitae consortium eatenus tantum obligantur, quatenus id absque animae, vitae, vel sanitatis periculo continuare possunt. (§. 208. Instr.) Integrum est ideo conjugi separationem petere ob saevitiem tantam, ut absque gravis damni periculo non possit cum illo habitare, donec conjux saeviens sufficientem securitatis cautionem per pignora, fidejussores vel juramentum praestet, si tamen tali cautioni fides dari possit, ut omne periculum pro futuro aversum sit. Summus gradus saevitiei est vitae alterius conjugis insidiatio, seu tentamen veneno vel alia via alterum conjugem perimendi. An verberatio sufficiens sit causa separationis, a circumstantiis dependet; sola verberatio praeterita justam separationis et cautionis petendae causam non praestat, sed requiritur etiam timor fundatus futurae malae tractationis. E mente Benedicti XIV. si maritus graviter et cum excessu uxorem verberibus saepe corripiat, ipsa, quae ratione simplicis loquacitatis non praebet marito rationabilem causam eam graviter verberibus corripiendi, jus habet separationem a marito petendi. Si vero maritus leviter tantum eam verberet, prout habita ratione personae, conditionis et status id judicat pro ejus emendatione opportunum, uxor non habet jus separationis a marito, cum idem jure possit uxorem ratione nimiae loquacitatis etiam moderatis verberibus castigare. Ideo discedens a marito ad redeundum compellenda est. Eo minus autem minae sufficientem separationis petendae causam constituunt, nisi minans solitus sit eas exequi (dependet itaque res ab arbitrio judicis considerato minantis ingenio et minandi modo). Observandum porro est, quod non tantum saevitia viri, sed etiam parentum viri, justam petendae separationis, aut cautionis causam constituat. Utrum autem verberatio aut saevities fuerit gravis, quae etiam tunc causam separationis constituit, si uxor per adulterium eam provocasset, atque fundate porro quoque metuenda, per judicialem causae cognitionem determinari debet, ad quod determinandum non sufficit allegare timorem, aut etiam jurare; nam non solum timor, sed justa etiam timoris causa est probanda, et quidem testibus omni exceptione majoribus, nisi evidenter causa suspicionis timoris pateat (ut in Can. de Benedict. C. 32. qu. 5.) In casu tantum dum est periculum in mora, vel non est facilis ad judicem accessus ante judicialem causae cognitionem potest

conjux periculum ob alterius saevitiem timens, propria auctoritate recedere a saevo, vel illum expellere, secus causa prius per judicem cognoscenda est. Tribunal matrimoniale exhibito sibi libello actionali ad separationem ex capite saevitiei mox petit informationem testium eam probantium, qua praestita, si sufficiens sit, continuo sententiam interlocutoriam pronunciat, qua jubet uxorem in loco tuto durante lite deponi, et sub poena excommunicationis jubet viro et ejus parentibus, ne illi malum inferant, et moderatur expensas litis sicut et alimenta uxori praestanda (§. 236. Instruct.) Et quamvis separatio absque adversae partis citatione fieri nequeat (Cap. 1. de causa posses. nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire:) at separatio ad tempus quo discordia durat et lis agitatur, solam informationem summariam postulat.

## §. 238. De quibusdam causis actoratus separationis a toro et mensa.

Ad causas legitimas separationem a toro et mensa petendi insuper spectant: 1) Graviores et diuturnae animi afflictiones, imprimis procuratae per adulterium falso a viro uxori imputatum (Decisio Rotae Rom. de 4. Junii 1736.) 2) Si alter conjugum fiat amens, furiosus, aut maleficus, aut obsessus, et adsit pro altero conjuge periculum alicujus damni. (Homo Apost. tr. 19. n. 91.) 3) Morbi contagiosi et maligni, si juxta medicorum opinionem infectionis periculum pro sano conjuge subversetur, imprimis lepra, item morbus gallicus, lues venerea, si ad eam magnitudinem pervenerit, ut totum corpus putridis ulceribus ac maxime guttur, fauces et palatum exedentibus, ob multam ejus malitiam scateat, ubi aeger lenta ac nocturna febri detineatur, artuumque doloribus indesinenter affligatur, aliisque saevissimis symptomatibus molestetur. Secus morbi contagiosi non permanentes sed solum temporarii, causa separationis petendae esse non possunt; cum ad contagium etiam dispositio requiratur, quae sciri non potest; atque imprimis officium fidelitatis in eo constituatur, ut conjuges sibi invicem in afflictionibus adjutorio sint, atque unus pro altero etiam periculum subire teneatur, dicente S. Apostolo Paulo: Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum obtulit pro ea. 4) Odium implacabile, 5) Malitiosa desertio, 6) Dilapidatio rerum temporalium, 7) Impotentia subsequens unius conjugis ad copulam, quoniam excitatio continua stimuli sexualis sine spe excontentationis magna afflictio consideranda, consequenter tollenda est. 8) Si alter conjugum debitum conjugale absolute praestare renuat; 9) denique si quis conjugem post initum et consummatum matrimonium ab alio impregnatam esse experiatur, si statim ab usu matrimonii post captam notitiam abstineat, et intra unum mensem separationis petitionem exhibeat. (Confer Kutschker Tomo V. pag. 693.)

## §. 239. Pertractatio Causae separationis a toro et mensa.

Actis processus probatorii tribunali matrimoniali propositis, protocollum examinis testium partibus vel praelegendum vel scripto communicandum est; si consultum a rei peritis datum fuerit, de hujus pariter tenore instruendae sunt. Quibus peractis ambo conjuges commoneri debent, ut de testium depositionibus vel reiperitorum consultis sensus suos exponant. Si nova instrumenta, vel de instrumentis, quae in inquisitione praevia dubiis obnoxia remanebant, novas probationes afferant, pars adversaria hac de re audienda est. Confessio conjugis, contra quem separationis actio intentatur, plenam efficit probationem. Quoad juramentum conjugum observandum est, in genere illud tunc tantum admitti posse, si omne aliud veritatem eruendi medium deficeret, et ob animorum exacerbationem, qualis in conjugum litibus obtinere solet, nullum perjurii periculum subversetur. (Instr. §. 230—233.) Si conjux in litem citatus non compareat, ad comparendum invocata etiam assistentia potestatis civilis compellendus est; in causis autem malitiosae desertionis, in prima statim citatione absenti pro ratione circumstantiarum praefigatur terminus, ut ad summum intra annum et diem comparere teneatur. Quodsi ubicatio ejus ignota sit, per ephemerides publicas citandus est. Quodsi tamen non compareat juxta §. 145. Instr. procedendum et causa decidenda.

## §. 240. De Sententia in Causis separationis.

Relate ad sententiam pronunciandam eadem ratione procedendum est prout in causis vincularibus, acta causae in rotulum seu unum volumen congeruntur, acceptoque numero, Referenti extradantur, qui extractum causae cum voto tribunali proponit, ac in quo conventum est, si Episcopus voluerit, cum eo communicatur. (§. 237.) In quavis autem sententia separationem pronunciante necessario requiritur, (quod in causis vincularibus non obtinet) ut exprimatur, an causa separationis, quatenus culpa ei insit, uni tantum vel ambabus partibus imputari debeat. Quodsi ex peractis eluceat, patrem vel matrem propter defectus morales non eos esse, qui jus educationis iis competens in liberorum salutem exercere possint, istud quoque in sententia exprimendum est. (§. 238. Instr.) Peculiariter autem observandum est, quod dum in causis vincularibus etiam rationum momenta, ex quibus subversans impedimentum dirimens pro legitime comprobato per tribunal matrimoniale enunciatur, ad quietandum statum publicum genuine exprimenda sunt, id in sententiis separationis quoad torum et mensam non requiratur; sed sufficiat causa separationis exposita exprimere v. g. Quoniam plene

comprobatum est (sine, vel omissis rationum momentis, quibus comprobatum est) quod Reusconventus adulterium commiserit,... vel secundum circumstantias: „Quoniam facta plene comprobata violentam praesumptionem faciunt Reumconventum adulterium commisisse"; vel „Quoniam praetensum adulterium per Reumconventum perpatratum esse nulla legali proba comprobatum sit"; vel „Quoniam comprobatum est, per actorem praetensum adulterii crimen nullo fundamento niti." Quodsi autem actor talem separationis causam allegasset, quae etiamsi comprobata, sufficiens ad separationem enunciandam non est, id in sententia exprimendum est, v. g. „Quoniam facta per actorem pro praetensa maletractatione vel saevitie allegata non plene, vel comprobata non sunt, insuper cum ejus indolis sint, ut comprobata licet, tamen sufficiens fundamentum separationis constituere non possent." (Cardinalis Rauscher apud Kutschker Tom. V. pag. 931.)

## §. 241. De procedura extra-ordinaria.

Quodsi facta a Reo non negentur, et ut famae partium parcatur, vel ex alia gravi ratione necessarium videatur, ut negotium quam secretissime pertractetur, partes immediate tribunalis matrimonialis praesidem accedere possunt. Postquam iste compertum habuerit, legitimam adesse separationis causam, parochum vel pro re nata etiam alium sacerdotem admonitione trina restituendae concordiae experimentum facere jubeat, effectu haud subsecuto duobus tribunalis consiliariis adhibitis sententiam séparationis pronunciet, in qua sententia petente utraque parte ipsa causa separationis celari poterit, ita tamen ut haec partium petitio ad protocollum assummatur. (244. Instr.)

## §. 242. De remedio Appellationis contra Sententiam separationis.

A decisione tribunalis matrimonialis conjux, qui ea se gravatum arbitratur, ad secundam instantiam provocare potest, matrimonii defensori hoc jure haud competente; intermissa intra decem a communicatione sententiae dies appellationis insinuatione, sententia rei judicatae vim obtinet. Duabus sententiis conformibus latis, ulteriori appellationi locus haud superest. (§. 239. Instr.) Sententia de separatione a toro et mensa nulla est, si a judice non competente lata, vel actus judicii essentialis omissus fuerit, ad quos actus judicii essentiales interventus et influxus vinculi matrimonii defensoris haud spectat, ideoque, ex hoc titulo, sententia separationis impugnari nequit.

## §. 243. De redintegratione matrimonii.

Redintegratur matrimonium per resumptionem consortii conjugalis, per sententiam separationis a toro et mensa inter-

rupti, aut benevole, in separatione temporali, imo etiam perpetua ex capite adulterii, si modo pars rea vere se emendaverit; ad quam conjugum reconciliationem nulla opus est sententia judicis, sed apud eum tantummodo litis compositio declaranda est. Sed redintegratur matrimonium etiam per sententiam judicis, et quidem 1) Si conjux ob adulterium ab altero separatus ipse postmodum in adulterium labatur juxta decretum Alexandri III. Pontificis de Anno 1175. Cap. V. De divortiis, cujus titulus est: „Matrimonium separatur propter adulterium mulieris: et si vir postea fornicetur, redintegretur.“ Cujus decreti conclusio est: „Unde Fraternitati tuae mandamus, quatenus, si res ita processit (seu vir post separationem ob adulterium uxoris fornicatus est,) praetaxatum virum ad legitimam uxorem redire compellas.“ 2) Dum separationis temporaneae cessante ejus causa, vigor cessat. Reconciliationum casus concernenti judicio civili notificandi sunt, ut proles post reconciliationem generatae pro legitimis recognoscantur, atque competentia jura civilia iis constent.

## §. 244. De taxis processualibus.

Taxae processuales etiam in foris spiritualibus usu introductae sunt, in quantum suscitata Actione, Actor singulariter etiam expensarum refusionem petere solet, quas praeliminarie pars actorea fert, erga futuram recompensationem per partem convincendam. In Imperio Austriaco taxae processuales relate ad causas matrimoniales altissima resolutione caesarea de 19. Augusti 1857. virtute decreti Caesareo Regii Ministerii cultus de 31. Octobris 1857. (Nro. 216. R. G. Bl.) provisorie definitae sunt. Et quidem:

1) Pro recursibus aliis exhibitis partium litigantium 6 xri. 2) Pro uno protocollo assumpto ad eruendum rei statum loco scriptae petitionis, item examinis testium et reiperitorum, item consignatione singulorum actorum a singula filira 6 xri. 3) Pro simplici copia alicujus frusti actorum 15 xri., (taxa timbri pro vidimatione a singula filira 1½. xri dependenda.) 4) Pro edicto sine reflexione ad numerum publicationum praeter taxam sub Nro. 1-o 6 xrorum pro singula filira 1. flnus. 5) Pro sententia interlocutoria primae instantiae 1. flnus. 6) Pro sententia in merito causae in qualibet instantia 5. flni. 7) Pro decisione recursus non contra meritoriam sententiam exhibiti, praeter taxam sub Nro. 1. et 2. 30. xri. 8) Pro retractatione sententiae ob contumaciam aut pro sententia loco ejus ferenda nulla taxa. Observandum, quod taxa timbri in processibus matrimonialibus virtute exemptionis a lege timbri altissimis patentalibus de 9. Febr. et 2. Aug. 1850. (R. G. Bl. Nro. 50. et 329.) non obtineat, exceptis attestatis, officiosis copiis, et Documentis quae legi timbri etiam in processibus matrimonialibus subsunt, quem-

admodum etiam decisiones tribunalis quoad temporalia conjugum tribunalis qua arbitri judicium et decisionem acceptantium.

Per sententiam 1) pars succumbens, seu quae convictivam tulit, aut simul in omnibus processus expensis, convincitur, aut enunciatur per compensationem expensas seu taxas processuales utramque partem adtinere. Quoad superiores instantias pars appellans fert expensas. 2) Si tribunal ex officio procedat ab inquisitis nullae taxae competunt. 3) Convicto Reo communicatur nota taxalis. Quodsi per eam se gravatum sentiat, intra 14. dies argumenta gravaminis tribunali primae, ac etiam secundae instantiae exhibere potest, imo gravamine nec in foro metropolitano sublato, potest povocare ad tertiam quoque instantiam. Elapso termino 14. dierum ab admanuatione notae taxalis computandorum idgenus recursus acceptandi non sunt; contra decisionem fori metropolitani aut delegati secundi ulterior recursus non datur. 4) Stabilitae per tribunal matrimoniale taxae, penes contestationem eas juris vigorem habere, modalitate qua taxae caesareae incassandae, et tribunali ecclesiastico transponendae sunt. (Kutschker Tom. V. pag. 988.)

## §. 245. De nuptiis secundis vi declarationis de conjugis morte editae contrahendis.

Cum sanctum et inviolabile sit conjugii vinculum, (inquit Instructio pro tribunalibus matrimonialibus §. 246.) ad secundas nuptias nemo admitti potest, nisi de conjugis morte probationes afferat, quae omne prudens dubium penitus excludant. Ea, quae ad moralem mortis certitudinem stabiliendam tendunt, summa cum cautione pertractanda, verum haud absolute rejicienda sunt. Fieri potest, ut ex rerum adjunctis plene probatis moralis oriatur certitudo, conjugem in vivis haud amplius agere, licet desint documenta vel testium depositiones mortem subsecutam jam esse confirmantes. Quodsi absentis cujusdam conjux talia afferat, quae rarissimum hunc casum adesse valde probabile reddant, commonendus est, ut praevie civilem adeat magistratum, cui ampliora suppetunt factum explorandi media et cujus est, mortis declarationem quoad effectus civiles edere. (§. 247.) Quamprimum superius provinciae judicium, peracta communicaverit, tribunal matrimoniale praesente matrimonii defensore judicabit, an conjux, cujus fata ignorantur, eo cum effectu, ut alteri parti ad novas transire nuptias liceat, mortuus censeri possit. Decisio ferenda nunquam non Episcopi judicio subjicienda est. (§. 248.) Quoties tribunal matrimoniale certitudinis moralis, ad quam provocatur, fundamentum haud ita firmum esse judicet, ut ligamen conjugale morte solutum esse absque haesitatione teneri possit, mortis declarationi enunciandae assensum denegabit, et rationum, quibus ad id commovetur, momenta judicio civili communicabit. Quodsi secunda et tertia instantia ecclesiastica oppositam sententiam

amplectantur, ac eisdem assensum praebentibus supremum tribunal civile mortis declarationem pronunciet, novis contrahendis nuptiis nullum oggeratur impedimentum. (§. 249.) Quando tribunal matrimoniale censeat, nil novis ineundis nuptiis obesse, hos quidem sensus suo judicio provinciae superiori significet, ad conjugem tamen nullam dirigat communicationem, antequam mortis declaratio relate ad effectus civiles firma consistat. (§. 250.) Si ad novas transitur nuptias, parochus tam mortis declarationem a magistratu civili editam quam decisionem tribunalis matrimonialis, respective assensum, quem superior instantia ecclesiastica praebuit, in libro nuptiali annotare debet.

## §. 246. Appendix: Formularia Protocollorum in processibus matrimonialibus occurrentium.

Quo perfectius haec protocolla constructa sunt, eo objectum sive ratio causae in clariorem lucem collocatur, atque momenta probationum patent, ut negotium judicii in ferenda sententia facilius faciant.

### A) Formula Protocolli pro casu, dum Actor petitionem suam non scripto, sed verbo proponit in acta redigendam.

*Protocollum accusatorium.*

Assumptum per Episcopalem investigantem commissarium loco N. die, Mensis, Anni

P r a e s e n t e s.

N. N. Inquirens Commissarius.
N. N. Secretarius Commissario adjunctus.

Accusator
J o a n n a E l l e r.

O b j e c t u m.

Querela contra Franciscum Eller, scopo separationis quoad torum et mensam ob culpam querulati, atque petitio ad admittendam separatam habitationem et provisionem de convenienti sustentatione ad expensas querulati.

Ante omnia quaesitum est ab Actrice, nomen et cognomen suum et conjugis sui, Religio, locus domicilii, conditio vel professio, et aetas, tempus contracti matrimonii; numerus, sexus et aetas in matrimonio generatarum prolium; item num se praescripto testimonio concernentis parochi de praemisso reconciliationis et pacificationis tentamine legitimare possit. Eadem proponit: (in fracto scribendum.) Ego Joanna Eller, catholicae religionis ritus N. 35. annorum, hoc tempore domiciliata apud matrem Theresiam in Possessione Thalkirch. Nro 13. ad Paro-

chiam Dorning spectante. Pater meus Philippus Berger jam defunctus. Conjux meus Franciscus Eller est catholicae Religionis, 29. annorum lanio, et possessor diversorii in Althof Nro. 3. Parochia Ebentheim. Matrimonium contraximus 3-a Aug. 1847. 6. prolibus benedictum, ex quibus tres in vita sunt nempe 1. Henricus 8. annorum etc. Relate ad tentatam nostram reconciliationem exhibeo testimonium parochiale de 13-a hujus mensis.

In sequelam irriti tentaminis pacificatorii, processum est ad protocollarem assumptionem querelae sive libelli actionalis. Post seriam reflexionem ad sinceram enunciationem proponit sequentia :

(In fracto scribendum.) *a*) Jam primo anno nostri matrimonii cum profundo moerore observavi, quod conjux meus apparenter familiarem correlationem foveat cum vidua Perpetua Nathan, manufactrice in Althof Nro. 7. quacum ille, prout primum post contractum matrimonium experta sum, adhuc vivente dictae viduae marito adulterinam conversationem habuit, eatenusque judicialiter quoque conventus erat; *b*) Ad meas bona modalitate propositas preces et repraesentationes videbatur quidem omnem suspicionem excitantem conventum evitare, in occulto tamen peccaminosum consortium cum ea continuabat, etc. *c*) Cum ego nihil ominans externae manifestationi honestae mei mariti confiderim, tanto dolorosior mihi accidere debuit deceptio, dum ad notitiam perveni, quod idem meus maritus pluries in itineribus plurium dierum negotiorum causa susceptis, itineris sociam dictam viduam assumpserit, cum eaque nominaliter apud N. in diversorio N. condescenderit in uno cubili pernoctaverint, in uno lecto cubuerint, quosuper testes sunt etc. *d*) Accedit, quod ipsa Perpetua Nathan occasione ultimi partus extramatrimonialis repetitis vicibus partim aperte. partim palliative ad culpam accusati provocaverit. Sic v. g. aperuit huic et huic etc. *e*) Praeter has multiplices et graves fidelitatis conjugalis laesiones a pluribus annis me male tractavit pluries tunc et tunc (enarratio factorum); *f*) Dirissime autem me tractavit 14-a Aprilis, dum ad nostram domum, ex qua me maritus praecedente vespere praemissis verberibus violenter abegerat, redivissem, dum in culina cum dicta sua amasia Perpetua Nathan mihi obviam factus nulla ex parte mea suppeditata ansa, in me furibundus irruit, capillos extraxit, et dire fuste verberavit etc. *g*) In cujus sequelam tribus septimanis lecto affixa jacere debui, a quo tempore coacta sum apud matrem permanere. *h*) Interea nil intentatum reliqui, ut maritum meum ad saniora consilia adducerem, qui tamen non tantum amicas reconciliationis intermediationes, sed etiam meam literatoriam affidationem, quod ego in casu si sensum suum mutaret, parata essem consortium conjugale recipere sine ulla objectione propter praeterita, rejecit. Et quidem ea ratione, ut si ad ipsum redire praesumerem, adhuc deteriorem priore sortem exspectandam haberem. Obtutu quorum momentorum jure me pollere censeo, querelam ad perpetuam separationem propter culpam

mariti mei proponendi et petendi, ut (juxta §. 236. Instructionis pro tribunalibus matrimonialibus) mihi via officiosa separata habitatio in domo parentum meorum admittatur, et apud judicium civile procuretur, quatenus mihi conveniens sustentatio expensis accusati assignetur.“

Interrogata Actrix, utrum parata, et in statu esset prolata sufficientibus probationum mediis roborandi, declaravit:

(In fracto scribendum) Ego sum parata, et in statu mea asserta etiam judicialiter comprobandi. Ad *a*) provoco ex una parte ad acta judicialia apud prius Dominium terrestrale N„ ex alia parte autem ad Testes N. N. ex loco N., item N. N. ex loco N., qui viderunt et observarunt etiam post nostrum matrimonium adulterinam conversationem accusati cum etc. in specie viderunt tunc et tunc etc.; ad *b*) provoco ad testes N. N. et N. N., qui tamquam domestici Perpetuae Nathan, scientiam habent de generatione spuriae prolis, quam ab accusato suscepisse asseveravit, etc.; ad *c*) et sic porro . . . ad *h*) provoco ad testes N. N. et N. N. qui adierunt accusatum et sic porro. Literas concernentes exhibeo. Imo etiam juramentum meum offero pro omnibus factis, quae meam personam adtipent, si id necessarium fuerit; sicut circumstantiam et sic porro. Finaliter peto in quantum necessarium videretur accusatum adjurari.“

Post haec Libellus hic actionalis Actrici per extensum perlectus, et interrogatio ad eam directa est: (In fracto) „Estne Libellus hic tuus actionalis genuine assumptus?“

Mea querela perfecte et recte est assumpta; nec habeo quod modificem, tantummodo petitionem adjicio, ut quo ocyus pertractatio judiciaria super ea instituatur.

Joanna Eller, Actrix.

Actum ut supra, coram nobis.

N. N. Commissarius inquirens.

N. N. Secretarius Adjunctus.

Observatio. Quodsi ductu declarationum Actricis suspicari liceret, rationem petiti perpetui divortii vix evidenter ac sufficienter comprobabilem esse, alia vero adjuncta vere pro temporali tantum separatione plene probarentur, poterit suo loco congruenter intentioni Actricis adnotari, quodsi petitio sua ad perpetuam separationem adimpleri non posset, Actrix minimum separationem temporariam fundamento ceterorum motivorum adjudicari postulet. (Kutschker Tom. V. pag. 747 – 749.)

## B) Protocollum Benevoiae confessionis conjugum in praevia Inquisitione.

Quodsi Libellus-Actionalis scripto exhibitus esset, relate ad confessionem Actoris supplendi sunt defectus quaestionibus idoneis, atque respensa in Protocollum juxta Formular sub A) as-

sumenda. Pro Reoconvento autem sequens Protocollum construendum:

*Protocollum benevolae confessionis de* 20. *Mai* 1859.

Assumptum coram N. N. qua Commissario inquisitore ex incidenti Libelli Actionalis conjugis N. N. vel si ex officio procedatur, in sequelam decisionis tribunalis, quoad impedimentum dirimens N., vel quoad allegatam causam separationis a toro et mensa N.

Praesentes.

Commissarius Inquisitor N. N.
Juratus Adjunctus Protocollista N. N.

Inchoatum 9. hora ante meridiana.

Incattus vel RCntus praemonitus per Commissarium, ut ad proponendas sibi interrogationes determinate, clare, et veraciter confiteatur.

(Protocollum in fracto, quaelibet quaestio numero currenti notanda, in parte sinistra filirae, et responsum in parte dextra) 1) Quomodo vocaris, cujus aetatis et Religionis? 2) Quis locus natalis? cujus status et conditionis? 3) Ubi domiciliatus? Nrus domus? 4) Vivuntne tui parentes? habesne etiam fratres et sorores, et ubi degunt? 5) Habesne aliquas facultates vel bona, et qualia, in quo consistunt? Ubi te a juventute detinuisti, qualem occupationem? et quomodo vitae media comparasti? 6) Fuistine jam coram judice constitutus? 7) Scisne quare nam ad comparendum isthuc citatus sis? En conjux tuus vel tua querelam exhibuit contra te, vel exposuit hoc vel illud impedimentum dirimens matrimonio vestro obstare, quid respondes ad expositionem ejus ad a) ad b) c) et sic porro. Quos testes aut contrariae probationis media pro puncto a. b. c. distinctim? Esne paratus etiam juramentum deponere? Absoluto examine (quod lingua partium exceptum, si ea, a lingua judicii differat et necessarium sit, vertitur in linguam judicii) perlegitur elicita confessio, et interrogatur, num recte ejus confessio excepta sit, nec habet quod modificet? (modificationes si fiant, non in textu corrigendae, sed post subnectendae sunt) subscribit. Hanc confessionem meam recte exceptam mihique perlectam meam esse recognosco N. N. RCntus (si scribere nesciat, subscriptio coram duobus testibus coramizantibus aliena manu tracta per concernentem cruce facienda.)

Actum et conclusum hora 11-a

Vide Kutschker p. 802. T. V.

N. N. Commissarius.
N. N. Protocollista.

### C) Formular Protocolli examinis testium in inquisitione praevia.

*Protocollum de 5-a Junii.*

Assumptum coram N. N. Commissario inquisitore in causa matrimoniali N. N. ex capite vis et metus matrimoninm suum cum N. N. nullum pronunciari petentis, vel ex capite adulterii ab N. N. in perpetuum separari petentis.

Praesentes: Commissarius inquisitor N. N.
Juratus Protocollista N. N.
Inchoatum 10. hora ante meridiana.

Ante omnia productus Testis reflexus est, de omnibus circumstantiis, de quibus interrogandus erit, ad enunciandam veritatem secundum scientiam et conscientiam, nihilque celare, ac confessionem suam ita elicere, ut si requireretur, fassionem etiam juramento firmare possit.

(In fracto ut sub B) 1) Quomodo vocaris, 2) cujus aetatis, 3) quis locus natalis, 4) cujus conditionis, 5) professionis, 6) characteris, 7) quis locus domicilii? 8) Noscitne testis conjuges N. N. a quo tempore? num familiaris illis sit? 9) Quid scit testis de hac vel illa circnmstantia, facto? 10) Quid scit item de hoc et hoc? et sic porro (questiones eruendae ex Libello actionali, confessione benevola conjugum, atque interdum etiam ex responsis ipsorum testium, quae novis interrogationibus ansam suppeditant.) Dein in fine:

Post perlectum protocollum coram audito teste, (quae lectio articulata et clara esse debet, non properanter instituta; imo in gravioris momenti responsis inter legendum denuo interrogetur testis, num res ita se habuerit) item interrogandus est. 11) Estne confessio tua genuine assumpta, habesne aliquid ei addendum, mutandum, vel modificandum? Responsum: Mea confessio genuine et recte est excepta, et suppletorię adhuc observare debeo sicut mihi nunc incidit, quod etcet.

Josef N. m. p., Testis.

Post perlectam fassionem eandem testis qua genuine et recte exceptam cum vel sine modificatione, . . . . vel additione subscripsit.

Actum et conclusum.
N. N. Inquisitor Commissarius.
(Vide Kutschker p. 804.) N. N. Protocollista.

### D) Formular Protocolli pro casu, dum Actor actionem revocat in causis separationis quoad torum et mensam.

In causis dissidentium conjugum principalis est obligatio commissarii ad inquirendum deputati, occasione benevoli examinis conjugum in inquisitione praevia, partem actoream audito utroque

conjuge ad revocandam separationis petitionem, etiamsi reconciliatio coram parocho non successerit, permovere; quod interim neutiquam auctoritatis suae interpositione, minis, aut asperioribus dehortationibus tentandum est; quin potius commissarius declaret reconciliationem a plena ipsorum libera consensione dependere, quam paternis consiliis, mansuetis allocutionibus ac persuasionibus procurare ad suum officium spectat. Quodsi revocatio actionis, et reconciliatio dissidentium conjugum succedat, assumendum est Protocollum sequens:

*Protocollum.*

Assumptum apud Commissariatum episcopalem inquisitorem M.-Varadini die 19. Junii 1859.

Praesentes.

N. N. Episcopalis Commissarius.
N. N. Protocollista

Josephus Koszta, Civis M.-Varadinensis.
Maria Nagy, Conjux.

Objectum.

Revocatio querelae et petitionis separationis quoad torum et mensam per Mariam Nagy contra maritum Josephum Koszta propositae. Nrus praesid. 273 de 1-a cur. mensis, et reconciliatio utriusque conjugis sub sequentibus conditionibus.

In sequelam commissionis v. tribunalis matrimonialis ddto $^{13}/_{5}$ hujus mensis Nro. 285. ad praeviam inquisitionem peragendam in praedesignata causa separationis conjugum NN. et NN. iidem coram evocati dum comparuissent, ante omnia bona modalitate, audita utraque parte, tentata est eorum reconciliatio et pacificatio, atque Actrix ad revocationem Libelli actionalis se pronam, imo eam effective revocare et marito reconciliari declaravit sub sequentibus conditionibus: 1) Accusatus maritus ab hinc domum Perpetuae Nathan non adeat, imo omnem cum ea conventum sollicite vitet. 2) Ut ipsam ut suam conjugem convenienter tractet et non affligat. 3) Ut sine suo scitu nula nova debita contrahat. 4) Ut in oeconomia domestica se sedulum, atque etiam sobrium exhibeat. 5) Ut christiana officia adimpleat, Ecclesiam frequentet. Quas conditiones accusatus sincere acceptavit et conscientiose adimplere velle promisit. Reciproce autem Actrix pollicita est se praeteritorum, marito nunquam objectionem facturam, et hodie adhuc ad maritum redituram. Postquam conditiones hae restitutae concordiae conjugalis ab utrinque acceptatae sunt, petit Actrix supersederi ab omni ulteriori per-

tractatione revocatae petitionis. Lectum recte iuventum, conclusum et subscriptum.

N. N. Commissarius Episcopalis — Josephus Koszta.
N. N. Protocollista — Maria Nagy.
(Kutschker pag. 816.)

## E) Protocollum de confrontatione testium in causa divortiali N. N. et N. N. ex capite N. ddto 5. Julii 1859.

Assumptum per N. N. Commissarium inquisitorem Praesentes.
N. N. Commissarius.
N. N. Protocollista.

Ante omnia reflexus est testis ad officium veracitatis, dein.

1) Noscitne testis hunc alium hic praesentem testem? 2) Tu fassionem elicuisti quoad circumstantiam vel factum N. recordarisne quam? proferas. (Repetitur per testem fassio.) 3) Testis B) Audivisti nunc ex ore testis A) quid habes ad ejus fassionem observandum? (Observationem enunciat.) 4) Testis A) et quid tu reponis ad hanc enunciationem? Responsum v. g. Siquidem ne sinceritate testis B) dubitare non possim, ego debui in errore versari, et reipsa hodie primum intelligo vel experior hoc vel hoc, unde ego facile errare potui. Testis A) N. N. m. p. 5) Testis B) Habesne adhuc aliquid observandum? nihil amplius habeo dicendum. Testis B) N. N. m. p.

Perlectum et recte assumptum, subscriptum, atque uterque testis quiete, singulariter autem testis B) determinate fassus est.

N. N. Commissarius inquisitor.
N. N. Protocollista — (Cf. Kutschker T. V. p. 824.)

## F) Formula Protocolli super inquisitione probatoria.

*Protocollum.*

Assumptum apud Commissariatum episcopalem in Loco N. 3. Julii 1850.

Praesentes.

N. N. Commissarius episc.
N. N. Juratus Protocollista.

Josepha Haid, Actrix et Testes ejus: Josephus Berger, Joannes Vert, Franciscus Larb, Georgius Stein et Michael Brandmayer.

Michael Haid, RConventus atque hujus testes. Jacobus Seidner, Franciscus Gruber, Adeodatus Ernst,

Objectum.

Procedura probatoria in sequelam commissionis tribunalis matrimonialis ddto 22. praet. mensis Junii Nr. 367. instituenda in merito querelae Actricis N. N. contra suum Maritum N. N. ad separationem a toro et mensa, ddto 12. Martii cur. anni Nr. 129. Comparentibus personaliter legitime citatis conjugibus eorumque testibus, nulloque ex partibus litigantibus contra productos per alteram testes excipiente, praesentibus, vel vocatis sed non praesentibus partibus praemissa de juramenti sanctitate praemonitione adjurati sunt testes per utramque partem provocati.

(Subscriptio partium et testium.)

Post juramentum testium processum est ad eorum examen juxta inviationes probatorii articuli, in Libello actionali expressas, idoneis specialibus interrogationibus per commissarium inquisitorem appositis.

Articuli probatorii per Actricem adducti.

Art. 1) Verumne est, quod testis querulantem conjugem usque ad profusionem sanguinis vulneratam viderit? Art. 2) Verumne, quod Reusconventus saepe ebrius domesticae rei curam negligat? Art. 3) Verumne, quod articulatus (causatus) malitiosa venditione jumentorum et instrumentorum tempore laboris ruralis culturam terrarum et oeconomiam impediat? Art. 4) Verumne, quod articulatus conjugem et proles minis, et violentis mediis ab aditu cultus divini publici, proles autem etiam verberibus ab aditu scholae inhibeat? Art. 5) Verumne, quod articulatus conjugalis fidefragii suspectus valde suspectus haberi debeat?

Interrogatoria specialia commissarii ad praemissos Articulos.

Ad Art. I. 1) Quando et quibus in circumstantiis vidit testis Actricem usque ad sanguinis profusionem vulneratam? 2) Utrum et unde scit testis, quis Actricem tam crudeliter cruciaverit? 3) Utrum, et quid scit testis de causa tantae crudelitatis? etcet.

Ad Art. II. 1) Unde scit testis quod accusatus saepe se impotet? 2) Qualia facta potest adferre testis pro eo, quod accusatus domesticam oeconomiam ex toto negligat?

Examen testium inchoatum est coram vocatis testibus per Actricem pro Articulis probatoriis nominatis.

1-us Josephus Berger.

Cui primo proposita sunt sequentia Interrogatoria generalia.

| | |
|---|---|
| *a*) Quod nomen testis et cujus aetatis? | ad *a*) Josephus Berger, 47 annorum. |
| *b*) Cujus Religionis? | ad *b*) Catholicae Religionis. |
| *c*) Cujus status, characteris, et quis locus domicilii? | ad *c*) Conjugatus, mercator in Thalheim. |
| *d*) Utrum, et quam prope cognatus cum partibus causantibus? | ad *d*) Nec consanguineus, affinis, sed in cognatione spirituali, qua patrinus duarum prolium illorum. |
| *e*) Utrum parti alteri inimicus? | ad *e*) Non sum. |
| *f*) In quo haec inimicitia consistit? | ad *f*) Cessat. |
| *g*) Utrum ab exitu hujus causae aliquod lucrum vel damnum speret? | ad *g*) Nec lucrum, nec damnum. |
| *h*) In quo hoc lucrum vel damnum consistit? | ad *h*) Cessat. |
| *i*) Num aliquis tentaverit testem instruere quid et quomodo fateatur? | ad *i*) Nemo. |
| *k*) Utrum propter testimonium aliquid appromissum aut datum sit? | ad *k*) Non. |
| *l*) A quo et quid? | ad *l*) Cessat. |

In continuo examinatus est testis de Articulis per partem A. adductis, et ad quaestiones commissarii eatenus propositas.

Ad Art. I. Ita.

Ad Specialia I. 1) Fuit dies Pentecostes hujus anni tempore cultus divini pomeridiani ad I. 2) Equidem non vidi immediate, quisnam querulantem tam dire cruciaverit. Attamen audivi adhuc cum meo in domum eorum introitu notam vocem Accusati qui inter imprecationes minabatur alia vice adhuc crudelius conjugem suam tractaturum. Proles etiam clamabant et invocabant adjutorium pro matre, quam pater dire verberaret, et sic porro ad I. 3) Causa . . . . et sic porro.

Ad Art. II. Ita.

Ad Specialia II. 1) Qualibet septimana repetitis vicibus video illum domum euntem, etcet.

Praemissae fassiones testi perlectae, et ab eodem qua propriae acceptatae, et cum nihil amplius quod reflecteret haberet, praemissa admonitione de secreto servando subscriptae sunt.

Josephus Berger.

Teste priori dimisso comparuit testis per Actricem quoad Art. III. et IV. nominatus.

II. Testis Joannes Verth.

Respondet:

ad Interrogatoria generalia: Ego Joannes Verth sum 36. annorum, Religionis catholicae, viduus, Textor in Thalheim, cum partibus litigantibus nec cognatus nec affinis; inimico non sum animo erga partem contrariam; ab exitu processus nec lucrum nec damnum sperans; a nemine quid confitear, vel quomodo instructus; nec promissione aut dono allectus.

Ad II. Ita.

Ad Spec. II. 1) Cum ego qua vicinus accusati saepe videam accusatum ex popina domum reversum etc. II. 2) Pro hoc possum qua testis oculatus sequentia facta recensere . . . . et sic porro.

Ad Art. III. Sic porro.

Perlecta fassione declarat Testis eandem suam veram esse, et recte assumptam esse, tantum ad II. 2. sequentia adhuc facta indicat:

Erat tempus seminaturae vernalis et s. p.

Probatum, et post reflexionem silentii de actis et dictis subscriptum per Joannem Verth.

Examinatis omnibus testibus Accusatus coram vocatus, et perlectae sunt illi fassiones omnium testium per extensum, ad quas ille reposuit: fassionem Testis 1-i ad 1. 2. declaro pro falsa. Nam, etc. Relate ad fassionem testis 2-di ad II., 2. declarandum habeo, quod idem factum observare ipse non potuerit, cum eo die in itinere constitutus fuerit, quod testari possunt. N. N. et N. N. etc. Perlectum et recte adinventum, subscriptum

Michael Haid.

Post hoc Actrix coram vocata, atque illi tam fassiones omnium testium, quam et contraria declaratio conjugis accusati clare perlectae. Illa reposuit: Fassiones testium teneo esse veras, contraria autem declaratio Accusati ex errore oritur, quod ille hoc vel illud factum cum alio quod tunc et tunc evenit confundat. Proinde insisto meae querelae quoad totum ejus complexum.

Josepha Haid

Hac super re denuo auditus Accusatus, declarat: quoad primum recognosco contrariam enunciationem Querulantis esse veram. Relate autem ad reliqua insisto meae contradictioni.

Michael Haid.

Conclusum 5 hora pomeridiana.

N. N. Commissarius. N. N. Protocollista.

Quodsi Accusatus praetendat copiam fassionum testium, petito ejus deferendum, et terminus 14. dierum, intra quem replicare teneatur, ei praefigendus, hocque ipsum in conclusione Protocolli exponendum est.

Eadem ratione examinantur testes per Accusatum producti, ad Articulos reprobatoriales et consonas quaestiones Commissarii. Quodsi autem nulli Articuli per partes proponantur, nec ipsum

tribunal matrimoniale quaestiones proponendas defigat, hoc in casu quaestiones construendae sunt ex protocollo queruloso, et actis inquisitionis praeviae. (Conf. Kutschker pag. 904. et sequ.)

## G) Forma Sententiae separationis a toro et mensa juxta novam Instructionem.

*Sententia* (sine timbro in duplo pro Actore et reo expedienda.)

Tribunal matrimoniale Archi-Diocesis Viennensis virtute collatae sibi ab Eminentissimo Cardinali Principe Archi-Episcopo D. Othmaro Rauscher potestatis judiciariae, in sequelam querulosae supplicationis N. N. Religionis catholicae ddto 16. Januarii 1857. contra suum maritum N N. civem sartorem Viennensem in platea N. Nro N. ad separationem a toro et mensa tribunali huic exhibitae, fundamento eatenus institutae investigationis, cum reflexione ad §. 4. Instructionis pro tribunalibus matrimonialibus Austriaci Imperii, deliberandum et jus dicendum invenit sequentibus: Separatio a toro et mensa catholicorum conjugum N. et N. N., quorum matrimonium 2-a Februarii 1850. initum sterile sine prolibus e respectu et debita consideratione, saevitiei et crudelitatis per Actricem legitime contra maritum comprobatae, admittitur, usque dum vitae consortium sine periculo salutis temporalis resumere poterit. Ipsa tamen quoad causam separationis procuratam insons non est, (vel causa separationis imputatur soli marito crudeli accusato.) Relate ad petitam per Actricem alimentationem, postquam arbitrium hujus tribunalis eatenus postulatum non est, in sensu §. 244. Instructionis ad suam competentiam judicem civilem inviatur (vel petita separatio non conceditur ex eo, quod Actrix requisita rationum momenta pro interrumpendo vitae consortio nec produxerit, nec etiam comprobare potuerit). Conclusum per Archi-Episcopale tribunal matrimoniale Viennae 10. Febr. 1857. subscripti Praeses, et votantes Consiliarii. Sententia in vicem resolutionis (si separatio non admittatur). Actrici extradatur cum restitutione adnexorum ad recursum, et in uno exemplari etiam Accusato traditur. Una vero super exitu causae et tenoribus sententiae respectivus quoque Parochus provocative ad ejus Relationem de tentamine pacificationis per ipsum instituto officiose semper edocendus est. Quodsi separatio concessa, sententia etiam cum civili judice communicanda. Quodsi petita separatio non concedatur, simul in sententia exprimendum est, conjuges ad continuandum vitae consortium obligari; eatenusque officium politiae edocendum est, ut sententiae effectus assecuretur.

# CAPUT VI.

## DE CENSURIS ECCLESIASTICIS.

### §. 247. De poenis ecclesiasticis.

Poenae ecclesiasticae sunt aliae medicinales alias censurae nominatae, aliae autem poenae vindicativae; priores ad emendationem Rei, posteriores ad publicam vindictam scandali irrogantur. Poenae medicinales sunt excommunicatio minor, suspensio, et interdictum. Vindicativae autem: privatio beneficii, depositio, degredatio et excommunicatio major.

*A*) Excommunicatio minor, seu ad certum tempus, ad emendationem, per quam baptizatus privatur communione Ecclesiae, seu bonis, quae sunt communia inter fideles, quaeve pendent a potestate et dispositione Ecclesiae, uti sunt sacramentorum receptio et administratio, Ecclesiae suffragia et divina officia. Effectus excommunicationis minoris sunt 1) privatio seu prohibitio receptionis sacramentorum; 2) privatio passivae electionis ad dignitates et beneficia. Quare illa ligatus graviter peccat, si scienter recipiat Sacramentum, vel beneficium, quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi. Non fit tamen irregularis, nec electio aut provisio est irrita, sed solum irritanda, (cap. ult. de cleric. excommunicat). 3) privatio administrationis licitae sacramentorum ex eod. capite ubi dicitur: peccare conferendo ecclesiastica sacramenta. Excommunicatio est alia „latae sententiae" quae ipso facto prohibito sine judicis sententia incurritur, quae in canonibus verbis exprimitur: ipso facto, ipso jure, ex tunc, ex nunc; vel per verba praesentis indicativi modi, v, g. excommunicamus, suspenduntur etc.; vel per verba imperativi modi, ut subjaceat excommunicationi; incidat in excommunicationem. Ejusmodi excommunicatio latae sententiae est illa quoad privilegium canonis clericorum in Concilio Lateranensi II. can. 15. lata his verbis: „Placuit, ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgenti periculo, donec apostolico conspectui praesentetur, et ejus mandatum suscipiat." Excommunicatio autem ferendae sententiae est, quae per judicis causam cognoscentis sententiam enuncianda est, et verbis indicatur: excommunicetur, suspendatur, ab Ecclesiae ingressu arceatur, decernimus excommunicandum, suspendendum etc. Excommunicationis hujus minoris remedio saepissime utuntur Canones Ecclesiae Orientalis.

*B*) Suspensio, per quam Clerico prohibetur usus ecclesiastici officii, vel utriusque, sive qua Clericus privatur exercitio potestatis, quae ei competit ratione officii clericalis, vel beneficii,

vel utriusque. (Antoine pag. 368.) Incurritur autem suspensio ipso jure: 1) Qui ordines sacros recipiunt vel ab alieno Episcopo sine dimissoriis, vel a proprio in aliena dioecesi, vel conficto titulo, vel per saltum, vel in censura (excom. min.) vel extra tempore a jure statuto (sine facultate) vel sine legitima aetate (a qua dispensari nequit, vel dispensatum non est): item qui furtive ordinantur, idest sine praevio examine et approbatione inter ordinandos irrepserunt, aut alium sui loco substituunt examini (Can. 9. Con. Nicaeni I.) hi omnes suspensi sunt ab exercitio ordinum; et si ordinem exerceant fiunt irregulares.

2) Qui eodem die duos sacros ordines (ab Ecclesia prohibitos eodem die suscipi) suscipiunt.

3) Simoniace ordinans et ordinatus.

4) Parochus vel alius Sacerdos jungens sponsos alterius parochiae sine illorum parochi licentia. (Trident. Sess. 24. Cap. 1.)

5) Occupantes bona, vel census Ecclesiae, beneficii vel alterius pii loci.

6) Simoniaci, sodomiam exercentes, provocantes ad duellum, vel acceptantes etc.

7) Apostatae ab Ordine religioso, praecipue si in apostasia recipiunt Ordines.

*Nota.* Episcopi ex privilegio huic suspensioni non subsunt, nisi eorum in Canone expressa mentio fiat. (Innoc. IV. Concil. Lugdun. C. 4. de sent. excomm. in 6-o.)

Effectus suspensionis sunt: 1) Suspensus ab officio etiam occultus peccat mortaliter, si exerceat actum sive ordinis sive jurisdictionis, quia violat prohibitionem Ecclesiae in re gravi, idque ubicunque exerceat. Actus tamen ordinis a jurisdictione non pendentes sunt validi; quia Ecclesia non potest tollere potestatem ordinis, sed solum ejus exercitium prohibere. Actus vero jurisdictionis sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denunciatus, quia privatur actuali jurisdictione: sed validi sunt, si non sit denunciatus (sed tantum suspensus de Canone absque sententia) ex constit. Martini V. „Ad evitandum.“

2) Suspensus illicite beneficium novum reciperet, et ei conferretur, quae collatio est saltem irritanda (ex cap. de consuet.) quia, qui privatus est aliquo actu vel munere, est etiam privatus susceptione eorum, quae ad talem actum vel munus ordinantur. Sive, quod idem est, cui prohibetur actus vel munus aliquod, ei quoque prohibentur ea, quae ad talem actum vel munus ordinantur. (Cap. ult. de Cleric. excom.)

3) Suspensus fit irregularis, si exerceat functiones Ordinis proprias.

Suspensus a beneficio, ad fructus durante suspensione perceptos incompetenter, restituendos cogendus.

*C*) Interdictum, quo prohibetur officiorum divinorum celebratio publica, et auditio, quaedam sacramenta, et ecclesiastica sepultura.

Interdictum est vel locale, quod directe fertur in locum, prohibendo ne solemnis cultus divinus, et alia supradicta in eo exerceantur, vel personale, quod immediate fertur in personam, ei prohibendo istorum exercitium et participationem ubicunque existat; mixtum interdictum est, quod et personam et locum immediate afficit. Duo priora iterum sunt vel generalia, si interdicto subjiciatur locus communis; regnum, provincia, civitas, vel hominum communitas; vel particularia, si interdictum afficiat singularem locum, Ecclesiam, vel singularem personam.

Effectus Interdicti sunt 1) qui illud violant mortaliter peccant, quia violant praeceptum Ecclesiae in re gravi. 2) Qui illud violat exercendo actum proprium ordinis incurrit irregularitatem. (Conf. Antoine pag. 367.)

*D*) Privatio Beneficii, quod per Investituram jure perpetuo quis possedit, est poena vindicativa ob majora delicta, cum infamia conjuncta. Privari beneficio nemo potest, nisi ordine juris legitime convictus, et per judicis competentis sententiam, salvo usu omnium legalium contra sententiam remediorum. Ad privationem praeter causam gravem, et infamiam requiritur probatio plenissima; et trina praecedens monitio. Nisi haec requisita adfuerint, sententia privationis nullitatis et injustitiae vitio laborabit. (Resp. S. CC. in Cracov. Paroch. 10. Febr. 1770.) sola diffamatio Clerici quoad mores (S. CC. in Lanciam Jur. paroch. 19. Sept. 1761.) vel aversatio parochianorum (S. CC. in Reat. paroch. 3 Sept. 1740.) ad removendum parochum non sufficit. Beneficia, quibus alii privantur, Judices, eorum affines vel familiares obtinere nequeunt. (Pius V. Const. „Cupientes.") (Vide Porubszky pag. 383.)

*E*) Depositio, quae est poena vindicativa, per quam Clericus privatur omni officio et beneficio ecclesiastico in perpetuum sine spe recuperationis. Depositionis sententia plectuntur Clerici majorum et iterate perpetratorum criminum rei, atque incorrigibiles publice scandalosi. Quia autem poena haec gravis est, nonnisi servato juris ordine per competens judicium decerni potest, salvis privilegiis Clericorum.

*F*) Degradatio, quae est poena, per quam quis solemniter privatur in perpetuum non solum omni officio et beneficio ecclesiastico, sed etiam omni privilegio clericali. Poena haec summarie in sequelam latae sententiae capitalis per sententiam judicis Ordinarii ecclesiastici enunciatur et solemni actu in Ecclesia publice peragitur, Reusque brachio saeculari resignatur.

*G*) Excommunicatio major, seu proprie dicta, qua quis privatur bonis communibus, communione Ecclesiae et communicatione cum fidelibus, atque a corpore Ecclesiae absciditur. Infligitur solum propter grave et Ecclesiae noxium crimen cum contumacia conjunctum, juxta illud Matth. 18-o si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, cum quo christianis nec conversari, cum juxta S. Apostolum Joannem Epistola II. 10. 11. nec

ave licet dicere, multo minus orare aut epulari. Actus prohibiti communicationis cum excommunicato excommunicatione majori, hoc versiculo exprimuntur: Os, orare, vale, communio, mensa negatur. Excommunicati in judiciis ecclesiasticis nec accusatores nec testes agere possunt, atque mortui quin absoluti essent ab excommunicatione, sepultura ecclesiastica privantur.

## CONCLUSIO:

### Monitum ad Clerum Orientalis Ecclesiae catholicum.

Habetis ergo Fratres! in hoc opere collecta principia Ecclesiae Orientalis catholicae et orthodoxae, cujus praecones estis, conscii consonae cum Ecclesia Latina communis aeternae veritatis, quam professa est Ecclesia christiana regionum orientalium per omnia retro acta secula, hodiedumque confitetur. Dumque Ecclesia orientalis in ritu absolutionis defunctorum oratione secunda Euchologii orat, atque etiam illi, qui n.-uniti graeci dicuntur, nobiscum precantur: „Domine Jesu Christe Deus noster, qui supra Principem discipulorum et Apostolorum tuorum Petrum aedificasti Ecclesiam tuam", manifestum est ipsos etiam non-unitos Graecos profiteri: Christum Ecclesiam suam non supra Synodum, multo minus Constantinopolitanam, quae tunc non exstitit, sed supra Petrum aedificasse, hincque non Synodum, sed Petrum esse fundamentum Ecclesiae immobile in ipsa etiam Synodo, a Christo auctore Ecclesiae positum, et quidem non tantum pro tempore vitae Petri, sed pro omnibus temporibus, pro quibus Ecclesia Christi destinata erat, Petro Ecclesiae fundamento in suis successoribus Romanis Pontificibus semper vivente. Nec alium unquam agnovit Orientalis Ecclesia Petri in munere successorem et clavium regni coelorum seu regiminis totius Ecclesiae et pastoris totius gregis christiani haeredem. Sed nec ullus alter unquam praesumpsit successionem in munere Petri sibi arrogare. Ergo, etiam ex professione ipsorum non unitorum Graecorum dictam orationem persolventium et Christi Evangelio credentium ubi Petrus, ibi est et vera unice orthodoxa Christi Ecclesia catholica, de qua S. Cyprianus per nonunitos quoque Doctor Ecclesiae recognitos Libro de unitate Ecclesiae inquit: „Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae conjungitur, a promissis Ecclesiae separatur; nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem."

Eadem autem Ecclesia Orientalis cum D. Apostolo Paulo ad Romanos Cap. VIII. v. 9. et ad Galatas Cap. IV. v. 6. con-

fitetur Spiritum sanctum esse Spiritum Filii sicut et Patris, qui a Patre procedit propterea, quia Patris spiritus est, ergo etiam a Filio procedere debet, quia etiam Filii spiritus est; ideo Christus de Spiritu Sancto loquens Joannis Cap. XVI. v. 14. (Spiritus Sanctus) de meo accipiet et annunciabit vobis, et v. 15. idem repetit de Spiritu Sancto praemittens: Omnia quaecunque habet Pater mea sunt, seu habet Pater Spiritum Sanctum, habet et Filius Spiritum Sanctum; habet Pater procedere Spiritum a se, habet et Filius Spiritum Sanctum suum procedere a se, quem ipse misit. Qui igitur praesumunt negare Spiritum Sanctum procedere etiam a Filio, contradicunt Christo; quia tunc non haberet Filius omnia, quae habet Pater relate ad Spiritum Sanctum, nec esset Spiritus etiam Filii sicut est et Patris, si non etiam a Filio procederet. Neque timendum est per processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio duo Spiritus sancti principia statui; si enim ex eo, quod Spiritus Sanctus sit Spiritus Filii sicut et Patris quod docet Apostolus, non statuuntur duo principia Spiritus Sancti, neque ex processione ab utroque duo principia deduci possunt. Veritas haec plana est, ideoque operosa demonstratione non indiget; quam nec ipsi Reformatores seculi XVI. negare praesumpserunt, etsi motivum non defuisset eam negandi, ut per id benevolentiam Constantinopolitanae Ecclesiae quam aucupari conabantur, eo certius lucrarentur. — Ceterum nec Photius ipse processionem Spiritus Sancti etiam a Filio impugnavit, sed solum contra additionem particulae filioque ad Symbolum, postquam Concilium generale Ephesinum omnem additionem Symbolo interdixit, excepit; quae tamen interdictio de privata auctoritate intelligenda est, non autem de auctoritate universalis Ecclesiae in Concilio oecumenico Lateranensi IV·to, cui etiam orientales intererant repraesentata.

Quodsi igitur in Libro chorali Ecclesiae Orientalis Pentecostarion dicto, die lunae post Pentecosten in Synaxario occurrat: „Spiritus Sanctus a solo Patre procedit" delete illud tamquam additamentum haereticum; Spiritum enim Sanctum a solo Patre procedere, in Scripturis sacris nullibi scriptum legitur. E contra vero inspicite Librum Apocalypsis S. Joannis Cap. XXII. v. 1. et legetis: „Et ostendit mihi fluvium aquae vitae (seu Spiritum Sanctum, prout Joannis Evang. Cap. 7. v. 38.: Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae, v. 39.: Hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum) splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni, seu Spiritum procedentem a Patre et Filio.

Doctrinam autem de loco purgatorii, nullus unquam clarius et expressius professus est, quam ipsa Orientalis Ecclesia: Ipsi non-uniti Constantinopolitani hodie quoque nobiscum orant ad Vesperas in die Pentecostes Oratione V. quae incipit: „Fons vive et illuminans": Ipse omnium Domine, Deus et Salvator noster, spes omnium finium terrae, qui in hac magna et saluti-

fera Pentecostes die, sanctae, et consubstantialis, et coaeternae, et individuae, et inconfusae Trinitatis nobis mysterium revelasti, et adventu, praesentiaque sancti et vivifici Spiritus in ignearum linguarum forma super sanctos Apostolos tuos effusa, devotae fidei nostrae Evangelistas illos et confessores, veraeque et divinae sapientiae praecones renunciasti, qui in hoc undequaque absoluto et salutifero Festo suffragia, supplicationesque pro detentis in inferis suscipere dignatus es, magna spe nobis subjecta, detentis hujusmodi, detinentium eos tormentorum relaxationem et solamen a Te fore rependendum.“ Certe nemo per inferos, in quibus hae animae tormentis detinentur, et christianorum precibus juvantur, et relaxationis poenarum spem habent, asserere praesumpserit esse infernum damnatorum, ex quo nulla datur redemptio ; de quo Canon XIV. SS. Apostolorum Petri et Pauli (apud Bevereg. Tom. II.) quoad exequias defunctorum his verbis concludit : „Impium autem, licet totus mundus pro eo (in eleemosynam) detur, non juvabis.“

Cetera autem, quae a non-unitis Graecis nobis oggeruntur, nullius sunt considerationis. Merito ergo nos Graeci Ritus Catholici confitemur cum S. Augustino : „Multa sunt alia, quae me in Ecclesiae catholicae gremio justissime tenent; tenet consensio populorum et gentium (totius terrae) ; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata ; tenet me ipsa sedes Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit; usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum, tenet postremo ipsum Catholicae nomen. Ita ergo tot et tanta nominis christiani carissima vincula, recte hominem tenent credentem in catholica Ecclesia.“

Nostrum est Fratres! hanc conscientiam tanti summique beneficii et gratiae divinae, quod membra simus unicae verae Christi Ecclesiae, unicae orthodoxae catholicae, nobis concreditis propriam reddere, et dolentes numerosos milliones orientalium Christianorum, licet eandem fidem profitentes, et cultum vere catholicum nobiscum communem ut demonstratum est tenentes, in adversis tamen castris cum Lutheri et Calvini asseclis contra fundamentum in Beato Petro Principe Apostolorum Ecclesiae per Christum positum et per eos quoque professum, et permanens in cathedra S. Petri Romana divinitus constitutum regimen quod claves regni coelorum seu regiminis totius Ecclesiae christianae a Beato Petro Apostolo divinitus haereditatas tenet, versari; neque aliud superest, quam illos ingenua charitate prosequi, ut quos nec propria confessio et professio illuminat, saltem superabundans caritas nostra moveat, ut sentiant se nobis proximos esse; indesinenter autem simul orare, ut quos a nobis sejunctos deploramus, nobiscum uni Christi verae Ecclesiae restitutos fratres recuperemus, ut unitis viribus nomen Christi notum faciamus gentibus, quae fidem nostram in redemptionem per Chri-

stum unicum Salvatorem Deum nondum habent; sicque adveniat regnum Dei, et impleatur divina Salvatoris nostri promissio, ut sit unus pastor, et unum ovile. Ideo perpetuo memores simus ejus:

Vae illi, per quem venire potuit
Regnum Dei, et non venit.

Ut autem magis persuadeamini quanta sollicitudine sancta Sedes Apostolica Romana nullo non tempore Ritum nostrum et disciplinam canonicam orientalem defenderit, et conservare studuerit, subnecto hic pro coronide duas praecipuas sanctae Sedis Apostolicae Constitutiones:

## I.

## Leo Papa X.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Accepimus nuper, quod licet dudum in Concilio Florentino sub felicis recordationis Eugenio PP. IV. praedecessore nostro, in quo inter caeteros Principes, et Praelatos, Imperator tunc Graecorum, et quamplurimi alii Praelati nationis Graecae pro unione facienda de orientali Graecorum cum Romana Ecclesia, re tamdiu a Praedecessoribus nostris R. Pontificibus, ac tota Christiana Republica desiderata interfuerunt; inter alia statuta determinatum est, nationem praedictam, in quibusdam eorum ritibus et observantiis, quae non imputabantur haeresi, permanere, et inter caetera scilicet: quod Presbyteri in fermentato celebrare ac sub alia forma, quam Romana baptizare, videlicet; baptizatur servus Dei in nomine Patris et Filii, et Spiritus S. Amen. Item quod ordinati in sacris matrimonio, ante ipsorum sacrorum ordinum sumptionem contracto, uti, et barbam nutrire venerandumque sacramentum sub utraque specie omnibus, etiam pueris, ministrare possint, per dictum concilium statutum ordinatum decretum, sive permissum fuerit; tamen Ordinarii locorum Latini ipsam nationem super dictis ritibus et observantiis, in locis, ubi de praesenti Graeci morantur, quotidie molestent, perturbent, et inquietent, cogentes pueros ipsorum, et alios eorum more baptizatos, iterum more Romanae Ecclesiae rebaptizari; dictumque Sacramentum sub utraque specie omnibus, etiam pueris praedictis, minime administrari debere, neque barbam nutrire, neque in fermentato, sed in azymo celebrare ac in dictis sacris ordinibus ordinatos matrimonio nequaquam uti debere: propter quae, et nonnulla alia quotidie in populo diversa scandala exoriuntur, ac in dies, nisi de opportuno per nos remedio provideretur, exoriri contingeret. Considerantes autem quam operae pretium, pium ac necessarium sit, ut unio praedicta, multo labore quaesita, — — per Romanos Pontifices, — conservetur et dictorum Graecorum molestiis et impedimentis

hujusmodi obvietur, nec non quieti ipsorum, atque animarum consolationi, in praemissis opportune consulatur, Ritus quoque et observantiae in eorum ecclesiis, et alibi, juxta antiquam ipsorum consuetudinem conserventur; motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra liberalitate, et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, dictis Graecis, tam Praelatis, quam aliis personis nationis Graecae et eorum cuilibet, ut eorum ritibus, et observantiis, sive consuetudinibus, ut praemittitur uti, ac illos, et illas observare, missasque et alia divina officia secundum eorum consuetudinem celebrare — possint, motu et scientia similibus, tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Et insuper, quod nullus Archiepiscopus, Episcopusque ordinarius, clericos Graecos, ad sacerdotium promovere audeat, ac quod in Dioecesi, ubi Latini et Graeci cohabitant, et solum Archiepiscopum, sive Episcopum Latinum ordinarium habent, dictus Archiepiscopus sive Episcopus circa negotia et causas dictorum Graecorum Vicarium Graecum eis gratum, vel per ipsos Graecos eligendum, ex quo vir Graecus melius Graecos mores novit, quam Latinus, eorum stipendio et salario retinendum deputare, quodque in causis appellationis ad metropolitanum, si forte Graecus non esset, dictus metropolitanus, similiter in dictis causis, Judicem Graecum deputare teneatur. Et insuper cum in parochialibus ecclesiis ipsorum Graecorum ex antiquissimo et hactenus observato ritu missam nonnisi semel in die per unum Sacerdotem celebrari liceat, et tamen nonnulli Sacerdotes Latinorum, dimissis ipsorum propriis parochialibus Ecclesiis, ut praefatos Graecos injuria afficiant, et ad disturbandum eorum ritus, et consuetudinem hujusmodi, nescitur quo spiritu ducti, interdum Altaria dictarum parochialium Ecclesiarium praeoccupant, et inibi contra voluntatem eorumdem Graecorum Missas, et forsan alia divina officia celebrant, adeoque dicti Graeci saepe numero sine auditione Missarum cum magna animarum molestia festivis et aliis diebus, quibus Missam audire consueverunt, remaneant: Nos autem ad obviandum scandalis et providendum, ne in futurum molestiae hujusmodi Graecis ipsis inferantur, Sacerdotibus Latinis praedictis, ne de caetero Missas et alia divina officia in dictis Ecclesiis eorumdem Graecorum celebrare, Magistratibus vero, si qui sunt, ne dictis Sacerdotibus, auxilium et favorem praestent, nec non, ut nullos ritus et caerimonias in dicto concilio Florentino, vel alias adprobatos, blasphemare, aut reprobare, ac ubi duo, unus Latinus, alter vero Graecus, ejusdem loci, — sunt Episcopi; episcopus Latinus de personis Ecclesiasticis et saecularibus Graecis, ac jurisdictione Episcopi Graeci, vel aliis quibuscunque, ad Episcopum Graecum spectantibus, nullatenus se intromittere praesumat, sed Episcopus Latinus Latinorum, Episcopus vero Graecus Graecorum duntaxat curam, regimen et jurisdictionem respective habeant, et exerceant. Et

insuper; quod presbyteri Latini in Ecclesiis Graecorum neque celebrare, neque funeralibus, nuptiis, ac Baptismis, et aliis Graecorum actibus publicis et privatis interesse, aut se immiscere, nisi ad hoc specialiter per ipsos Graecos vocati fuerint, audeant, vel praesumant. Quod Clerici, ac Presbyteri saeculares, monachi Graecorum, eorumque Ecclesiae ac Monasteria bonis, quaecunque de jure sive consuetudine, vel alias quomodolibet ad ipsos pertinent, uti, potiri, et gaudere libere ac licite possint, et valeant; nec non Abbates, et Monachi Graeci, eorumque Monasteria, loca et bona quaecunque omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, indultis, gratiis et praerogativis, in bulla Mare magnum nuncupata contentis, Fratribus ordinis Minorum, regularis observantiae, eorumque monasteriis, locis seu conventibus, tam per dictam bullam, quam alias quomodolibet concessis, et concedendis, etiam uti, potiri et gaudere possint. Nec non viduae Presbyterorum vel clericorum Graecorum, in castitate juxta ritum Graecorum viventes, iisdem immunitatibus, exemptionibus, privilegiis quibus viventibus eorum viris presbyteris, seu clericis gaudere poterant, gaudeant, et fruantur modis, scientia et potestate paribus concedimus, decernimus, et declaramus; ac ita per A. Episcopos, Episcopos, et alios Praelatos, presbyteros et clericos Latinos, pro dictis et quibuscunque aliis eius videlicet Praelatis, et suis majoribus, sub suspensionis a divinis, aliis vero inferioribus sub excommunicationis latae sententiae, privationis beneficiorum Ecclesiasticorum, quae obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinendo ipso facto per quemlibet contra facientem incurrendis, poenis praecipimus, mandamus, quatenus praesentes literas ac omnia in eis contenta inviolabiliter observent, sicque per quoscunque Judices in Romana curia vel extra eam in quacunque instantia judicari, sententiari, et definiri debere, sublato eis et eorum cuilibet aliter judicandi, sententiandi et definiendi facultate, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quocunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus nostris, Casertano et Asculano Episcopis, per haec scripta committimus, et in virtute obedientiae mandamus, quatenus eisdem Graecis, tam Presbyteris, et Clericis, religiosisque praedictis, quam saecularibus et aliis personis dictae nationis Graecae, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant per se, vel per alium seu alios, praenominatos, et quemlibet ipsorum, concessionibus, indultis, gratiis, indulgentiis, nec non statutis, decretis, et ordinationibus, praedictis, pacifice, ac perpetuo frui, gaudereque; non permittentes eos, et eorum quemlibet in praemissis aliquo quaesito colore molestari, impediri, perturbarique; contradictores quoslibet praedictas et quasvis alias poenas et censuras ecclesiasticas, aggravando, reaggravando, interdictumque — apponendo, et alia opportuna juris remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit

auxilio brachii saecularis; non obstantibus etcet. — Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 26. Maii Anno MDXXI. Pontificatus nostri anno nono.‹ Apud Pray Hierarchia S. P. I. p. 982—389.

## II.

## Pius Papa IX.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Romani Pontifices, quibus ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Apostolorum Principis fuit commissa suprema cura et potestas universam regendi ac moderandi Ecclesiam, nunquam intermiserunt indefessis consiliis et laboribus sanctissimam Christi fidem, religionemque diffundere per omnes terras, et secundum Domini praeceptum confirmare Fratres, et homines nutantes sustinere, et imperitos docere, et laborantes erigere, et devios revocare, et incertos ducere, ac vel haeresis, vel schismatis contagione infectos ad catholicae unitatis centrum reducere, et spirituali omnium populorum bono consulere, et omnia peragere, quae majori Ecclesiae utilitati quovis modo conducere possent. Cum autem Ecclesia a Christo Domino fundata una omnino sit, eaque ex Occidentis et Orientis populis constet, tum iidem Romani Pontifices suas omnes paternas curas cogitationesque in Orientalis quoque Ecclesiae gentes assidue contulerunt, quae tot habuit viros ingenio, consilio, sacraque praesertim doctrina, eruditione, eloquentia, ac sapientissimis scriptis, magnorumque recte factorum, et sanctitatis gloria insignes.

Et sane ut in Oriente integrum inviolatumque catholicae fidei servaretur depositum, utque ecclesiastica disciplina prospere procederet, et sacra liturgia omni sanctitate ac splendore fulgeret iidem Pontifices, ubi primum Ecclesiae pax fuit donata, et plura convocarunt Concilia, et varias edidere Constitutiones, decreta, nihilque intentatum reliquere, ut Orientalium utilitatem promoverent. Quod quidem singulare Romanorum Pontificum, et hujus Sanctae Sedis erga Orientales populos studium et amor semper viguit, ac vel maxime enituit, cum aliqua praesertim oborta est haeresis aut schisma excitatum, quandoquidem iidem Pontifices nullis sibi curis parcendum esse duxerunt, ut in Oriente catholica servaretur, et magis in dies propagaretur unitas. Atque haec fidei unitas cum legitimorum rituum varietate optime consistit, ex quibus immo major in Ecclesiam ipsam splendor et majestas mirifice redundat. Hinc ipsi Decessores Nostri non solum in animo nunquam habuere Orientales gentes ad ritum latinum ducere, verum etiam quoties opportunum esse existimarunt, luculentissimis verbis clare aperteque declararunt, se nolle proprios Orientalium Ecclesiarum ritus, utpote venerabili suae originis antiquitate, et sanctorum Patrum auctoritate

commendatos, destruere vel immutare, sed unice velle ne quid in ritus ipsos forsitan induceretur, quod fidei catholicae adversetur, vel periculum generet animarum, vel ecclesiasticae deroget honestati, quemadmodum immortalis memoriae Benedictus XIV. Decessor Noster copiose demonstravit suis Encyclicis Litteris ad Orientales Missionarios, die 16. Julii anno 1655. datis, quarum initium „Allatae sunt.“ Quod si Orientales ritus alicujus arbitrio aliquando immutati fuerint, id nunquam Apostolicae huic Sedi est tribuendum.

Majores vero, ac potissimae post funestissimum, et nunquam satis lugendum Photii schisma curae et sollicitudines pro Orientalibus a Romanis Pontificibus, et ab hac Apostolica Sede adhibitae fuere, quae optatissimum in Florentino Concilio assequutae sunt exitum, cum in eodem Concilio sancta catholica unio, jamdiu tam vehementer expetita fuerit restituta. Cum vero Marcus Archiepiscopus Ephesinus tamquam novus Photius hujusmodi unionem insigni prorsus audacia convellere et labefactare est conatus, Romani Pontifices omnem dederunt operam, ut Graecos ad catholicam unitatem reducerent, ac spiritualibus omnium Orientalium necessitatibus studiosissime occurrerent. Quocirca eorumdem Pontificum cura et Missionarii ad Orientales gentes missi, et Orientalium rituum libri recogniti, et peculiaria S. R. E. Cardinalium Consilia instituta, quae eorum negotia sedulo examinarent ac definirent. Et quidem pluribus annis ante Clementis VIII. Pontificatum specialis instituta fuit Congregatio de rebus Graecorum, ac alia deinde sub eodem Pontifice erecta super negotiis fidei et religionis catholicae, paulo post appellata de Propaganda Fide, quae tum Graecorum, aliorumque Orientalium negotia, tum fidei propagationem in Occidentalibus regionibus curaret. Atque haec Congregatio eundem habebat finem, quem deinde habuit, et in praesentia habet Congregatio generalis eodem titulo Propagandae Fidei insignita, et a Gregorio XV. Apostolicis litteris die 23. Mai anno 1622. datis, et incipientibus „Inscrutabili“ erecta cum munere praesidendi Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et catholicam doctrinam.

At vero, inspecta Orientalium cum ritus tum disciplinae varietate, vel facile fuit statim agnoscere, etiam post praedictae Congregationis generalis de propaganda Fide institutionem, necesse esse, ut quemadmodum Occidentalium ita et Orientalium graviora negotia, quae majori examine et studio indigerent, peculiariter a nonnullis ejusdem Congregationis generalis Cardinalibus tractarentur. Quocirca, Urbano VIII. Pontifice, qui in locum Gregorii XV. fuit suffectus, duae speciales ex ipsius generalis Congregationis de Propaganda Fide gremio Congregationes constitutae fuere, quarum altera appellata super dubiis Orientalium, altera super correctione Euchologii Graecorum. Ut vero opus ab hac postrema Congregatione inceptum ad finem per-

duceretur, et studia eidem pro Euchologio Graecorum comissa omnes Orientalium libros complecterentur; nova Congregatio uti stabilis et distincta a Congregatione de Propaganda Fide erecta fuit a Clemente XI. super correctione librorum Orientalium, proprium habens Praefectum et Secretarium, et constans ex quinque Cardinalibus, pluribus theologis, virisque orientalium rituum et linguarum peritia. Ex ipsius autem Congregationis Christianae Fidei Propagandae actis apparet quomodo fere semper, ubi de aliquibus summi momenti Orientalium negotiis erat peragendum, eorum cura et examen fuerit demandatum peculiaribus Consiliis, seu Congregationibus S. R. E. Cardinalium ejusdem Congregationis de Propaganda Fide, quemadmodum praestitum fuit de rebus, quae Graecos Melchitas, Armenos, Coptos, Maronitas, Ruthenos, aliasque Orientales nationes respiciebant.

Haec autem agendi ratio, quam ipsa rerum natura et indoles exposcit, Nobis viam munivit ad ea deliberanda, quae Nostris hisce Litteris constituere existimavimus. Cum enim arcano Divinae providentiae consilio in hac Petri Cathedra, licet immerentes, collocati pastoralis Nostrae vigilantiae, sollicitudinis et caritatis curas cogitationesque ad universum humanum genus indesinenter debeamus extendere, ac simul omni contentione eniti et efficere, ut omnes homines cognoscant solum Deum verum, et quem misit Jesum Christum, et omnes occurrentes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei vitam habeant, idcirco vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio curas Nostras ad Orientales studiosissime aeque ac amantissime convertimus, clementissimum misericordiarum Patrem sine intermissione orantes et obsecrantes, ut qui in fidei unitate cum hac veritatis Cathedra sunt consociati, magis in dies stabiles et immoti persistant, et crescentes in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Jesu Christi per bona opera certam eorum vocationem et electionem faciant; qui vero ab unico Christi ovili, extra quod salus esse non potest, misere aberrant, ad illud redire properent, atque festinent. Ea porro spe sustentamur fore, ut dives in misericordia Deus hisce Nostris humillimis et ferventissimis precibus propitius annuere velit. Interim vero prae oculis habentes praesentem Orientalium conditionem, et noscentes, in aliquibus locis quaedam impedimenta, Deo auxiliante, ita fuisse remota, ut Orientalis ritus gentes possint cum hac Apostolica Sede libere communicare, et idcirco facilius Nobis sit gravibus illarum indigentiis occurrere, Apostolici Nostri ministerii esse duximus, Nostras paternas curas et sollicitudines ingeminatis studiis adhibere, ut spirituali eorumdem Orientalium bono et necessitatibus majorem in modum prospicere valeamus. Itaque selectae S. R. E. de Propaganda Fide Cardinalium et Romanae Curiae Praesulum Congregationi commisimus, ut, rebus sedulo perpensis, Nobis proponeret, quae potiora essent suscipienda consilia ad

Orientalium utilitatem magis magisque procurandam. Qui quidem Cardinales et Praesules ex una parte apprime noscentes quam multiplices gravesque sint Orientalium indigentiae, et quam necesse sit, ut illorum negotia propter linguae, ritus, disciplinaeque varietatem peculiari ratione quotidie magis dirigantur; ex altera vero animadvertentes quae quantaeque sint curae et occupationes ejusdem Congregationis Fidei Propagandae ob mirum sanctissimae nostrae religionis progressum, hoc potissimum ineunte saeculo, Divina adspirante gratia, in America septentrionali, in Indiis Orientalibus, in Sinis, in Oceania, aliisque Europae locis singulari ejusdem Congregationis opera studioque effectum, et ob auctum Sedium Episcopalium et Apostolicorum Vicariatuum, et sacrarum expeditionum seu Missionum numerum, vel facile sibi persuaserunt, eamdem Congregationem novis indigere auxiliis, ut sine gravibus difficultatibus Orientalium negotiis speciali modo providere queat. Quamobrem sensere opportunum omnino esse ad hujusmodi assequendum finem, ut ex ipsius Congregationis Fidei Propagandae more, formandi scilicet speciales Congregationes pro rerum ac temporum gravitate, instituеretur peculiaris Congregatio, quae stabili modo omnia tum ritus, tum disciplinae Orientalium Ecclesiarum negotia tractanda, ac dirigenda unice curaret. Quamobrem Nobis proposuere consilium formandi ex ipsa Congregatione Fidei Propagandae specialem et stabilem Congregationem, quae Orientalium libris corrigendis, omnibusque et singulis cujusque generis Orientalium negotiis tractandis unice operam navet, quaeque constet ex nonnullis ejusdem Congregationis Fidei Propagandae Cardinalibus, atque a Generali ipsius Congregationis Cardinali Praefecto pendeat, et proprium habeat Secretarium, proprios Consultores, ac proprios Officiales. Nos igitur de majori Orientalium bono summopere solliciti, et ea omnia peragere vehementer cupientes, quae spirituali eorumdem prosperitati magis in dies conducere queant, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio ac sententia hisce Litteris Auctoritate Nostra Apostolica, praedictam specialem Congregationem pro omnibus Orientalium Ecclesiarum negotiis unice tractandis ac dirigendis perpetuum in modum erigimus et constituimus, iis tamen legibus et conditionibus, quas hisce Nostris Litteris statuimus, et quas perpetuo servandas esse praecipimus.

Omnia itaque negotia, quae ex commemoratis Decessoris Nostri Gregorii XV. Litteris „Inscrutabili" aliorumque Romanorum Pontificum Constitutionibus ad eamdem Congregationem de propaganda Fide pertinent, erunt in posterum in duas plane distinctas classes divisa, nempe in negotia latini ritus, et negotia orientalis ritus. Nova Congregatio a Nobis instituta omnia Orientalium negotia, etiamsi mixta, quae scilicet sive rei, sive personarum ratione Latinos attingant, tractare debebit, nisi eadem

Congregatio negotia ipsa ad generalem Propagandae Fidei Congregationem deferenda esse interdum existimaverit. Atque haec Congregatio pro negotiis Ecclesiarum ritus Orientalis, cui praeerit Cardinalis Praefectus Congregationis Propagandae Fidei, constabit ex sufficienti numero Cardinalium ipsius Congregationis Fidei Propagandae; et proprios habebit Consultores, ac distinctum Secretarium, et Secretariam cum suis propriis Officialibus. Ut autem huic Congregationi a Nobis statutae praesto sint viri, qui Ecclesiarum Orientalium linguas, ritum ac disciplinam calleant, in hanc almam urbem nostram nonnullos arcessivimus ecclesiasticos viros doctrina, et Orientalium rerum peritia spectatos, qui suis studiis, et scientia eidem Congregationi a Nobis erectae auxilio sint in iis praesertim, quae Orientalium Ecclesiarum ritus ac disciplinam, et Orientalium librorum emendationem respiciunt etc.

Subnecto autem etiam Augustissimorum Austriae Imperatorum et Apostolicorum Regum quoad firmandam, in Natione Romana Catholicam fidem, una vero conservandi in ea Ritus Orientalis apostolicae sollicitudinis celebre documentum prout sequitur:

## III.

## Maria Theresia divina favente Clementia Romanorum Imp. et Hungariae Regina.

Universis fidelibus nostris, honorabilibus Vicariis, archidiaconis, et sacerdotibus nobilibus item et aliis cujuscunque status et conditionis gentis Valachicae hominibus, haereditarii nostri Principatus Transilvaniae, partiumque eidem incorporatarum incolis salutem et gratiam nostram regio-principalem. Quod palam est omnibus, nec vestram refugit memoriam quanta amoris, favoris et clementiae argumenta tum sacratissimi quondam imperatores, et reges piissimae memoriae, domini avus, patruus et genitor noster, tum concomitanter nos in dictam Valachicam gentem declaraverimus, beneficiisque non temnendis illam cumulaverimus; testes sunt bina diplomata ab altefato D. avo nostro ipsis ante medium saeculum singularibus praerogativis et immunitatibus collata, nec non pientissima D. Genitoris nostri pro episcopatu, hieromonachis, et alumnis gentis Valachicae, in bonis stabilibus facta fundatio, et ampla pro iisdem monasterii structura; testis denique est nostri erga illam gentem materni affectus propensio, qua motae jura, privilegia, indulta et immunitates, Valachis diplomatice concessa benigne confirmare, in codicem publicorum Transilvaniae articulorum referre; pro Ecclesiis et domibus parochialibus, sicubi iis carerent, fundos, seu loca interna, in pagis excindenda, et assignanda; parochis, quibus agricultura non esset, capetias ordinandas mandare eccle-

siasticos et nobiles Valachos tribus in Transilvania receptis nationibus adnumerandos; signanter quidem Sacerdotes a decimarum, teloniorum, nauli, honorarii et taxarum, aliorumque onerum praestatione immunes declarare; Valachorum vero nobilium qua talium, in conferendis officiis, quibus gerendis pares fuerint, perinde ac reliquorum Transilvaniae nobilium, rationem habendam; jobbagionum deinde Valachorum filii, scholas actu frequentantes, aut dein frequentaturi, studiorum capaces, ne a dominis suis terrestribus impediantur, sub gravi poena statuere dignati sumus. Quibus aliisque benignissimis indultis et immunitatibus, eidem genti Valachicae concessis in id omnino intendebamus, ut a nobis protecta, quiete et pacifice in illo finitimo principatu nostro viveret ac persisteret, ampliora clementiae nostrae documenta subinde expertura. Verum enim vero longe aliter et voluntati nostrae maternae prorsus contrario modo rem agi experimur. Certo siquidem informamur, non paucos e plebe Valachorum ad sacrilegos ausus, divinisque ac humanis legibus vetitos actus tumultuarie prorupisse; templa ac parochiales domos violando; parochos exturbando; eorum personas invadentes indigne tractando, detinendo, verberando; ad census, laboresque praestandos colonicales, contra resolutionem et jussionem nostram cogendo; praestigiosos ritus, monstruosas superstitiones, bigamias, incestuosa matrimonia, canonibus etiam orientalis Ecclesiae damnata, introducendo et exercendo; pluraque his similia attentando. Cujusmodi praesumptiones actusque tam audaces, et detestandi, Christiana gente prorsus indigni, velut ipsi etiam plebi Valachicae exitiosi, et condemnabiles, condignam et celerem, ut ipsa rei magnitudo exigit, mererentur animadversionem et poenam in suis auctoribus et fautoribus, tamquam publicae quietis et tranquillitatis turbatoribus, statuendam. Quemadmodum itaque, ut connata nobis, augustaeque domui Austriacae clementia, omnibus fidelibus nostris subditis magis, magisque innotescat, maternusque noster in gentem Valachicam affectus, caeterum quoque clarescat, intentio nobis non est, nec unquam fuit, graecum ritum in latinum mutandi, (prout forte terminum catholici, rescripto nostro ac dein speciali articulo insertum quidam ac perperam interpretati sunt, qui potius in majorem Valachorum securitatem juriumque et indultorum robur, ac firmitatem adjectus est) neque porro quemquam illorum ad deserendum antiquum suum ritum, cogere intendimus; ita hac etiam viee universos et singulos ejusdem gentis fideles subditos nostros benigne et perquam serio monendos esse duximus, quatenus praedeclaratis animositatibus, superstitionibus, nefandis actibus, caeterisque in sua viscera grassandi modis quamprimum supersedere, ad obsequium redire, quieteque ac pacifice convivere studeatis, ac stagatis; neque sinistris suggestionibus et malesuadis consiliis locum praebeatis. Secus enim noveritis, quicumque vestrum ac etiam alii, contumacia ducti, posthabita et vilipensa materna hac monitione

nostra, similes ausus, et enormitates attentasse, consilio et opera alios ad id patrandum qualitercunque incitasse vel juvisse, per instituendam super eo strictam inquisitionem, comperti fuerint, non aliter contra tales, quam refractariatus criminis reos, quietisque patriae turbatores, jure procedetur et poena contumaciae pro rei merito statuetur irremissibiliter exigenda. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae die 5. Aprilis, A. Domini 1746.'